







IVSTITIA
BELLONA
HISTORIA
PROSTRATÆ
A LVDOVICO XIII
Sectariorum in Gallia
REBELLIONIS.
Autore Gabr. Bartholomæo
Gramoundo In suprema
Tolosatum Curia
Senatore Regio.
TOLOSÆ
Apud PETRUM Bosc Bibliopolam.
ANNO MDC. XXIII.
Cum privilegio Regis.





LVDOVICO XIII.

GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI CHRISTIANISSIMO,

TRIVMPHATORI SEMPER AVGVSTO,

S.



ROSTRATAM *Sectariorum rebellionem, de qua poſteritati nuncupaueram votum, diutiùs diſtuli in lucem edere* (REX INVICTISSIME) *reuocantibus ab inſtituto multis, potiſsimùm quòd viuentium geſta haud tutè publicantur: nam ſi eorum quid gloriæ dederis, adulatio eſt; ſi contrà vitio verteris ingloriè geſta, calumniã dicunt, adeò malunt homines eſſe quàm dici mali: accedebant primorum iræ ſcriptoribus ſæpe exitiales dum ignota pandunt, quæ poſthabui omnia vni Principis mei glo-*

ã

riæ litans. Armentur in me quorumlibet inuidia & furor, stylúmque qui adulari nesciat temerarium dicant, per me licet; si temeritas est vera scripsisse, tuâ interest LVDOVICE *temerariũ inuenisse scriptorem, cuius narratio verax, nullâ adulationis suspicione virtuti tuæ arã exstruat ad quam donaria appendat posteritas* LVDOVICVM *adorans; temerarium item, quis enim, nisi supra fidem temerarius est, gesta Regũ Galliæ omnium maximi venturis retrò seculis tradere ausit? Hæc me temeritas, meliùs dixerim, hic me zelus, quo, mẽte animóq; defixus adoro quacũque gesseris, impulere desidiosum inter forensia stylum, vt quando pro Rege non dabatur vitam gloriosè inter arma impendere, liceret virtutes regias ab obliuione vindicare: quid enim operam meam ei totus conferre negem, cuius me virtus supra spem facit fortunatum, vel vnâ hac gratiâ quòd eius seculo viuam?*

Herculem aiunt serpentes, quos Juno nouerca in fatale eius excidium antris eduxerat Auernalibus, eo in cunis furore suffocasse, vt magè fulmen belli diceres, quàm vagientem in prima infantia puerum. Agedum Hercules Gallice, age monstrorum domitor, age cœli amor, deliciæ orbis Gallici LVDOVICE*? prorue in hoc theatrum belli; vbi non ementitâ fictione personam ipse tuam sustines. Vidit non sinè horrore Gallia tua, vidit Hydras & monstra, nouos Geryones, ambitiosa Gigantum supercilia, quæ ad primum*

Regiæ iuuentutis exordium, Iuno Galliarum nouerca, quid fabulas quærimus? Rebellio Sectaria in caput Regium nuper armauerat: testes habuit illa patrati ab Hercule suo miraculi oculos omni exceptione maiores: nihil ergo erit quod de nobis queratur, si in hoc rerum Gallicarum theatro exhibituri, quorum illa pars maxima fuit, Latinitate donauimus Tragœdiã nostrã, cuius apertam in exasperata Regis mansuetudine scenam claudet Catastrophe Sectarijs perduellibus luctuosa. Nec satis erat Gallico idiomate triumphos exarasse, rem Gallis notam, nî tot facinorum conscius orbis reliquus, nobiscum in admirationem raperetur. Si quid ergo, Rex magne, si quid Gallicis historicis debes, vix dici potest quâ te sibi obligatione deuinctum habeat Latinum hoc opus, cuius beneficio iam ad quatuor orbis plagas virtutis tuæ miracula sonant. At quò me abripit vanus hic gloriolæ apparatus? ignosce Rex Auguste historico, qui tibi tot nominibus ex asse deuinctus, te hîc suum mentitur debitorem: quid enim tibi non debeat ipse, cui in tam ampla victoriarum segete præbes vnde eximat obliuioni seipsum? ità Homerum Achilli laudato plus debuisse memorant, quàm Achillem Homero. Fatebor itaque supra rationes me tibi deuinctum, si se mihi non diffiteatur Gallia debitricem; debitrix mihi ædepol! in quo Regis sui præconem habet, quò reliquus orbis agnoscat minùs eam in LVDOVICO *Regem inuenisse, quàm publicum liberato-*

rem; quò ſciant ventura ſecula vixiſſe in Gallia Regem, qui nondum adoleuerat, cùm ea gloriosè patrauit quæ ne quidem à primo naſcentis Secta exordio deceſſores antè vel ipsâ cogitatione attigerant.

Eam auidè rerum Gallicarum ſinè fuco narrationem Iberi, Jtali, eam Angli, Germani, quóſque ad Septentrionem Borealis glacies habet, ne Aſiam, Africámque memorem, auidè expoſcebant: nihil diſtuli Orbi reliquo gratiſſimum opus. laudatur exin nobilitas Gallica, extollitur ſupra hominum vices LVDOVICVS, *id mihi Gallia debet, quæ ſi Regem, ſi ſeipſam amat, immēſo beneficio reputabit, quòd meâ operâ ſupra reliqua orbis Chriſtiani regna florere agnoſcitur. Tibi Rex patrare miracula, mihi deſcribere datum; rudi nec diffiteor ſtylo, niſi ad clementiam tuam manſueſcit; humili, nì ad trophæa* LVDOVICI *ſui nouam induit dignitatem.*

Atenim quia nihil tam æquum quàm ad principia ſua redire quæcumque ab ipſis manant, quia ad Oceanum vnde prodeunt aquæ continuâ agitatione voluuntur: patere LVDOVICE, *ad principium ſuum recurrere hunc hiſtoriæ impetum, ad Principem vnde velut è fonte prodijt; patere in eo velut in centro ſuo quieſcere; donec ad pericula longè extra Gallici fines imperij vocatus nouis iterum miraculis ſtylum ſuperes, qui tibi vni deuinctus, vni tibi ſe totum vouet. abſtinuiſſem lubens hoc opere, nì te aucto-*

re vera impunè fari licuisset: vnum id historici decus est nullâ gratiâ, odio nullo scripsisse, præstátque concitâsse in se odia populi & Magnatum, quàm Orbi vniuerso, venturísque retrò seculis perfrictâ fronte imposuisse. Imò, nec parum tua refert, Auguste Princeps, nullis maculari historiam fabulis: quis enim posterorum virtuti tuæ habeat fidem, si fabellæ passim cum ea explicatæ eius temerant sanctitatem? si laudabitur æquâ lance, cum pietate flagitium, cum animi magnitudine eneruis timor?

Dum hæc scribo, dum me facit nimia laudum copia inopem, venit in memoriam cura salutis tuæ, quam, parce si hoc dixerim, nimiâ erga tuos caritate profundis: credísne terrore magis hostium, quàm curâ conseruandæ salutis tuæ, vt nunc est tibi vilis, nos esse solicitos? conspiret in nos hostium potentia qualibet, impleat armis Galliam, classibus maria, aërem vexillis, & hastis, Tu nos præstabis inuictos: sed quis hoc nobis Galliæ columen diuturnum fore polliceri potest, cùm tantâ auiditate manifestis periculis obijcias carissimum imperio caput? oblitus Gallorum omnium animas trahere te in casum; quis enim aut optet tibi superstes esse, aut possit? Cura ergo, Rex magne, in Rege suo Galliam, quæ te identidem humili hortatione monet memineris te hominem; non quò velut Romanus triumphator abstineas gloriâ, sed vt reuocatâ in memoriam

naturæ fragilitate ijs laboribus te imparem ſcias, quos ſupra hominum vices poſuit Deus immortalis. Vale & longum viue. Datum Toloſæ, Kal. Auguſt. Anno à reparata ſalute M. DC. XXIII.

Vouebat Majeſtati Regiæ addictiſſimus,

G. Bartholomævs.

LECTORI AMICO,

S.



IRABERIS forsan, quisquis hæc leges, quòd natione Gallus, Sectariorum in Gallia rebellionem Latinè scripserim; quòd, vbi potueram natiuo idiomate rem exprimere, spretâ patriâ linguâ Latium induxi in Galliam. Peccassem, nec diffiteor, si Gallis historiam scribere mens fuisset: habet enim lepôris & gratiæ satis Gallicum idioma, vt præli dignitatem, etiam cum splendore sustineat. Verùm, quid res in Galliâ gestas Gallis scriberem, à quibus eas didici? habent belli huius impressam illi descriptionẽ, ídque gloriosiùs quàm dici possit, non membranis quas absumit inuidia temporis, sed membris mutilatis, sed toto passim corpore plagis, quæ pro Rege inter dimicãdum exceptæ, tot historiarum volumina faciunt, quot sunt cicatrices. Si obijcitur, non illis historiam, sed posteris scribi; respondebo scriptores in Gallia plures, huius belli descriptioni vulgari idiomate incumbere, neminem esse, quod sciam, qui eam Latinitate donare contendat: illi ergo Gallorum studijs, ego exterorum incubo votis; illis historia mea destinatur, quam si gratè excipiunt in cœlum abeo.

Neque sanè citra rem est, quòd aggredior: quàm enim foret aliquando lugendum si periret exteris nationibus historiæ series, quam ausim etiam in antiquis historiarum monimentis quæ fabulas sapiũt, sinè exẽplo dicere? quàm foret Regio parum nomini consuluisse, si LVDOVICI gesta plusquàm heroïca in Gallia terminũ inuenirent.

Hæc mihi Regis gloria (testẽ appello Deum) hic amor patriæ suasere, vt quã necessitas togati officij negabat in castris præstare Regi operam, totam scripto impenderem, tubáque regiarum virtutum gloriosè resonãs minùs classicum canerem, quàm victorias. Mouebar aliunde non parùm heroïcá Gallicæ nobilitatis virtute, cuius sanguini si debentur victoriæ, quídni triumphi verâ rerum gestarum narratione victoribus decernentur?

Abesto ergò hinc procul, ô Galle, tibi nihil hîc scribitur, qui omnia nôsti, tibi nihil hîc destinat prælum, qui ipse historia viuens es, & loquens: vnum oro, si præter scriptoris mentem eius historiam perlegis, patiare Gallicâ libertate loquentem, qui sibi doleret imputari si vulneri cicatricem mentiretur, si virtutem sinè laude dimitteret, sinè reprehensione flagitium: vno verbo, caue ne in Auctorẽ malè te affici patiare, si te perduellem aliquando deferet aut ignauum; nam neque id medius fidius malo animo gestum: contrà si laudaris quicumque gesta hîc tua leges, nihil,

mihi crede, debebis Hiſtorico, qui eò lubentior gratiæ tuæ renuntiat, quòd nemini adulatione inſidiari præſumit: vide tamen ne dum teipſum pulchrè vulneratum aut triumphantem legeris, in tui amorem rapiare, vt adoleſcens quem fabula mutauit in florem. Si Sectarius es, ſcito tibi nihil imponere Catholicum Orthodoxum, qui ſciat vnam hiſtoriæ dignitatem in vero ſitam; nihil in te, ità me Dieſpiter amet, nihil habeo malæ mentis; quippe cum Euangelio, quo ſæpiùs abuteris, malo conuerſionem tuam quàm mortem; vtinámque proprij illam diſpendio ſanguinis vindicare daretur, abeſſent procul à Gallia Sectariorum factiones, quæ inuitum ſæpiùs ad Satyram adigent. difficile eſt Satyram non ſcribere, vbi ſcelus omne in vna perduellione graſſatur: quamquam neque ab ea immunes Catholici, in quos haud diſpari animo ferar, vbi iuſſerit hiſtoriæ ſeries. Monebo tamen quidquid legeris, ne me auctore prodijſſe exiſtimes, ſcribo hominum mentem; quæ in Sectarios modò, modò in Catholicos, ex varijs rerum figuris variè inclinabat: à me nihil habebis quàm ſtylum, cui parce, ſi videbitur; res grata erit: ſin minùs, ſuccenſe, impete, perinde eſt mihi, qui tenuitatis meæ conſcius, nullâ ambitione, minùs mihi hiſtoriam ſcripſi, quàm tibi, nihil affectans ab hoc opere laudis ſeu parùm illi debita eſt, ſeu ità hominum men-

tes habent, vt parui duxiſſe aliena gloriæ ducant: quod noſtris maximè Toloſatibus innatum vulgò, viris vt plurimùm ingenioſis, niſi ad ineuntem adoleſcētiam vanis deliciarum illecebris torpent, aut nimiâ ſui opinione ducuntur, gens in ætatis lubrico magna ex parte deſidioſa, nec alio indicio docta audire amans (quod vehementer ambit) quàm vnâ ſui æſtimatione, ſpernens quæ non intelligat, quæ capit etiam laude digniſſima in peius detorquens; quaſi cū alios demirabere teipſum ignorantię arguas. gens quæ indigenas ſuos ſi quid magni ſapiunt odio proſequitur, penè dixeram immortali, niſi quòd cū inuidia ſua malè diſpereunt, qui alienæ malis artibus gloriæ inſidiantur. Ab illis itaque ad defecatos homines appello, qui nihil gratiæ dabunt, odio nihil. Quanquā abſit vno ordine habuiſſe Toloſates omnes, quos inter docti plures virtutē vbicumque illā inueneris impēsiùs colunt.

Errores quos poſt exactum opus comperi, prælo magna ex parte debitos, correxi inſertâ ad calcem Indicis eorum ſynopſi, quam conſule, vbi in ſcopulum malè impegeris; ſi tibi videbitur interdum arguendus Auctor velim in memoriā reuoces, non adeò eum humanam fragilitatem dedignari, vt peccare erubeſcat, maximè vbi debitam Achilli ſuo Iliadem breuiore ſemeſtris ſpatio in lucem edidit, quod nec ipſa diffiteatur inuidia, nec ignorant vulgò infenſi ſuis indigenæ, quibus

eam præcautionem adhibui magis quàm exteris, quos scio eò sanctiùs æqui boníque consulturos, quòd Autorem non nouerint. iniquam æui quo viuimus rationem, quo notum esse excidio vertit!


Vos interim, Nationes exteræ, quibus opus meum debetur, fauete si lubet trium vobis annorum exaranti historiam, quæ & superat anteacti seculi monimenta, & sequentia vinceret, nî patrandis nouis in dies miraculis LVDOVICVS idem Galliæ adhuc in longum suppeteret; fauete Historico vestro; scribant alij Gallis, ego vobis scribere destino, &, si non displicet leuis iste conatus, plura me vobis ex voto debiturum promitto.

Vnum moneo in quo mihi videntur non parùm peccasse, quibus historiæ Gallicæ hucusque cura incubuit: dum enim Latinitate donantur, vrbeculæ, pagi, riuulíque plures antiquis incogniti, hæret vbique in malè feriatis vocibus Lector, neque veram historiæ seriem capere potest, qui genuinas locorum denominationes, vbi prælia gesta, vbi profligatę acies, vbi obsidiones, ignorat. Occurrit itẽ non minoris momenti in proprijs hominum nominibus difficultas: nam prætерquàm quòd legentium acies hæret passim, dum vera nescitur nomenclatura, hoc accidit, quod mali extremũ est, vt rerum auctores in obscuris lateant, vbi natiuis eorum nominibus nescio quid substituitur quod diuersũ omnino sonat. nihil moror exẽplum, legi

apud Historicos nostros, eum quem nuper Gallia eo impēsiùs nomine coluit DU MAINE varijs nominibus appellatum barbaris omnibus, & quæ indigeant scholijs, alij Medunæum, Meinium alij, Dumenum hi, illi Mayennium, ad quas tamen inconcinnè mutuatas à Latio nomenclaturas nemo non hæreat, natiuam quærens. Optassem ego nomina locorum, hominúmque propria, patrio colore depingere; at ex formula Latina non licuit. quò ergò tibi abundè fiat, amice Lector, duos à prælo, operi meo margines præter morem impetraui, hunc qui orationis elixir foret, illū qui propria Gallis nomina, Latina vt potui, patriâ denominatione donaret. reliqua si lubet, qualia sunt militaria munia, munimentorum varia genera, forcipes, propugnacula, hemicyclos, valla, ceteráque id genus quæ apud nos interdum cum Romanis conueniunt, interdum discrepant, habebis à Cæsare, Liuio, Vegetio, Tacito & alijs, aut si quid illis deest, à recentioribus qui exacti seculi scripsere historiā, quibus itē si quid defuerit quod sæpius, ad nouas subinde militiæ regulas, habebis à me totum, qui si in auctorando nomine, qui ipse sinè nomine sim, malum nomen existimor, perpende amabò benignâ interpretatione ab eo excipienda quælibet, qui minùs inter scribendum puritatem sectatur eloquij quàm narrationis; qui minùs lauream quærit, quòd ad demorsos vngues li-

mauerit opus, quàm quòd vera vbique loquutus verba historię quæsierit, non historiam verbis: mihi nihil tale imputabitur, qui barbarè inconcinnus ero, si voles, dũ liceat Deam illam effodere, quam in puteo Philosophus, ego meliùs in vęsano historicorum timore puto delitescentem. Timeat quicumque volet; in Regis mei gratia, post exhibitum illi honorem quem debeo, armentur in me omnia, nihil est quod reformidẽ. Bene est mihi, quod in Rege nihil habet improbandum historiæ veritas; vbi enim libertas tunc eloquij defuisset, præscripsissem historiæ huic plusquam Pythagoræa silentia. Verùm vbi externorum nemo Regem LVDOVICVM non laudat, vbi Gallorum nemo non diffitetur publicæ restauratorem salutis, Cœli amorem, delicias Orbis, in omnibus supra magnos Reges majorẽ, supra majores maximum; nihil est quod dubitem vera de illo ad miraculũ scripturus, reliquos in narratione mea depingere, prout sancta illa veritas omniũ diribitrix suadebit. Vnum id vereor ne venturi aliquando nepotes, vbi tot in adolescente triumphos legent, fabulas nos exhibuisse credant, positis supra hominum vices miraculis: vtcumque tamen est, cœlo bene auspice, triennale bellũ aggredior, reuocatis paulò altiùs in modum præuiæ cognitionis Sectariorum in Galliâ origine & progressu, quæ duobus districtè Capitibus expedio. Vale.


LVDOVICO
XIII
Galliarum et Nauarræ
Regi de prostrata
Rebellione trophæum



HISTORIA PROSTRATÆ A LVDOVICO XIII. SECTARIORVM IN GALLIA REBELLIONIS,

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

EPITOME.

Post laudatam ex voto Galliam, Regis in ætate vix adulta armati heroïca virtus extollitur. Proponitur susceptus hoc opere labor, rebelliúmque Nouatorum origo altiùs repetita ab Henrici II. regno, ad Ludouici nostri districtè trahitur feliciora tempora. Henricus moritur, prodeunt noua in successorem ab illis factiones, proditio Ambasiana, tentata Lugduni expugnatio, Condæi præsens in carcere periculum, Francisci II. fatum, noua demum factionis arma perstringuntur. pugnatur ad Drocum, obsidetur Aurelia, vbi Guisius interfectus pacem ex necessitate inducit. destinatum ad Meldas parricidium aperitur, vnde post Heluetiorum, & Nemoursii fidem commendatam, instructa acie ad Sancti Dionysii fanum dimicatur: hinc prælium Iarna-

cæum, ibi Comestabilis capitur, hic Condæus intercidit. non differtur expeditio Moncontorea, vbi cæsi Rebelles. deuolant ex Aquitania Henricus & Condæus filius: vocati Rebelles contra fidem datam necantur. bello acriùs renouato, ab obsidione Rupellana Andium Dux, ad Poloniæ coronam allicitur: donec ex Caroli fato in Galliam natale solum euocatus, omnia in expetito aduentu pacauit.

Gallia pietate illustris.



ALLIÆ amœnitatem & delicias, Gallorum promptum ad arma alacritatem nemo est qui nesciat. post restitutam sæpius Sedi Romanæ gloriam, post bella in Sarracenos feliciter ad Orientem gesta, viuebat in eo gloriæ apparatu, vt remotas latè gentes in sui admirationem impelleret: quando ex Auernali Gebennæ lacu, nescio quod erupit rebellionis in Caluinismo monstrum, cuius pestilentia Gallorum animi lethaliter vulnerati, desperata iam salute languebant; nisi libertatis vindex LVDOVICVS ad primam Patrum libertatem, ad pristinum Dei in orthodoxa religione cultum prostitutam imperij gloriam reuocasset.

Olim Sectariorum præda.

Geneue

Hodie ad decus pristinum à Ludouico reuocata.

Bonum hoc factum tentauerant olim satis infeliciter in ipso monstri nascentis ortu, Henricus, & Franciscus II. Carolus IX. Henricus III. &, si pari animo Henricum IV. non perhibent historiæ monimenta illi bella indixisse, crede, quanquam magni animi princeps à teneris arma tractasset, timore rei difficilioris perculsum, ex publica magis

Reges Galliarum quatuor, Caluinistarum factionem suffocare conati.

necessitate bella distulisse, quàm voluisse, vt sumptibus etiam publicis pestilentissima lues aleretur.

Iam in eam audaciam creuerat fastus, vt se pacis & belli diribitores facerent Sectarij perduelles, &, si sibi libertatem conscientiæ, Ministrorum annuas pensiones, vrbes quas fidei datæ obsides, matrimonij, fœderis, securitatis appellabant, Iesuitarum ab vrbibus suis Ostracismum, duos in Lutetiano parlamento ex suis Consiliarios non illis in perpetuum princeps indulgeret, habere se satis audaciæ, & virtutis, vt sibi supremam addicerent imperij potestatem.

Rebellium in Regē audacia.

Quis credat in prima adolescentia Principem, qui vix quartam ab ortu viderat Olympiadem, ea in perduelles ætate armatum, quam ad delicias iure natura suo reposcebat? quis credat pubescentes illius annos bella indixisse Gigantibus, quos dum viueret Henricus IV. adeò reformidarat, vt petentibus nihil recusaret.

Armata in illos adolescentia Regis.

Ea mihi mens est, vt Sectariorum rebellionem nuperam stylo liberiori complectar, quod antequàm aggredior non erit institutæ parum conueniens narrationi, si ab origine progressum huius sectæ perstringam: inde enim patebit apertiùs, & antiqua esse in secta, quanquam noua, rebellionis semina, & LVDOVICVM maiores suos imitatum, ab eadem sæpius gente lacessitum, non iniustè bella renouasse.

Mentem in opere ordinando suam explicat Autor.

Qui sint, & in quibus differant Caluinistæ, Puritani, Protestantes, Huguenotti, magna est inter Au-

Vnde, & qui Caluinistæ rebelles.

tores altercatio, quibus ego rem totam committo; quippe cui disputatio ineunda minùs, quàm tractanda historia. Credunt plerique Puritanos, aut Caluinistas, quod idem sonat, esse quorum nos ad historiam rebellio adigit; qui, Caluino Autore, seu Geneuâ, seu à Germania, Britanniáve magna in Galliam venerint, perinde est nobis de illorum ortu, aut missione nihil hîc differentibus.

Caluin. Geneue Allemagne. Angleterre.

Sub Henrico II. in Galliam serpunt.

Quidquid id est, nemo diffiteatur in Galliam eos ad infelix Henrici II. regnum, nescio vnde, per cuniculos tamen, nouæ sectæ perniciosam insinuasse libertatem: quia tamen vagiebat adhuc in infantia sua sub Henrico II. Caluinismus; supra secreta consilia hinc inde ad silentia noctis conuocata, nihil hoc regno actum, quod debitam hanc vni LVDOVICO ex professo historiam hîc morari diutius debeat.

Vix habenas imperij Franciscus II. moderatur, cùm ex infante Caluinismus factus adolescens, futuræ signa indolis prodidit manifesta. Ambasiæ ad Ligerim, Castro regio Franciscus ad delicias morabatur, quãdo illi libertatem cõscientiæ petituri, lectis inter omnium silentia copijs, ea ad Regiam frequentia veniunt, vt, nisi proditionis nuntius arma rebellia præuenisset, aut pereundum familiæ regiæ, aut fuissent imperia perduellium Regi subeunda. Fuere hęc ad annum M.D. LIX. rebellionis Caluinistarum prima rudimenta.

Ambasiana in Franciscum II. proditio.

Amboise sur Loire.

Quæsitus libelli supplicis color.

Prodijt ad id temporis à Rege edictum, quo in se machinatam proditionem, quæsito offerendi supplicis libelli colore, querebatur; quasi hæc sit li-

belli supplicis formula, qua res ense ad iugulum petatur, si negetur armis vindicanda. Qui seipsum semel prodiderat Rebellium animus, iam non amplius cuniculos quærit, Lugdunum aperto marte intercipere tentat: deberi sibi affirmans tutum aliquod à persecutione asylum; nescio vnde mutuata scientia, nisi eius sectæ retineant aliquid Caluinistę, quæ omnia communia facit: in flagranti crimine intercepti plures, proditionis in furca pœnas luunt: accusatus de auctorata rebellione Condęus, post triplicem denuntiationem Aureliam venit, conuictus condemnatur, differtur in crastinum pœna; sed extincto inter has moras Rege, à carcere ad liberiorem auram ex Caroli IX. clementia reuocatur.

Lyon. Lugdunũ Rebellio tentat. Condæus à supremo supplicio reuocatur ad vitam. Condé. Orleãs.

Beneficij gratia non alia fuit, quàm noua rebellio: imploratur Germaniæ fides, mittuntur auxiliares copiæ, dimicatur ad Drocum, pereunt rebellionis capita factiosa, Condęus capitur. Aureliam prælij reliquiæ fugiunt, obsidetur à Guisio illa; nec diu, cùm desperata Colignij & Andeloti salute, ex machinatione perduelli Guisius interficitur. Initur de pace consilium, conuersísque iam in Catholicorum ruinam omnibus, non ægrè in illam conuenitur: in gente tamen infida defuit pollicitationibus fides; vix enim oppresso post bella ciuilia populo in pacis amœnitate liberiùs spirare dabatur, cùm in Rebellium animos omnium pestilentissima subijt cogitatio.

Prelium ad Drocum. Dreux. Aurelia obsidetur. Guise. Coligny. Andelot. Guisius interficitur. Initur pax.

Meldis Lutetiam properabat infortunatus princeps, cùm, violata iterum fide, rebellio de Medicæa matre, & Rege filio intercipiendis cogitauit; imò

Meaux. Medicis. Bellum noua Sectariorum proditione renouatur.

Nemoursii, & Heluetiorum fides commendatur.

Nemours. Les Suisses.

neque cogitationem destituebat successus, nisi Nemoursius, & cum illo Heluetiorum sex millia à præsenti periculo cara Galliæ capita liberassent: vnde æternus duci, & Heluetijs de Rege conseruato honor exhibebitur. Ferunt erumpentibus hinc inde ad latera Caluinistis identidem, Heluetios inter viam, in medio legionum suarum semper principem habuisse, donec non sinè miraculo Lutetiam vidit. Hinc Mars apertus, hinc ad Sancti Dionysij campos, instructa acie, manus conseritur, hîc strages vtrimque, iactura Catholicorum in Mommorancio Comestabili maxima: nec diu cùm illius æmulus Condęus princeps prælio Iarnacęo intercidit. Resurgit tamen ex funere rediuiua rebellio: vnus illi supererat adhuc, Gaspar Colignius, qui nisi arma in Regem suum conuertisset virtutis heroïcæ exemplar dici poterat. copias legit ad rebellionem ingeniosa viri audacia. Committitur ad Moncontoreum solum pugna acerrima, vbi non paucis Rebellium cæsis, in Regios victoria inclinauit.

Pugna ad sanctum Dionysium. *Mommorancius occumbit.* *Prælium Iarnacaeum, vbi Condaeus perit.* *Pugna Moncontorea.*

Paris. S. Denis. Mommorancy. Iarnac. Coligny. Moncõtour.

Quis non putet sexaginta Rebellium millia anteactis prælijs desiderata, aut consternasse afflictos, aut deficiente iam sanguine, sectam radicitus extirpasse? adfuere tamen prælio sinè mora & fortiores numero, & valentiores audacia: aduolant duæ ex stirpe Borbonia aquilæ, Henricus & Condęus: adest, quæ supra omnes in Caluinismo ardebat, Ioanna illa Labretana Catholicorũ sui temporis flagellum, ira Dei, Ecclesiæ terror: suffocata, nuper magna ex parte trans Ligerim factio, illis auctoribus iam cœlo liberiore spirat. Nauarra, Aquita-

Ex Henrici, Condaei, & Ioannae auxilio, Rebellio fortior.

Bourbõ. Ieanne d'Albret. Nauarre.

Guyenne. Bearn. Saintonge. Poictou. nia, Benarnium, Santones, & Pictones noua arma ministrant: paratur exercitus, cui nihil habens infortunatus princeps quod opponat, cogitur supplex pacem exposcere.

Ad extrema Carolus actus, extrema tentat. Adest rebus sic desperatis consilium magè desperatum, commentitij hymenæi proponuntur, ad quorum solemnia Caluinistarum magnates omnes sinè suspicione Lutetiam euocentur, exiturum intereà tacitum à Rege edictum, quo iubebuntur ad designatam diem Catholici vna Sectarios internecione delere; futurum, vt in prima factionis capita edicto Lutetiæ exequutioni mãdato, extirpetur momento eodem cum perduellione Caluinismus. Neque timendam violatæ fidei accusationem, posse illam violantibus violari: sanctam esse debere, & inconcussam fidem illam, qua subditus Regi suo supra ciuiles leges naturaliter obligatur, quam toties fregit hæreticus perduellis, quoties in coronæ excidium aliquid se posse sperauit. Reuocatur Ambasianæ, Meldeæ, & aliarum proditionum memoria, quæ non in statum Gallicum modò; sed & in ipsamet Regum capita ferebantur: violatam à Caluinistis, cum fide, qua tenetur subditus Regi, fidem illam sanctissimam, quam toties in pace stabilienda iureiurando firmassent. his addebatur, quòd nulla fides est quæ hæreticis datur.

Internecionis suasio. Amboise. Meaux.

Nuptiarum ad internecionem simulatio. Persuasere hæc omnia Regi, vt quando factionem vi armata non dabatur extinguere, vbi deficiebat virtutis potentia, dolo suffocaret. Simulatur Henrici nuptiarum apparatus, vocantur Sectariorum magnates, primarij illorum nobiles adsunt,

edictum ad vrbes Catholicas mittitur, indicitur ad diui Bartholomæi solemne funeraria dies. silentibus ad fidei datæ sacramentum Catholicis suspicio abest. illucescit bustuaria dies, parantur nuptialia; purpura, & bysso, filis aureis sericum distinguentibus radiat nobilitas sectæ: ad sui nuptias principis (ita enim sectarium tunc Henricum appellabant) gratos deliciarum concinunt hymenæos; cùm dato signo in Regia primùm, in vrbe dehinc, in reliqua postmodùm Gallia, eadem tamen die necantur, non omnes, habebant enim tuta aliquot in vrbibus suis effugia, sed quotquot in populi manus incidêre: ille tot illatas Regibus suis ab infida gente vindicaturus iniurias deliciosè vbique natabat in sanguine.

Iugulantur Caluinistæ.

Placuit non paucis à toties læso principe facinus auctoratum: sed eorum præualuit apud sagaciores sententia, qui via sanguinis improbata, crudelitatem dixere, quod alijs iustam læsi principis vindictam esse placebat: quidquid id est, internecionem prodidit euentus inutilem; neque enim, quod sperabatur, regię maiestati faciliora Gallorum obsequia præstitit: quin potiùs armauit in illum inermes, subditósque promptioris olim capaces obsequij, in rebellionem induxit: habet enim ferri & flammę etiam in Hæreticos, maximè contra fidem datam crudelitas, id singulare; vt pereuntibus centum, succedant illicò millia, pullulantibus identidem in hydra perniciosa capitibus.

Seruanda etiã hæreticis fides

Armatur Caluinista iam iustiùs, si iuris aliquid habere potest in Regem à subdito bellum. Obside-

tur

La Rochelle. Anjou. tur Rupella, illi acriter Dux Andium instat, donec à Poloniæ Comitijs generalibus ad nobilissimi vocatus moderamen imperij, primus esse in solo maluit alieno, quàm in suo secundus. abijt ergo ille in alienæ Coronæ amorem, vnde Rupellæ salus. *Obsidetur Rupella. Andium Dux, Poloniæ Rex renunciatur.*

Cossé. Mommorancy. Ad ea tempora Cossæus & Mommorancius Marescalli, quamquam immutato in fide orthodoxa veteris conscientiæ ritu, à Rege alieni, rebellionem Sectariorum in eum auctorabant: nisi re celeriùs agnita, in vincula acti, diutino carcere proditionem expiassent. *Cossaus, & Mommorancius in vincula acti.* Danuille. Languedoc. Danuillius interim Marescallus, Mommorancij frater, proregis in Narbonensi prouincia dignitate spoliatus, munitissimas illas Galliæ Narbonensis vrbes, supremum LVDOVICI nostri laborem in Caluinistas transfert. *Danuillij rebellio.* Potiti illi, ex Danuillij rebellione, vrbibus expetitis, non differunt de ordinanda Democratia propalàm cogitare, cùm Caroli IX. non sinè veneni suspicione, mors inopina, perduellis audaciæ fuit incrementum. *Mors Caroli IX.*

***

CAPVT II.

EPITOME.

Henricus III. è Polonia reuersus in Galliam, post leue bellum pacem cum Sectarijs init, cuius adeò condiciones Catholicis displicent, vt Peronæ ad vnitam factionem sacramento solemni adigantur: his vt fieret satis, in illos arma conuertuntur. accusatur Catholica factio, quæ Regem hæreticum mentiebatur: pereunt ad Cutracum Ioüsæ duo, quorum alter maris præfectus primæ apud Regem auctoritatis aulicus fuerat. cladem ad Alnetum vlciscitur Guisius: à Nauarro protectionem flagitat Rex vndique lacessitus. duo factionis columina Guisii fratres occiduntur. bella iterum. necatur Henricus. Borbonium alij Cardinalem, Henricum alij Nauarræ Regem in successorem nominant. præualet Nauarræ princeps, tractatámque ex occasione, de Rege hæretico quæstionem, ille ipse Catholicus factus decidit. ab illo mitiùs habiti Caluinistæ, qui demum occisus, in LVDOVICO *nostro non indignum habet successorem. Salmuriæ conueniunt Sectarij perduelles, plura petunt, quæ in præsenti regni calamitate Regina concedit.*

Henricus III. in Galliam redit.



TATIM à Caroli morte Mediçæ regum infeliciũ mater infortunata, Henricum III. in Galliam reuocat, vbi, dubitãtibus Caluinistis Regẽ in eo inuentura esset Gallia, néc-ne, iam seriò alta eius Democratię iaciunt fundamẽ- Medicis.

ta, quę, nisi hoc sæculo LVDOVICVS noster excussisset, periculum erat, ne superstrueretur popularis audaciæ moles, Belgicæ in Iberum rebellionis
Pibrac. æmula. Furtim tamẽ Pibracij magni consilio, è Polonia reuersus Henricus in Galliam, ad inopinum *Pax initur.*
sui accessum Rebelles consternarat; nisi primarij nobiles, nouam in illos audaciam, nouos animos immisissent: Breuior tamen fuit superbientis audacia populi; sperantibus enim omnibus ad nouum noui Regis imperium feliciora omnia, de pace iterum conuenitur, quæ ab anno M. D. LIX. ad LXXVI. iam decima numerabatur. Pacis con- *Pacis conditiones Catholicorum factioni displicẽt.*
Cossé. Mommorãcy ditiones præcipuę in libertate Cossæi, & Mommorancij, earúmque concessione vrbium positę, quas Sectarij fidei obsides vocauere (quasi regijs fides pollicitationibus esset aliquando defutura) his accedebant tot gratię, quas obtinendæ Rex paci con-
Perone en Picardie. cesserat, vt imprudentioris zeli Catholici Peronæ in Picardia vnitam illam factionẽ tunc primùm designarint, cui color à religione quæsitus, non ementitum Coronæ celabat ambitum: delitescebat tamẽ adhuc sancta illa (vt ita loquar) perfidia, cùm noua iam à Sectarijs, ingrata gente, de bello nouo consilia capiuntur. adsunt Henricus & Condæus Bor- *Bellum à Caluinistis renouatur.*
bonij duo, renouantur funera, grassatur vbique armorum furor, donec ad annum M. D. LXXIX. affulget grata illa, sæpiúsque dies expetita, qua sopito bello pax redijt; dies tamen solstitij hiberni breuissima, quæ ad M. D. LXXX. annum caliginem induxit pestilentissimæ noctis, bellum supra exacta omnia cruentissimum renouauit, neque

Pax inducitur. diutinum: ad annum enim proximum, qui primus ab octuagesimo erat, refloruit illa Galliarum oliua, brumis hiemalibus extincta toties, toties vere ineunte rediuiua. Quis hæc attentiùs legens non credat Caluinistas his seculis; penè vbique proditores, reges suos pilas habuisse lusorias? res in promptu est, arma ex arbitrio in reges capiebant, non prius posituri, quàm posito diademate secum ex placito perduelli conuenissent. Proditionem, cuius narrationi accingimur, non mirabitur quicumque hæc leget, gnarus parentum in filios cum sanguine indolem æqua lance transire. Mirentur retrò ventura secula, ad quæ infortunia Henricum III. Regem sinè dubio maximum, ad ea tempora perduellium Caluinistarum factiones adegerint: Catholicus erat ille, imò & si ausim dicere supra regiam dignitatem, in fide superstitiosus interdum; oppressus tamen, cùm aut illi cedendum imperio, aut forent Sectariorum leges subeundæ, ea illis priuilegia condonauit, vt in suspicionem Caluinismi vocatus, perfida in se factionis arma conuerterit, quæ fidei fucum emendicata, ex omnium sententia vni coronæ inhiabat.

Reges Caluinistis ludibrio.

Henricus III. verè Catholicus.

In Caluinismi suspicionem vocatus.

Factio Catholicorum in Regem armatur.

Regis anxietas. Erat ergo Henricus inter sacrum & saxum dubius; placidè enim inclinãs in Catholicos, in Sectariorum odia incurrebat, ab odijs in bella ciuilia; si his contrà affectus regij beneuolentiam explicabat, armabatur in illum cum Catholica factione quæsitus in religione prætextus: ita vno, eodémque tempore quocumque se verteret vtrimque incumbebat hostis.

Ne videretur tamen à fide maiorum alienus, in Sectarios acies dirigit. bellum illis indicitur. plura hinc inde prælia committuntur; quorum luctuosissimum illud est, quod Henrico Nauarro Rebellium imperatore ad Cutracum geritur, vbi Ioüsa rei maritimæ summam habens, eiúsque à sancto Saluatore frater, vix adhuc adolescens, & cum illis primaria regni nobilitas cadit; non sinè in ipsummet Henricum suspicione, qui cùm ex amoris propensione Ioüsæ, vxoris suæ sororem matrimonio copulasset, obsignatam ab eo audiens Catholicam factionem, eo in eum furore excanduerat, vt opem ipse suam ad eius contulisse ruinam crederetur: crudelis sanè, si vera est accusatio, pœna; sed quæ ex non iniusto Dei iudicio in regij affectus immemorem incidere dicebatur.

In Sectarios arma conuertit.

Contras. Ioyeuse l'Admiral. S. Sauueur.

Praliū ad Cutracum committitur.

Ioüsa duo intereunt.

Germania, quæ nusquam Sectarijs defuit eo tempore copiosum in Galliam eorum auxilio exercitum educebat, cùm Guisius instructa ad Alnetum acie dimicans, quamquam viribus impar, confecit potentissimas legiones: vnde Caluinistarum emergebat excidium; nisi compacta ex dolijs claustra Lutetiana, quorum auctor Guisius ferebatur, Regem etiam inuitum adegissent ad auxiliares copias ab Henrico quamquam Sectario flagitandas.

Aulneau.

Guisius ad Alnetum Germanos conficit.

Claustra in Regem Lutetiana.

Non defuit Nauarrus fratri Henrico, donec post pacem renouatam, conuocatis Blœsas Comitijs Galliæ generalibus, visum est ex necessitate salutis, vt Guisij fratres interciderent: necantur ex Regis imperio illi, quorum alter Cardinalis

Blois.

Guisij fratres occiduntur.

grauioris in Regem fuit accusationis argumentum; verùm à culpa immunis dici poterat qui non habito subditorum delectu æquali omnibus imperat potestate: nisi vera fuit violatæ fidei accusatio, quò casu, si hæreticis seruanda fides, multò magis Catholicis, etiam perduellibus.

Vindicatura neces armatur Catholicorum factio. Mayenius in Henricos Reges arma conuertit, quibus Caluinistæ passim & Catholici adsunt, neque hîc habet historia vnde illos accuset, qui violato vbique Regum obsequio, tunc primùm quod natura iubet principi suo præstitere. Du-mayne.

Bellum Catholica factio in Regẽ mouet.

Interfectus Henricus III. latissimum disputationis campum in diadematis Gallici possessione aperuit: Borbonium Cardinalem, Regis patruum vnita factio; Catholici regij, & cum illis Caluinistæ Henricum Nauarræ tunc Regem, nominabant. Parum referre Catholicus esset, nécne, qui sibi debitam iure sanguinis coronam flagitaret: imperij & conscientiæ diuersos esse ordines, Caluinistam Regem, Catholicis; Catholicum posse ius dicere Caluinistis. Si conscientiæ libertas non deforet, non esse subditorum indagare quid Regi in fide placeret, neque esse quòd ab vnione Catholica querelæ mouerentur. Spoliandos alioquin auita possessione bonorum quoscumque Ecclesia hæreticos renuntiaret: regna, maximè quæ naturâ parantur, Regum esse bona & proprietates quas, quidquid in fide placuerit, quidni iure suo possideant?

Deberi Regi Catholico aut Caluinistæ, non habita fidei ratione obsequium.

Displicebant hæc omnia factioni. Regem hære-

ticum orthodoxis imperare nō posse, ex edictali lege vngendum in Dei Ecclesia eum, Archiepiscopū Rhemensem huic officio destinatum: Quando ergo & ab Ecclesia hæreticus exul, & indignus in quem manus Archiepiscopales ferantur, non posse in Regem assumi qui vngi nequeat. tacitam esse legem inter Reges, & subditos, qua libertatem illi suam non alio, quàm fidei orthodoxæ pretio vendunt: ex vna Dei gratia Reges imperare, quæ si in primo religionis fundamento defuerit, deficere necesse est imperium, quod illa vna nititur: esse insuper ex veteri Galliarum ritu, vt de pellendis regno suo hæreticis sacramento solemni Rex adigatur, quod, vt ab hæretico sperare ridiculum; ita Regem huiusmodi coronare luctuosum.

Opinio cōtraria.

Rheims

Radiabat intereà ex Hispanijs aurum, cuius fulgor, oculis etiam subtilissimis tenebras passim offundebat: res mira, diaphanum illud ad instar vitri colorati non applicabatur priùs Gallorum oculis, quàm mutata illicò in Hispaniam Gallia videretur: vbi contrà Henricus IV. fortunæ adhuc muneribus pauper, sola animi magnitudine diues, nihil habebat quo protegeretur, quàm iuris æquitatem, Catholicos regios, & Caluinistas, quos & hoc bello laudarem, nisi commodo quisque suo dimicasset: neque enim parum illis expediebat, Regem in Gallia coronari, qui præposterè secum de Sede Romana sentiret: minùs ergo pro Rege, quàm pro libertate, & conscientia depugnabant. rem prodidit supra quàm dici possit verissimam Henrici IV. ad Catholicam fidem conuer-

Hispani auro suo Gallos factionis vnita corrumpūt.

Sectariorũ fidei ipsi Henrico parum tuta. sio,in quem anteactorum immemor, conuitiorum genus omne coniecit Caluinistarum illa fides, quæ se antè Regi sinè conditione addictam faciebat: adeò verum est, infidam gentem, Reges in vna sectæ vtilitate veneratam. hinc collegere ad ea tempora sapiẽtes minùs à Sectarijs amatum Henricum vt Regem, quàm vt Caluinistam.

Non ita Catholicis regijs obtigit, qui debitum sanctæ Sedi honorem ex maiorum fide rependentes, neque ideò minùs Regem, sequuti Caluinistam, id profiteri videbantur, an iure vel iniuria ipsi viderint, non habendam in obsequio Regum religionis rationem. obedientiam, quæ Regibus debeatur, nihil habere commune cum fide *Eorum in Henricum IV. conuitia.* Catholica. Henrico IV. antiqua hinc inde pacante dissidia, nihil in illum Caluinismus tentauit supra calumnias, & conuitia, quibus, in auiditate coronæ, de violata fidei integritate deferebatur: indignum esse qui cœlo protegeretur, cuius ambitio in spe diadematis mutauerat fidem. His plura addebantur, quæ regiam maiestatem ad pœnam temerariæ loquacitatis impulissent, nisi clementiam ille ad primum regni sui exordium in vtramque Galliæ fac- *Liberalis erga Caluinistas Henricus IV.* tionem sibi proposuisset: vixit ergo in hoc proposito diu non infeliciter. Quia tamen, quod neque diffiteri liceat, non parum in adeptione coronæ Caluinistis debebat, liberalitates & gratias in eos sinè numero contulit, quibus, deposita tandem aliquando feritate, Regem in Gallia Catholicum paterentur: renouauit ad longiores annos vrbium, ex maiorum concessione possessiones, quæ fidei obsides

des forent : vrbes itidem quas illi, matrimonij, fœderis, securitatis dicunt numero plures, seu loci genium, seu artem spectes munitissimas, ea illis religione conseruauit, vt parentis erga eos officio functus, habeat in Elisia felicitate vnde sectam accuset, quæ tot nominibus patri deuincta, in filium Regem pari subditos omnes amore prosequutum proditoriè arma conuertit. Quo tempore Henricus IV. post stabilitam in Gallia pacem, ignotam extra Gallici fines imperij expeditionem, tremente ad bellici famam apparatus Europa designabat, manu proditoria interficitur.

Ingrata illorum secta.

Henricus IV. interficitur.

Obstupuere Sectarij ad rem non præuisam, donec ad annum M. DC. XI. conuocatis Salmuriam Comitijs generalibus sepultam Democratiæ memoriam eruunt, in diuturniore Henrici magni imperio penè obliteratam. ibi Regis ætas, adhuc in pueritia ludens profertur, suscipienda impune omnia, dum adhuc imperium in infantia ferè vagiebat: ibi motæ querelæ, de ærarij regij Suillio administratione prærepta. ibi omnium conclusum sententijs, vt Suillius idem de non abdicanda rei tormentariæ maiori præfectura, quidquid in remunerationem accederet, rogaretur. Querebãtur præterea tentatam hac parte viri illustrissimi patientiam, quem destitutum iam ærarij præfectura, iniquum sit adigi ad extrema. non pati se posse vt officium militare tanti momenti, à reformato citra flagitij notam in Catholicum transeat, his accedebant plura, quæ ex omnium iudicio rebellionem induxerant, nisi Medicæa Maria, supra Mediçeam, de qua

Saumur

Sulli.

Marie de Medicis.

Comitia Sectariorũ generalia Salmuriam cõuocantur.

Mouentur questus.

Maria Regina prudentia.

iam antè, & sagax & fortunata, singulari prudentia obstitisset. plura petentibus (quæ erat temporum miseria) vix aliquid illa recusauit. sanè pluribus nominibus liceat auream illius administrationẽ dicere, sed hinc maximè, quòd auro iam antè affatim ab Henrico coniuge collecto, sibi sæpius Rebellium fidem addixit: digna sanè, quæ æternam in historia memoriam sortiatur, cui minùs debemus vt matri LVDOVICVM, quàm vt conseruatrici Regem. profusis sæpius illa donis vbi de Regia salute agebatur, sibi filium amantissimum, nobis dignissimum, qui diu imperet Regem, conseruauit. Impetratis ex Reginæ prouidentia Sectarij, quæ flagitabant, post remuneratos auri largitione, pensionibúsque opimis magnates, & Ministros, in prouincias suas solutis Comitijs rediere.

Soluuntur Salmuria Comitia.

CAPVT III.

EPITOME.

Caluinistarum in Hispanos odium pacta in Regijs matrimonijs fœdera morari tentat. fidem Condæo Principi violant. Benarnenses Episcopi, Ecclesiæ patrimonium quod mala fide Sectarij detentabant, repetunt. non displicet Regi Libellus supplex. Benarnensium vsurpatio ab origine trahitur. Renardus in prouinciam missus, malè habitus redit. flagitata à Sectarijs Comitia certis conditionibus impetrantur.

SVMMA rerum in Europa penès duos principes multis ab hinc seculis fuit, Gallum nempe & Hispanũ: hic auro potentissimus, ille militum numero; multiplices hic coronas, ille plura in vna Galliarum ditione diademata possidet; vastiora huic regna, sed longiori locorum interuallo seiuncta, illi vnitæ prouinciæ plures, quarum vel minima Coronæ gloriam mereatur; hic Orientem partim cum Occidēte, ille orbem, si par est dicere totum, in virtute Gallorum, in ense suo possidet; hic Catholicus, ille Christianissimus, vterque maximus: denique nemo diffiteatur, omnium in Europa fortunam principum, in Hispani & Galli arbitrio positam, adeò in æquali potentia voluit illos omnium diribitores Deus.

Gallia & Hispania regū æqualis potestas.

Salutem reliqui orbis, duo illi in arbitrio habent.

Francisco hinc, illinc Carolo imperantibus, ea pertinacia, bella sibi mutuò intulerant olim duo florentissima regna, vt theatrum totius Europæ tragicum non immeritò dici possent. extinctis veteribus illis dissidijs, nouæ odiorum causæ in factione Catholicorum vnita, quam auro suo Hispania fouebat, successerant: vetera illa, hæc noua, nondum penitus exciderant animo. vt ergo tandem consisterent inueterata inter vicinos odia, iam olim Henricus dum viueret, noua in matrimonijs fœdera designarat, sed morte inopina prӕuentus nõ potuerat regias hymenæi faces in strato nuptiali accendere.

Bella ab Hispanis in Gallos sæpius mota.

Designata ab Henrico olim in matrimonijs duobus fœdera.

Maria ergo LVDOVICI mater, coniugis sui affectus vbique amanter complexa, ad annum M. DC. XV. in mutuo Regum matrimonio confæ-

Maria regis mater tentata perficere conatur.

derationem adimplere studebat: cùm Sectarij inita in perniciem suam fœdera rati, omnia in contrarium tentant. Nec mora, Condæum adigunt vt armata secum manu prosiliat: dictis paret perniciosè suasus primarius princeps, & ne quid inconsultâ Rupellâ procederet, Rupellam petit. ibi gratulabundè exceptus, comitia Sectariorum generalia Gratianopoli, Nemausum transfert. illis Condæus, Condæo illi Principi adsunt: datâque armorum sibi inuicem fide, bellum iam inferre parabant, cùm Regina Regens, seditiosæ Sectariorum nobilitati, & Ministris, numerata, quà fides vænalis erat pecunia, id profusa liberalitate effecit, vt à fide data recederent: vnde Sectarios ille fertur odio immortali prosequutus. Destitutus ergo Caluinistarum ope, qui de bello sinè illis cogitare non poterat, pacem inijt, quæ diutina post adimpletos hymenæos sperabatur, nisi rebellio iterum ex Nouatorum machinatione prodijsset.

Datam Condeo fidem Sectarii violant.

La Rochelle.

Grenoble.

Nismes

Hinc Condas in illos odium.

Conuocantur à Rege Lutetiam Comitia trium Galliæ Ordinum generalia, quibus id præcipuum fuit, vt in Benarnio Dei cultus in fide Catholica restauratus, clerum in patrimonij sui possessionem induceret. Magna erat in supplicis libelli subscriptione difficultas: quinquaginta enim iam annorum fidei Catholicæ à Benarnio exilium, eam auctoritatem prouinciæ Ministris addiderat, vt ab ijs postulatorum concessio pendere videretur. iam abierant in priuata Ecclesiæ hostium patrimonia, decimæ, obuentúsque sacri ex primæua auorum pietate parti. & hæc erat illius prouinciæ facies ab anno Do-

Comitia trium Ordinum generalia Lutetiam conuocata.

Orthodoxi Euangelij in Benarnio restaurationem petunt.

Luctuosus Benarnij status.

Bearn.

mini M. D. LXIX.

Ieanne d'Albret. Mongómery Ioanna Labretana, Henrici Magni mater, poſt fidem Catholicam in Benarnio ditione ſua, radicitùs extirpatam, ex Mongommerij, & Miniſtrorum ſuaſione bona Eccleſiæ omnia ſibi lege edictali adſcripta, conducendis Miniſtris, ſtabiliendóque Caluiniſmi Collegio deſtinarat: ab illa Henricus IV. Benarnij princeps, poſt agnitam Romanæ ſedis primatiam ad hereditariam Galliæ coronam vocatus, impetrauerat à quibuſdam prouinciæ municipijs conſcientiæ libertatem: ne tentata quidem de reſtituendis Eccleſiæ redditibus quæſtione, adeò videbatur ſupra vires hominum tanti moles negotij; donec poſt Henricum patrem, nouam ſeculo amænitatem inducere parans LVDOVICVS; hinc à conſcientiæ ſuæ Conſilio; illinc ab Epiſcopis Benarnenſibus, vtrimque à Comitijs Galliæ generalibus ſuaſus, credidit reſtituenda tandem aliquando Eccleſiæ, quæ inimica hæreſis vſurpaſſet. Ne tamen eſſet quod Miniſtri Benarnenſes de prærepto ſibi patrimonio ſuo (ita enim decimas appellabant) quererentur, eis edicto regio, ex prædijs vectigalibus, annuæ penſiones præſtari iubentur, quas ex ademptis ſacrorum redditibus ſolerent percipere. ita reſtituebatur Eccleſiæ dignitas ſua, fiebátque in regia liberalitate Miniſtrorum auaritiæ ſatis. *Eccleſiæ bona Miniſtris Ioanna addicit.* *De reſtituendis iis quæſtionem non auſus Henricus tractare.* *Tractat Ludouicus.* *Indemnes Miniſtros præſtare conatur.*

Renard maiſtre des Requeſtes de l'hoſtel. Iam ergo in propoſitione tam iuſta nihil eſſe videbatur, quòd regij progreſſum edicti morari poſſet, cùm Renardus libellorum ſupplicum in Regia Magiſter exequi rem iudicatam iuſſus in Benar- *Renardus in Benarnium mittitur.*

Edicti executionem suadet. nium mittitur: ille Calend. Iulij post datum sibi Senatum, minorem esse rei difficultatem dixit, quàm vt flagitaret colligendæ sententiæ formulam: solam voluntatem sufficere, quando à Rege imperium manat. velle in hac hypothesi Principem ita cum subditis agere, vt licèt non alia, quàm placiti ratione rem exequi posset, cupiat tamen subditorum adesse consensum: quibus, cùm nihil sit, quod de edicto querantur, non dubitare se quin imperijs sinè dilatione pareant. *Forceus executionē edicti moratur.* Præerat prouinciæ Parlamento Forcæus prorex, cuius supra auctoritatem facundia id effecit, vt regium edictum, promulgato ad easdem Calend. arresto antiquaretur. La Force.

Benarnii solum terræ motu concussum. Ferunt paucis ab hinc diebus, Benarnij solum, eo terræ motu fuisse concussum, vt regiæ, quæ Pauij Pau. Regum Nauarræorum illustre olim palatium erat, pars maxima, quassatis fundamentis corruerit. vnde non incerta erant Rebellibus proximæ ruinæ præsagia, si quid erga eos è cœlo in abdita terræ penetralia demissæ monitiones valuissent. Post agitatam diu in sanctiore Consistorio de bello quæstionem, *Regis in termino præfiniendo propositum* placuit præscribi Sectarijs terminum, intra quem, si iussis pararent obsequia; renouaretur pristinus erga illos affectus; sin minùs vindicaretur aperto marte Regia cum Ecclesiæ dignitate maiestas. Graue admodum videbatur præscripta longi temporis possessione bona, non alia via abdicare, quàm solo Regis placito: quia tamen aut subeunda imperia, aut belli periculum imminens, *Rebelles Comitia flagitant.* extrema tentaturi simulatis ad obsequium votis, Comitiorum sibi fieri potestatem deposcunt, hac

mente, vt aut Regis animũ auerterent à proposito; aut si perstaret, esset illis in collecto iam Comitiorum corpore, instruendi exercitus facultas expeditior.

Lodun. Annuit clementia Regis: indicuntur Loduni Comitia: adsunt prouinciarum oratores, pleraque proponuntur, quorum hoc primum caput (VTRVM IESVITÆ IN VRBIBVS REFORMATIS AD EVANGELII PRÆDICATIONEM ADMITTI DEBERENT) neque diu agitatum negatoriè deciditur: habent enim (vt hoc obiter dicam) Nouatores in eo odio doctos illos è Societate Theologos, vt si quid ijs auctoribus prodit, nouæ sit illicò Satyræ argumentum. tacitum fuit hoc placitum, quod dum exequi tentant, motis à Procuratore fisci coram Parlamento Parisiorum querelis, iubentur ex veteri ritu, Ecclesiastas è Societate admittere, qui missione sua defuncti feliciter, innumera pericula euasere. Secunda quæstio de Lectora fuit, quæ ad ea tempora à Caluinistis ad Catholicos defecisse credebatur in hunc modum. *Impetrãtur Comitia.* *Caluinistarum in Iesuitas odiũ.*

Lectoure. Lectora diuiditur in vrbem & Castrum. Castri paucis antè annis præfectum Engarinum, inter Nouatores regium, præfectura destituerat Rhoanæus; eiúsque loco Fontaralium vrbis rectorem ideò præfecerat arci, quia addictus sectæ, Catholicis tunc erat infensus: vrbis ille & Castri dominus, post agnitam recèns orthodoxæ fidei veritatem, tegebat adhuc, quamquam ægrè, rem in amplexa veteri fide nouam, non dubitans, quin dissidij publici causa foret. Verùm quia difficile ignis ce- *Illius descriptio.* Engarin. Rohan. Fontarailles. *Fontaralis ad Catholicam fidem conuersio.*

latur, quem flamma prodit aut fumus: non potuit ille feruentioris fidei zelum diutius simulare: quinimò professus se Catholicum in Rigordi Iesuitæ viri maximi manibus, veterem hominem palàm abdicauit. Rigord.

Caluinistæ dolent cum Fontaralio Lectoram amissam.

Post euulgatam conuersionem vix dici potest, quo Sectarij luctu Fontaralij & Lectoræ iacturam fuerint prosequuti. erat eius ille conditionis, qui prosapia & virtute non vulgare nomen in prouincia sortiretur: præualuit tamen ex arce amissa conceptus dolor: eius enim illam momenti, cum inaccesso genio loci, faciebant regularia ex arte munimenta; vt, si Rupellam eximis, prima inter Sectarias Galliarum arx credi posset. In id ergo omnium sententijs itum, vt repeteretur à Rege Lectora, quam si negaret, bellum inferretur. Addebatur, iniuriosum esse eodem cœlo solóque natos homines, ideò solùm Senatorijs priuari dignitatibus, quòd malè de Sede Romana sentirent; quare flagitandum & illud, vt in quolibet Parlamento, Lutetiano maximè, duo ex Sectarijs, dirimendis indistinctè litibus admitterentur. petebatur item edicti Nannetici obseruatio, eo maximè capite, quo nouari aliquid vetabatur: introduci rem hodie nouam, dum Rex de transferendis Ministrorum bonis in Romanã Ecclesiam cogitabat. Commenta esse & ludos quidquid suadendæ prouincialibus mutationi proponeretur. Regem quidem omnia ex placito regere: sed ex tacita cum subditis stipulatione, fundamentalibus eum regni sui legibus alligatum: leges has omnium Reginas, ipsis

Lectoram Comitia repetunt.

Duos in Parlamentis singulis ex suis Senatores postulant.

Nantes

Legem Benarnii edictalem opponunt.

quoque

quoque Regibus imperare. Vnam hanc esse in Benarnio legem fundamentalem, vt bona hæc à Catholicis in Sectarios longiori iam æuo translata, in eorum ditione remaneant, ita visum olim Comitijs Benarnij generalibus à Ioanna conuocatis, quorum est, leges eiusmodi futura in perpetuum imperij fundamenta stabilire. Ioannæ ex recta linea nepotem esse LVDOVICVM, qui tantùm abest vt sanctas leges eius auctoritate promulgatas concutere, quin deberet potius, suadente id erga maiores pietate, illarum cõseruationi impensiùs incumbere.

Ludouicum habita Ioãnæ auiæ ratione nihil in Benarnio mutare debere.

Hi erant Sectariorum questus, de quibus hîc districtè, quia in decursu historiæ occurret sæpè, quod de his disseramus: quamquam non deerat ad hæc omnia lacessito Regi responsio, quæ has subditorum querelas ostenderet nihil esse, quàm belli prætextum. Sed hæc alibi.

CAPVT IV.

EPITOME.

Comitia per circulos conuocantur hoc ordine: Insula Franciæ, Burgundia, Normandia, Andes, Bituriges, Pictones, Santones, Rupella, Aquitania vlterior & Citerior, Narbonensis prouincia item vlterior & citerior, Viuarienses, Cebenni, Delphinatus, Prouincia & Benarnium. præscribitur agendorum ordo, digestisque in septem capita propositionibus, missi ad Regem legati re infecta redeunt: donec Courelesius absolutos Regi of-

ferens terniones, Comitia iubetur dimittere, abnegant imperium Oratores, perduelles renuntiantur. demum Lesdiguerius & Chastilhonius compositis dissidijs Comitia soluunt.



VIA Loduni habita Comitia, Rebellionem cui accingimur, induxerant: ea hîc paulò altiùs repetere liceat. Lodun.

Rex diu Sectariorum precibus importunis fatigatus, rescripto nuper Comitiorum fecerat potestatem: lectâ demum illi vrbe habendis Comitijs oportuna, Lodunum pridie Kal. Octob. conuenêre Lodun. prouinciarum simul & Oratorum distincta hæc series.

L'Isle de France.

INSVLA FRANCIÆ.

Le Vidame de Chartres. La haye, Charny, Blondel Ministre de Houdan. Sucur Aduocat de Bologne.

Ex Nobilitate. Vicedominus Carnutensium, Lahayus, & Charnius.

Blondellus Houdani Minister.

Ex plebeio ordine. Sueürus Bononiensis Aduocatus.

BVRGVNDIA.

Bourgogne. Villarnoul. Iarlaud. Despreaus. Fossias. Granier Aduoc. de Dijó.

Ex Nobil. Villarnoullius & Iarlandus.

Despreausius & Fossiasius, Pontis Vedæi Ministri.

Ex pleb. ord. Granierus in Diuionensi Parlamento Aduocatus.

NORMANNIA.

Normãdie. Colôbieres. Lahaye. Dupuy Barô de Meneuile. Courtomer. Baunage.

Ex Nob. Colombieresius, Lahayus.

Puteanus Baro Meneuillæus, Baro Courtomerus.

Bannagius, Carantanorum Minister.

Ex pleb. ord. Alaynius apud ſanctum Laüm Aſ-ſeſſor. Alain.

BRITANNIA. *Bretagne.*

Ex Nob. Marchio Mouſſayus. La Mouſ-ſaye.

Laplacæus, Miniſter Sionis. La place.

Ex pleb. ord. Heuleſius Seneſcallus Bellini. Heules.

ANDES. *Aniou.*

Ex Nobilitate. Claromontius, Marchio Galeran-dæus, Primaudayus. Clermont. Galerande. Primaudaye.

Leſpinayus Miniſter Lodunenſis. Leſpinay.

Ex pleb. ord. Hannibal Farſius, Menüaüs Loduni Regius Aduocatus. Farſy. Menuau.

BITVRIGES. *Berry.*

Ex Nob. Denonuillius, & Aniaüs. Denonuile. Aniau.

Imbertus, Miniſter Aurelianenſis. Imbert.

Ex pleb ord. Chaſſerayus apud Giennas fiſci pro-curator; Pleſſius. Chaſſeray. Pleſſis

PICTONES. *Poiſtou.*

Ex Nob. Veracus, & Beſſayus. Verac. Beſſay.

Clemencæus Miniſter. Clemenceau

Ex pleb. ord. Milleterius & Malerayus Aduocati. Milletiere. Maleraye.

SANTONES. *Xaintonge.*

Ex Nob. Iarnacus & Corellæus. Iarnac. Corelles.

Chappelierus Miniſter Rupellanus. Chapeliere.

Ex pleb. ord. Paternæus, & Chailoüs Santonum Aduocatus. Paterne. Chailou.

RVPELLA. *La Rochel-le.*

Pro municipali domo, Ludouicus Bernęus, & Mou-neraüs. Berne. Mounereau.

Pro oppidanis, Baudoüinus Iudex, & Stephanus Gothofredus. Baudoüin. Godefroy.

AQVITANIA INFERIOR.

Basse Guyenne.

Castelnau. Fauas. Le Vicomte de Casters. Hesperien. Delatourgeneft. Piedferré.

Ex Nob. Marchio Castronouanus, & Fauasius. Vicecomes Castesius.
Hesperienus, Minister apud fanum S. Fidei.
Ex pleb. ord. à Turregenestus & Pedeferreus.

AQVITANIA, ET PROVINCIA Narbonensis Superiores.

Haute Guyenne. Haut Languedoc.

Comte d'Orual. Senegas. Iosion. Texier, Guerin.

Ex Nob. Comes Oruallus. Baro Senegasius.
Iosionus Castri Albigensium Minister.
Ex pleb. ord. Texierus Aduocatus Lectoræ Regius, & Guerinus Iudex.

PROVINCIA NARBOnensis inferior.

Bas Languedoc.

Giraud. Clauier de S. Cosme. Chaune. Chalas. Fous.

Ex Nob. Giraudus. & Clauierus à sancto Cosma.
Chaunius, Minister Soumierensis.
Ex pleb. ord. Fousius, & Chalasius Nemausi Aduocati.

CEBENNÆ.

Seuennes.

Ganges. Masaribal. Faiguerolles. Daeres, Molius.

Ex Nob. Baro Gangeticus, & Masaribaldus.
Faiguerolius, Minister sancti Hippolyti.
Ex pleb. ord. Daëreüs, & Molinæus.

VIVARIENSES.

Viuarés.

Laual. Esperuier. Mirabel. Rauery. Oliuier. Romee.

Ex Nob. Lauallæus, Baro Esperuierensis, & Mirabellus.
Rauerius Minister.
Ex pleb. ord. Oliuarius & Romæus.

DELPHINATVS. *Dauphiné.*

Ex Nob. Monbrunus, & Campoleonus. Monbrun. Chãpoleon.

Bouteroüs, Minister Gratianopolitanus. Bouteroüe.

Ex pleb. ord. Leuarsius, & Bernardus Aduocati. Leuars & Bernard.

PROVINCIA. *Prouence.*

Ex Nob. Baro Seuasius. Seuas.

Mauricius Minister. Maurice.

Ex pleb. ord. Sauorinus. Sauorin.

BENARNIVM. *Bearn.*

Ex Nob. Lescunus Senator in Benarnij Parlamento, & Bensinus. Lescun. Bensin.

Cadeuillius Minister Castri Nauarræi, & Rostellaynius. Cadeuille. Rostelain.

Ex pleb. ord. Dargelotetus Aduocatus. Dargelotet.

CIRCVLORVM OMNIVM
Generales Oratores.

Berteuillæus, & Maynaldus. Berteuille. Maynald.

MAGNATVM LEGATI.

Plessibelayus, Ducis Tremollij L. Duplessisbelay.

Lambaudierus, Rhoanæi L. Lãbaudiere.

Bousselayus, Forcæi patris L. Labousselaye.

Post distributos in hunc ordinem Circulos, cœtus Comitialis VI. Cal. Octob. aperitur, cui prima die Berteuillæus, & Maynaldus Circulorum Galliæ Legati generales ideò præfuere, quia confusis adhuc omnibus, nondum Officiorum Magister ex Circulorum dignitate diuiserat sedes. Abijt post primam secunda diæta in legendis diplomatibus Circulorum, quibus delegati à suis prouincijs auctorabantur. donec ad diem tertiam Carnuten-

Berteuille. Maynaldus. *Legati Circulorum generales Comitiis interim præsunt.* *Præses Comitiorum eligitur.*

sium Vicedominus Comitiorum præses, Chaunæus Minister adiunctus, Chalasius & Malerayus à secretis eliguntur: his ita ordinatis ex solita formula (quod ad Dei & gregis maiorem gloriam verteretur) operi se accingunt, adacti priùs sacramento solemni, Ecclesiarum impensiùs commodo incubaturum quemque, secreta Concilij habiturum in abdito, præstiturum Comitijs imperantibus sinè disquisitione mandati obsequium, quæcumque demũ suggesserit conscientia sinè timore prolaturum.

Vidame de Chartres. Chauné. Chalas. Maleraye.

Sacramentũ ad quod Oratores adiguntur.

Primus omnium Lescunus Rebellium in Benarnio caput, & supra fidem Sectæ addictus, libertatem, & immunitates proponit, quas à longiori æuo Ecclesiæ Benarnenses ad ea tempora possedissent; quæ omnia, ne fusa supra modum oratione tædio forent, libellulo fusiùs explicata, dedit Oratorum cuique ad manus. Ibi probaturus, non posse ex æquo Episcopos Benarnenses, in primæuam restitui bonorum possessionem: adijciebat, si contrà instaretur, quærendum in armis remedium; tyrannidem esse ferro, & flamma vindicandam; quemlibet conatum qui id contra prouinciæ libertatem contenderet reprimendum.

Lescuni propositio. *Lescun.*

Eius contra edicti Benarnensis executionẽ libellus.

Benarnensium querelis accedebant plures reliquarum questus prouinciarum, vnde compilato ex parte ternione, Comitia VII. Calend. Nouemb. Marchionem Moussayum, & cum illo, ex quolibet ordine lectos Oratores ad Regem delegant: intereà dum Loduni operi absoluendo cœtus incumberet. septem erant articuli, quos Regi Moussayus obtulit hoc ordine.

Moussaye. *Lodun.*

I. Reuocabitur edictum, quod est de restituendis Ecclesiastico ordini bonis, quæ Reformati in Benarnio possident, aut saltem eius executio in longiorem dilationem protrahetur.

Dauphiné. II. Securitatis vrbes, maximè quas in Delphinatu habemus, nouo nobis diplomate in futurum concedentur.

Lectore Fontarailles. III. Substituetur in Lectoræ præfectura Fontaralio, hodie Catholico Romano, quem Comitia Regi nominabunt.

IV. Iuxta nuperum Loduni edictum duo ex nostris Parlamento Lutetiano ascribentur.

Dijon. Paris. Substituts des Procureurs generaux. V. Duo itidem in Parlamentis Diuionensi, & Lutetiano, procuratorum Fisci Substituti, ex placito Comitiorum adijcientur.

Tartas. VI. Tartasij illata nobis nuper iniuria ex bono, & æquo reparabitur.

VII. Consumptum flammis à Catholicis Burgi templum, illorum, aut regijs sumptibus reficietur.

Ad hæc districtè Rex, non esse id ex regia dignitate, vt subditos secum partiarios pateretur: esse illis plura, quæ tacita adhuc mente retinebant, facturum se ex æquo petitionibus satis, si adæquatè in quaterniones omnia referantur. *Regis responsum.*

Redeunt ad Comitia delegati, vbi, eorum relatione facta, quæ à Rege audissent, impulere animos segniores, vt sinè mora compilandis ternionibus suis incumberent: vnde ea celeritate processit opus, vt ad Calend. Decemb. parata omnia nihil iam præter Regis subscriptionem desiderarent. In id tamen tacito Senatusconsulto conclusum, vt quò res *Delegati Regis responsa ad Comitia referunt.* *Parantur terniones.*

cumque caderet, numquam soluerentur Comitia, nisi post obsignatum petitionum libellum.

Courelesii ad Regem oratio.

His ita constitutis Courelesius, Bouteroüs, & Alaynius digestam postulatorum schedam in hæc Regi verba obtulere.

Lætari Comitiorum Ordines, quòd humanissimus Rex ad occasiones singulas non difficulter sui copiam faceret Reformatis: maius tamen hinc illis emergere gaudium, quòd in libertate accessus, prompta eorum fides, obedientia (quam cœcam vocant) obsequium sinè disquisitione mandati præceps, regijs in dies oculis exhibeantur. Prodijsse nuper à Maiestate regia iussum, cuius hodie adesset executio: dictis paruisse sinè dilatione subditos promptioris capaces obsequij, electum se ad opus gratissimum, terniones adæquatos offerre; quibus magis publica regni salus, quàm priuata Reformatorum commoda contineantur. Vnum esse salutis illius amorem, qui ab inuitis penè Comitijs querelas extorqueat: quippe quibus nihil adeò cordi sit, quàm vt aliquando tandem, in antiquo Patrum splendore, in veteri Liliorum dignitate, refloreat Galliæ decus. non esse Reformatis in mente aliud, dum propriæ impensiùs student conseruationi, quàm in se imperij columina, Gallici status colũnas ab iniurijs vindicare: ita natos in Gallia Reformatos vt eorum bona maláque ad rem publicam pertineant: si priuati interdum habetur ratio commodi, spectari vltimò illud, neque vt commodum, sed vt quid ad publicam vtilitatem conducens. Æquam esse debere in Regum manibus lancem, principem solem

Sectariorũ fidem extollit.

Obedientiam memorat.

Calamitatem publicam confessi dolens.

Æquum esse debere Regem.

ſolem eſſe qui ſinè delectu pari omnibus lumine radiet: diuidendum alioquin in peſtilentiſſimas factiones imperium. In ſupplicis obſignatione libelli, celeritate opus eſſe; adfuturos redeuntibus in prouincias ſuas delegatis, populorum vbique applauſus, qui à ſeruitute in libertatem reuocati, vota pro regis ſui conſeruatione, fœcunditate prolis, ſubditorum erga illum amore, propagatione imperij nuncupabunt: populum, ſi bellua eſt multorum capitum, vt vulgò iactatur, tot organis, quot illi ſunt capita, tot vocibus, quot illi fauces, pro Rege LVDOVICO in cœlum acclamationes ea alacritate emiſſurum; vt inde gaudium amicis, terror inimicis, alta omnibus emergat admiratio. Id flagitare à manſuetiſſimo Rege, ſubditos religionis quàm reformatam dicunt, illi ad omnia ſinè conditione mancipatos. Ad ea Rex diſtrictè, vt aſſolet, facturum ſe ex æquo petitionibus ſatis reſpondit, ſi ex data fide Comitia ſoluerētur. poſſe eligi ex Oratoribus duos, qui ſe quocumque pergeret ſequerentur, donec ex voto ternionum capita ſubſcripſiſſet: contrà, ſi diutius ſubſiſtere deſtinarent renuntiari ex hinc Comitiorum fautores quoſlibet publicæ perturbatores quietis, perduellionis reos, in quorum impunè bona & capita graſſari liceat.

Populorum applauſus in libelli ſubſcriptione promittit.

Precatur Regi felicia.

Reſpondet Rex.

Reducendis intereà in officium ſuum Comitijs, Rex, alioquin extrema tentaturus, Meynium & Mareſcotum viros ingenioſos Lodunum mittit, qui dato ſibi ad VI. Eid. Maij Senatu dixere; Id ſe à Rege accepiſſe imperij, vt Oratoribus Sectarijs iam vltimò indicerent Loduno diſceſſum, ſi deeſſent

Le Meyne. Mareſcot.

Legati à Rege ad Comitia.

iussis obsequia, nihil esse sperandum salutis in vrbe nullis adhuc munimentis obducta, adfuturum sinè mora in valentissimo exercitu Regem. plura his addidit Maynius, quibus aut in dilatione obsequij incuteretur terror; aut in prona obedientia spes salutis adesset; nec ideò tamen à proposito destitit, in Rebellionem apertè inclinans Sectariorum animus: quamquam, ne primi bella denunciasse viderentur, nouos delegant ad Regem Oratores, Baronem Veracum, Hayum, Hesperienũ, & Guerinum; qui ad VIII. Kalend. Febr. Regi exhibiti, iam sæpius ad nauseam dicta repetiêre. Verùm in furorem abiens sæpius læsa patientia principis, aut soluenda comitia dixit, aut crimen maiestatis læsæ incurrendum.

Legati Comitiorum ad Regem.

Verac. Haye. Hesperien. Guerin.

Differentibus adhuc illis, exijt à Rege diploma, quod tabulis parlamenti Lutetiani ascriptum, adhærentes Comitijs quoslibet læsæ maiestatis reos renuntiabat: vnde belli educebantur non incerta auguria, nisi vulneri medela promptior adfuisset.

Ad ea fortè tempora Lesdiguerius & Chatilhonius, Sectarij duo, Lutetiam venerãt: quibus tamen adeò cum salute publica, regia cordi fuit auctoritas, vt ex communi voto iustæ Comitiorum solutioni studuerint. videbatur prima fronte magnæ difficultatis negotium; sed innata viris maximis in Sectarios suos potestas, arduum opus in plano posuit. rediguntur in tria capita petitiones, quorũ primum de duobus in Lutetiano Parlamento Senatoribus, ascribendis, alterum de Lectora restituenda,

Lesdiguerius & Chatilhonius omnia in melius mutant.

Lesdiguieres. Chatilhon.

Conditiones quibus obtigit Comitia solui.

tertiũ erat de vrbibus, quas securitatis appellitant in certum ordinẽ redigendis. Soluuntur Comitia, delegantur ad Regem duo, qui quocumque pergeret sequerentur: non defuturam intra sex menses regiam illorum petitionibus subscriptionem; audiendos dehinc Benarnensium Oratores. Erat hæc summa conuentionis; cui Sectarij addidere: sibi ex stipulatione tacita à Ducibus Cōdæo, & Luinęo promissum; vt si ad ea tempora deforet ternionibus subscriptio expetita, liceret etiam non impetrata venia, quò lubuisset, Comitia iterum cogere; cuius quidem promissi nō habeo auctoramentum aliud, quàm propria Sectariorum scripta, quibus, quanta fides habenda sit, videat quicumque hæc leget. hinc conuocatorum sinè diplomate Regio, Rupellam Comitiorum innocentiam illi euincere tentant, qui, deficiente vt aiunt regiæ pollicitationis effectu, poterant, Rege etiam inconsulto, Comitia restaurare. His ita ordinatis Vicecomes Fauasius, & & Chalardus eliguntur, qui Regi renouandæ identidem subscriptionis memoriæ adforent.

Condé. Luines.

Hinc legitimè Rupellam conuocata Comitia probare tentant Sectaris.

Fauas. Chalard.

Dum hæc ita Loduni geruntur, Sectarij Viuarienses arma capiunt: quia verò hinc belli originem plerique trahunt, rem paulò altiùs repetamus.

Viuarés.

CAPVT V.

EPITOME.

Probatur ab odio, & amore bellum inductum: ab odio, quia Sectarii ex innata sibi feritate Reges oderũt: ab amore, quia Vice-comitis Chailani, & Dominæ Priuatensis noti amores, Priuatii oppidanos in Dominam ad arma impulere. à seditione exordium, quæ tamen ex Masnaüi diligentia, penitus euanuerat, nisi Chailanus postmodùm ducentos ex Sectariis obuios magna ex parte interfecisset. indicitur Priuatii prouincialis Synodus, dum ab amasia sua Chailanus monitus Priuatiensi Castro oportunè excipitur. inter nuptiarum solemnia oppidani Castrum obsidione cingunt, Mommorancius adest, vrbs obsidetur, vnde subsequuta breui deditio omnia mutauit in melius.

SCIVNT quibus rerum nota veritas, post Lodunẽsium decreta Comitiorũ de quibus antè, odium, & amorem bello cui accingimur causam dedisse. ordiamur ab odio. Nemo nescit Nouatores quotquot Europæ ambitu continentur, seu Caluinistæ sint, Lutherani, Zuinglij, seu cuiuslibet alterius Sectæ, principes naturâ suos adeò habere infensos, vt vix illorum imperia pati possint, hinc ducta, vt audio, formula, quòd ex reformata quam vocant conscientiæ lege, in statum popularem omnium studia conuertuntur: hinc in

Sectarii omnes odio immortali Reges prosequuntur.

Reges odium, hinc destruendæ potestati illorum supremæ, assidui proditoriæ reformationis labores. Testes Ordines Belgici, qui ad exacti iam penè seculi primum exordium, Regum pertæsi, excusso iugo, in liberam Rempublicam abiere. testis Geneua illa Alobrogum, cui Dux Sabaudiæ olim dominus ne nomine quidem hodie imperat. testes Bohemici Protestantes, qui ditionem suam à potentiori Imperatore, in Palatinum ideò nupera rebellione trãsferre parabant, quia in principis minoris, minùs absoluta dominatione, spes maior popularis dominij affulgebat. testes nostri in Gallia Sectarij, qui vt suprà ad prima capita ab Henrico II. ad LVDOVICVM XIII. districtè relatum, in id vires, & animos contendêre, vt proscripta Regia dignitas statum popularem admitteret. hinc belli originem trahunt sapientes. Ab odio venio ad amorem, publica illa, hæc belli fuit priuata causa.

Les Estats d'Hollande. Geneue en Sauoye. Boheme. Le Cõte Palatin.

Allata in res fidem exempla Belgii, Geneua, Bohemia, Galliæ.

Nuper bello Pedemontano, quò furtim ad Sabaudum Gallia miserat auxiliares copias, inter arma occubuerat strenuè Chambaudus cohortis Præfectus: eóque Viuariensibus Sectarijs carior, quò Catholicis erat infensior. Extincto coniuge Priuatij domina vidua, procos ex Secta plures habuerat, quos prouinciales Synodi in matrimonium illi offerebant, quasi ex Ministrorum voto teneretur illa nouos amoris ignes experiri. Spreuerat diu Pastorum quos vocant, consilia, & procos malè feriatos, quibus æternum pro coniuge luctum statim à Chambaudi obitu electum à se respondebat. Vnus tamen supra prouinciæ Nobiles Vicecomes Chai-

Chambaud. Viuarés. Priuas. Chailarne.

Occisus bello Pedemõtano Chãbaudus.

Priuatii domina Chambaudi vidua Chailarũ ambit.

lanus, virtute, gratia, & si quæ in viro quæri debeat forma, longè omnibus antecellens non ægrè suadebat afflictæ, vt tandem aliquando solatij capax esset; nō aliundè solari se passa tacitis in Chailani amorem votis ferebatur; imò, quidquid reclamarent Circulorum imperia, illi etiam Catholico nubere gestiebat. Quia tamen, & Ministrorum censura, & in vrbe seditio timebatur, tacita erant amoris diludia; donec Priuatiensis populus, quem suspicio vigilem faciebat, amorum secreta detexit. monetur sinè dilatione Brisonius, qui Chambaudi olim gener, socrum ipsam, contra naturæ & legum ordinem, in vxorem ambire credebatur: monentur cum illo prouinciæ nobiles, quibus coniugij spes erat, aut seditionis. Belli materies, vt vulgò assolet, in vano religionis fuco quæsita: timebant quippe oppidani aut simulabant, ne, si in Chailani manus inciderent, mutaretur in vrbe religionis ritus; aut, si negaretur noxium libertati obsequium, vi maiore, ad imperia cogerentur. Abijt primus populi remor in seditionem apertam, arma capiuntur, pelluntur Catholici, grassatur in eorum bona Sectariorum furor: clamant nō pati posse gentem reformatam, vt Chambaudus illi addictissimus olim, Chailanum in successorem habeat Romanæ Sedis asseclam, aut moriendum, aut præuertendos hymenæos: populo nobilitas aderat, aderant nobilitati Ministri, quibus id moris in Gallia pessimi, contra Germaniæ disciplinam, vt omnibus se immisceant, regni habenas, conscientias, bellum, pacem, iura demum omnia pro arbitrio moderari cupientes.

Brisonius adest. — Brison.

Priuatiensis populi timor.

Seditionis origo.

Chambaud. Chailane.

Ministri in Gallia omnium auidi.

Masnau Ad ea tempora Masnaüs filius Parlamenti Tolosani Senator, arresti cuiusdam priuatæ executioni ex demandata sibi prouincia incumbebat; cùm à prouinciæ Syndico de seditione monitus, rogatúsque vt interponẽdæ Regis auctoritati Priuatiũ iret, sinè mora, pedaneo ex Sectariis iudice, iuxta edicti placitũ sibi adiuncto iuit; progresso adfuit prouinciæ armata nobilitas, ad Mommorancij proregis absentiam ex veteri parlamentorum dignitate eius imperia subitura. ad tertiũ ab vrbe milliare duo oppidanorum obuij, si progrederetur vlteriùs imminere periculum referunt; quibus ille, adfuturum se sinè mora quidquid fata pararent, in hoc se natũ, vt Regi vni viueret, vni illi si opus moreretur. Ad primum ab vrbe lapidem venere obuiam Consules, qui penitentia anteactorum ducti, Regis misericordiam, si quæ nocentibus debeatur implorant, immunes se à crimine, qui populi furorem sistere non potuerint; mitescere tamen illius iracundiam, imò si mansuetè agatur in momento ad pristinæ modos trãquillitatis reducendum. Ad hæc Masnaüs nihil se eorum credere, nisi fides oculorum adesset: in vrbem admissus iam pacata omnia videt, tabernas apertas, distentos propalàm assiduo labori opifices oppidanos: ab vrbe in Castrum admissus, Priuatij Dominam monitionibus suis adegit, vt anteactorum immemor, pacificè posthac cum subditis viueret, id salutem publicã, id Regis imperia flagitare: stipulanti illa fidem dedit. Paucis ab hinc diebus Vicecomes Chailanus, non alio belli apparatu, quàm nobilium, seruorúmque familiæ, quo-

Mommorancy.

Chailane.

Masnaüs monitus à Prouincia Syndico priuatium tendit.

Parlamenti Senatores ad proregis absentiam ipsis etiam armis præsunt.

Ex Masnaüi vigilantia seditio sistitur.

Chailanus ducentos ex Religionarijs in fugam agit, aut sternit. rum numerus vix duodecim equitum, sclopigerorum vix quatuordecim erat, in ducentos Sectariorum legionarios incidit, ídque loco adeò præruptis montibus aspero, vt peditum centuria leuis, si quid habuisset ingenui, cataphractorum instructum ordinem sistere potuisset: ea tamen Vicecomitis fuit ad aggressionem audacia, ea ad vnum Chailani nomen Rebellium consternatio, vt fusis, aut cæsis propemodum omnibus victoriam non alia iactura reportarit, quàm Gimari viri nobilis, qui post rem gloriosè gestam plumbo traiectus occubuit. hîc belli exordium, primus hic fuit regiorum in Rebelles cõgressus; neque enim antè, quod sciam, hoc bello dimicatum. Ad nuntium stragis arma Priuatij capiuntur, seditio renouatur, mouentur in Vicecomitem questus: lacessitos qui nihil de prælio cogitabant, post inductam ex Masnaüi vigilantia in vrbe concordiam, dum ad lares quisque suos in fide publica remeabat, indictam à Chailano proditoriè aggressionem, immunes à crimine cæsos, testes habere innocentiæ suæ quotquot prælio adfuissent. trahendum hinc inueterati in familia Lestrangiorum, vnde Chailano ortus, in Reformatos odij argumentum: neque iniuriâ armari, qui eius in vrbe libera tyrannidem subire negant. nec mora, indicitur Priuatij prouincialis Synodus, quæ dum alta iaciet belli fundamenta, à Marte, si fas est, ad amoris diludia diuertamus.

Gimarus in prælio necatur.

Gimar.

Queruntur Sectarij.

Lestrãge.

Synodus prouinciales Priuatii indicta.

Collectis vicinarum vrbium præsidiarijs stationibus, Priuatienses ita Castrum vndique cinxerant, vt ne pedissequus quidem ábnegantibus excubijs

posset

possct intromitti: æstuabat tamen Priuatij domina eo igne, cuius Vicecomitis oculi fomites erant: tota in flammas abibat, hinc maximè quòd armis vndique Castri meatus occlusi difficiles amori præstabant Veneres; mirum, Veneris amasium Gradiuum patrem illi arma inimica opponere. vixit diutiùs anxia, donec impatiens moræ Maisonsulam nobilem eligit, qui Castrouielium Chailani sui proxenetam, loco designato à se compellaret: ibi breui colloquio nuptiæ repromissæ. designantur ad proximam diem sponsalia: quamquam vna erat difficultas, omnium maxima, quam languenti viduæ ad periculosos Castri accessus amor proponebat, vix posse sinè noxio casu in arcem penetrare Chailanum, consulturam se eius saluti si relicto præsidio, exeat sola, subditorum crudelitati amoris iusti expositura innocentiam, ęquius esse quocumque res cadat, implicari quod immineat periculo, imbelle mulieris caput, quàm virum qui prouinciæ salutẽ habeat in sui conseruatione sitam: præualuit vocari Chailanum, posse incautos intercipi oppidanorum vigiles, dum malignè prænitens luna debilis, vix noctis horrorem auerteret. In id ergo inclinans vidua, præstituit Vicecomiti horam, qua inter tacitæ silentia noctis in Castrum serperet: quia tamen quà designabatur accessus deerat porta, iubetur iuxta Castri fossas, quà patebat planities, cauari vsque ad extimam lapidum superficiem murus interior, ea latitudine quæ foret satis armato homini intromittendo, ita muri extimi superficies integra, solidum excubiarum oculis mentita parietem, ne doli qui-

Maison feule. Castre-uielie.

Concluditur Chailani cum Chambaudi vidua matrimonium.

Anxia pro Chailano suo vidua.

Vocatus Chailanus adest.

dem suspicionem inducebat: donec designata Chailanus hora, dato signo, inter obscura noctis irrepit. non differuntur nuptialia, adest oportunè Sacerdos, qui iunctis sacro in Ecclesia foedere amantibus hymenæi delicias aperit.

Nuptiæ celebrantur.

Postera die rarescentibus ad auroram vmbris, explorator ruinam muri præfecto vigilum refert, accurrunt oppidani: necdum alta admiratione defixis liquidò constabat, quid ex ruina colligendum, cùm Chailanus seipsum exhibens ad fenestras, demissum è cœlo monuit reformidatum hostem: vnde vrbē luctus habuit incredibilis. Vocatus à Marsiliasio Fauræus præses adfuit illicò, pacaturus dissidia, quamquam gliscente populi furore breui dilapsus est.

Obsidetur Castrum.

Ad rei nuntium prouinciales Sectarij, mille homines manipulatim colligunt, qui in vrbem inducti, post occlusos repagulis Castri aditus, admouent proximæ obsidioni tormenta: placuit tamen antè displosionem tentari cuniculos, sed obstante rupis duritie protrahebatur opus, cùm Pampelonus erūpens occisis gregarijs decem, hostiles pluteos in Castrum traxit.

Pampeloue.

Intereà monitus à Lestrangio Chailani patre Mommorancius, lectis tumultuariò copijs, tormenta in Priuatium quatuor, sex hominum millia educebat, cùm Castrametator Monrealus, prouincialium leuiori præsidio ad vias, quà auxiliaribus hostium copijs transitus erat disposito, non potuit Piloni cohortem impedire quò minùs transuadatis mira arte fluminibus obuijs, superato Coyronij

Mommorancius copias colligit.

Pilonus Villanoua obsidetur.

Lestrāge. Mommorancy. Priuas. Mōreal Mareschal de camp. Pilon. Coyrō.

Ville-neuue. monte, Villãnouam veniret. subsequutus Monrea-
Mõrcal. lus destitutam commeatu vrbeculam cingit, donec inuitos fames adegit vt erumperent; retracti tamen in eas vnde prosiliebant fossas, desperata salute ad Mommorancium Oratores mittunt, aut pateretur ad patrios lares regressum, aut Sectariorum legionem Regi militaturam exercitui suo ascriberet; *Pax à Rebellibus expetita.* neutra conditio placuit: vnde territa prouinciarum Viuariensis & Narbonensis Rebellio, vnitarum nomine vrbium, Montispessulani, Nemausi, & Vticæ, missis in oliuæ ramo legatis pacem deposcit: negat illam adhuc nobilissimus Prorex; nisi priùs soluta Castri obsidione Priuatiẽses oppidani, positis armis, præsidiarios suos dimisissent: nectunt moras Sectarij, progreditur Mommorancius, pacem iterum Boucaudus vectigalium Pręses, Ecclesiarum nomine flagitat, sed frustra, vbi condiciones prædictæ deforent: iam ergo citra effugij spem obsessi, qui pridie eodem fato Castrum obsidebant, Mommorancij iussa his conditionibus subiere.

Viuarés. Lãguedoc. Monpelier. Nismes Vsez. *Certis conditionibus impetratur.*

Boucaud president en la Cour des Aydes.

I. Petita proditionis venia glandibus & fune tormentario destituti milites exteri dimittentur. *Deditionis condiciones.*

Brison. Tauernol. II. Brisoni, & Tauernolij vita in victoris arbitrio esto, si Priuatij adsunt.

III. Diruentur claustra, munimentáque omnia inter vrbem, & Castrum recens constructa.

IV. Exercitus, in quo sex peditum millia, equites mille, sex diebus oppidanorum impensis aletur, neque priùs loco cessit exercitus, quàm ordinatione Mommorancius promulgata, quinquaginta militum stipendia, illationem commeatus, armamenta

bellica, in Castri tutelã, Priuatiensibus imperasset.

Qui Castro præesset interim Crucæus equitantium sclopetariorum Custodiæ Mommoranceæ præfectus relinquitur, eius loco Sanctpalaisius excubias egit.

Crucæus arci præficitur.

La Croix. Sainct palais.

CAPVT VI.

EPITOME.

Tertia Priuatii seditio præter ordinem hîc describitur. Sanctpalaisius minas in apertum bellum conuertit. Priuatiensium deficientes animos restaurat Brissoni aduentus inopinus. Castrum obsidetur: varii in turres cuniculi demum euaporati, eam ruinam aperiunt, vt Regiis periculum præsens, nisi de deditione cogitassent. Mommorancius ad rei nuntium copias legit. dilata tamen ex causa Priuatii obsidione, Villamnouam Bergi, Valonsium, & Vallum expugnat. Moresius glande traiectus occumbit. Valonsium Autiegius intercipit, donec Regiorum armis oppressus conditiones deditionis ingloriè subire compellitur.

NE tractum historiæ rumpat alibi parum hoc loci debita Priuatij Rebellio tertia, vtpote quæ satis longo à superiori dissita interuallo, dum diuersis varia interim locis obtigere, ad sequentia tempora iure referri debeat: retento tamen quod aiunt themate, nihil eam morabi-

mur, ideò in vnum varia tempora conferentes; quia de iisdem loco, & personis acturi prodent se expeditiones inuicem nexæ faciliùs.

Sanct-palais. Sanctpalaisius, vt suprà dictum, Mommorãcij ad Castri Priuatiensis præfecturam legatus, de proditione oppidanorum certior, vocatos ad se Consules iusserat munimenta iam recens constructa diruere, hinc periculosa non parum, quia Castro adiacebant: illi non nisi municipum suffragio id se posse negantes, eo annuente concilium conuocant, vbi magis expugnandi proponitur Castri, quàm diruendi muniminis ordo. *Iubentur Priuatii Consules munimenta diruere.*

Non tulit audaciam Sanctpalaisius, quinimò displosis in vrbem crebra verberatione tormentis, emissis in tecta viciniora ignis arte parati circulis, territos oppidanos adegerat ad obsequia; nisi Brisonus perduellium caput, oportunè in frequenti seditiosorum turma aduolasset. Quàm illum exceperint gratulabundè præfecto destituti oppidani Rebelles, vix concipi potest. creatur illicò armorum imperator, præfecturas distribuit, aggressiones designat, cuniculos imperat; imperanti adsunt Gardonus, Crotæus, Malassasius & Boëtieresus, viri non magni nominis; nisi quòd supra omnes seditiosi in vrbem perduellem conductitiorum cohortem secum induxerant. Paratis ad obsidionem omnibus, à turri maiore, in quam ex rupis duritie cuniculi frustrà tentati, in minorem operis incumbit industria, nec diu cùm admota crepitacula duo, commotam à fundamentis disijciunt. post æquatum solo turris immane pondus, vasta area in qua-

Margin: Brison. *Brisonus aduolat.* *Obsidio designatur.* Gardõ. Croté. Malassas. Boëtieres. *Turris à fundamentis excutitur.*

drum desinens, muris & profundioribus vallis quà in vrbem prospectus erat circumobducta, continua displosione magnum vrbi damnum inferebat: cùm Brisonius agendum adhuc cuniculis ratus, ad murorum fundamenta diligentissimè opus perduxit. admotus ibi pulueri tormentario ignis, ea latitudine ruinam aperit, quæ ad expugnationem abundè foret. non differtur aggressio; quinimò post apertas ad vicinarum ædium latera fenestras tormentarias, vnde indesinenti displosione irruentibus ad murorum ruinam Sectarijs faueretur, admotis vndique scalis ab vrbe in Castrum irrumpitur; initur cruentissima pugna, hinc Regij pro salute, Rebelles illinc pro gloria & præda dimicant. donec frequentiore hostium numero, in pugna diutina Regij fatigati, ab area in Castrum se recipiunt.

Noui in turrem cuniculi.

Area expugnatur.

Potitos illicò victoria hostes claustra exstruere, immittendóque vlteriùs citra periculum operi, valla cauare: iámque Castri muris nullo medio admotos, turrem omnium maximam cuniculo profundiore, ea ruina, eo Regiorum incommodo disijcere, vt Sanctpalaisio vna iam in prompta deditione salus: eius conditiones, quales expeti solent fuere, Castróque ad crastinum cessit Sanctpalaisius tympanis sonantibus, signis expansis, in tormentario fune ignito, glande, quod vulgo iactant, in ore, impedimentis, sarcinis, & quæcumque supra hæc placuissent.

Cuniculus turrem omnium maximam solo æquat.

Quibus conditionibus deditio Castri processerit.

Vix è naufraga rate Sanctpalaisius terram securis iã osculis adorabat, víxque secum viginti milites

ſaluos eduxerat, interfectis aut ſaucijs in prælio reliquis: cùm Vicecomes Chailanus cuius res agebatur, in accliui colle vrbi adiacenti, leuis armaturæ legionem exhibuit; tardiùs tamen quàm decuiſſet virum, cui nihil erat quod obijci poſſet: grauior in Vantadourium accuſatio, qui Galliæ Narbonenſis pro Rege Legatus Lavoultæ non longè à Priuatio, inter obſidionem moratus, debuerat ea, qua in prouincia fungitur auctoritate, aut pacare diſſidium aut periclitanti præfecto opem intuliſſe.

Chailanus tam tardius ſuppetias infert.

Vantadour. Lavoulte.

Vantadourii negligētia perſtringitur.

Eo tempore plures rei ſecretum aliquod ineſſe coniectabant hinc, quòd turris mole importuna ruens ex præſidiarijs neminem caſu impræuiſo intercepiſſet: non potuiſſe ſinè proditione Regiorum rupem ſecretò duriſſimam excauari, quamquam debile argumentum: quid enim vetabat quin Regij audito in rupe cuniculariorum ſtrepitu, vbi, deficientibus operarijs, non dabatur in nouo cuniculo contrarium opus ſuffodere, dum tutò licebat, longè abirent à periculo. quidquid id eſt aut calumnia erat, ſuſpicio hæc in probos cadens, aut ignotum adhuc mihi ſecretum.

Fraudis ſuſpicio improbatur.

Scripſit Mercurius Gallicus exploſis, intra decem, & quatuor dies, à Regijs tormentorum ad quadraginta, ſcloporum verò ad quatuor millia ictibus, poſt occiſos oppidanorum ducentos, deditionem, quæ differri non poterat à Caſtri præfecto ſubſcriptam.

Mommorancius præreptam ſibi monitus, quam nuper ſinè prælio de Priuatienſibus reportarat victoriam, exercitum citiſſimè colligit: ſed arduum

Exercitum colligit Mommorancius.

opus; quippe nōdum præscripto à Rege instruendi exercitus ordine, destituebatur stipendio miles: ne ergo ad imperatoris inopiam, quod vulgò contingit dilaberentur acies, datis in pignus vnionibus plusquàm Cleopatræis, armillis, quibus supra rationes impotens hominum libido precium facit, aliísque id genus quæ vxori in mundum muliebrem erant, ducenta aureorum millia, Lugduni, Massiliæ, & Auenioni, sumpsit in mutuum; vnde, quo abripitur in prouinciæ tranquillitatem Regísque obsequium zelo, stipendiaria milites annona conduxit, donec à Rege indicta belli formula.

Qua ratione stipendia de suo militibus numerarit.

Lion. Auignō Marseille.

Octo illi peditum millia, quadringenti Cataphracti nobiles omnes, Castrametatoribus Portesio & Moreso militabant. Iámque Priuatiensibus muris tormenta admouere parabat, cùm Lesdiguerius, meliori mente, quàm consilio posthabita Priuatij obsidione, in Villamnouam Bergi, Vallum, & Valonsium, nouas expeditiones suasit. ferebatur quidem Mommorancij in Priuatium animus, sed præualuit veterani sententia: itaque obsidione Priuatij dilata, sin mauis elusa, in Villamnouam Bergi arma conuertuntur, cuius ad rei nuntium Oratores, in supplici libello, ad victoris genua prouoluti, regium citra conditiones admisere imperium: Villanouâ, Valonsium itur, vbi prælium graue ad primos accessus parabatur, nisi Reauxius Scoticæ custodiæ præfectus, monitum à Rege de dimittendis præsidiarijs Chatilhonium impulisset, vt prompta Regis imperio præstaret obsequia. Positis ergo ad Chatilhonij obedientiam armis, vrbs Regis imperia subit

Portes. Moreses Mareschaux de Cāp. Lesdiguieres Villeneuue de Berg. Vals. Valons.

Post dilatam Priuatij obsidionem in Villanouam, Vallum & Vallonsium itur.

Valonsium & Villanoua dedunțur.

De Reaux Capitaine de la garde Escossoise.

subit præfecto arcis Sectario substituitur emeritus à custodia miles.

Pugna ad primos Valli accessus initur.

Depor-tes. Mores-ses.

Valonsio, Vallum itur, vbi in opere arduo periculum ingens: ridentibus enim conatus aduersarios oppidanis, Marchionis Portesij & Moresij ope admouentur muris primùm legiones, tormenta dehinc. Ea Rebellium ad primos conatus audacia, vt extra muros prælio Regios numero valentiores adorti, Mommorancij excursores in agmina quibus sustinebantur retruserint: commissum hîc grauissimum prælium, siue numerum spectas, siue hostium pertinaciam: quadringentorum numerus erat, quibus ad eruptionem plus satis; pertinacia ea fuit, qua potest exercitus numero impar, dubio diu Marte certare: non abijt hoc prælio sine laude Mommorancij virtus, qui Moresium commilitonem suum, vulneratum lethaliter loco periculoso vbi glandium continua grando, nusquam deseruit comes fidus; quinimò vbi viribus ille destitutus ægrè in vestigio cõsistebat, impositum humeris procul eduxit à periculo: quamquam hærebat lateri lethalis plumbus, vnde in omnium mœrore paucos post dies occubuit. fuit in eius fato iactura maxima; erat in arte militari peritus, in opere audax, magnus nomine, virtute maior. Ira percitus Mommorancius, ad luctuosum sibi cari hominis funus, supremum vrbi parabat excidium, nisi Reauxius veniam oppidanis Rebellibus impetrasset. Vrbe potitus in trecentorum hominum leui cohorte, emeritùm à custodia militem loco præfecit. postera die obsidij nuntio Montempessula-

Moresius glande traijcitur.

Vrbis porta Mommorancio aperiuntur.

num allato, commota Catarinotarum, quos vocabant, seditione adigitur Chatilhonius vt suprà ducentos mille legionarios Autiegio cōmitteret manum expeditam, quæ obsessis auxilio foret. iámque Valonsium venerat, cùm relata Valli deditione de Valonsio intercipiendo cogitauit. Sectariorum frequentior numerus, quibus in vrbe morari victoris misericordia concesserat, arduum alioquin opus in plano posuit; interceptis primis Regiorum vigilibus vrbs occupatur. depulsus emeritus à custodia miles proditionem Mommorancio refert. nec mora, turmatim Valonsium itur; ibi difficultatem inducere hostium numerū supra mille quingētorum, erumpere Autiegium, excipi à Regijs strenuè, manum auidè conseri, cadere mutuis vulneribus hinc inde plures. Neque indigna est quæ notetur hoc loci nobilis Catholici virtus, cui à Sancta Columba nomen. quippe glande traiecto lethaliter cui protegendo vbique adfuerat filio, vbi equo excussum videt, memoriam Dei sæpius renouat, commissáque demum conductitio cuidam pignoris sibi cari custodia, in hostem denuò irruens, filio morienti, Rebelli affatim sanguine parentauit; donec hostibus in fugam actis, amore auspice ad filium reuocatus inuenit animam exhalasse, sibi hinc abūdè factum lætus in funere, quòd in gladiatorio sanguine natabat filij rogus

Montpellier. Catarinots. Autiege.

Autiegius tardiùs auxiliares copias infert. Valonsium ab Autiegio intercipitur.

Mommorancius aduolat. Pugna committitur.

Saincte Colōbe

Commendatur à Sancta Columba virtus.

Postquàm sæpius hinc inde dimicatum, cruore vtrinque, vtrinque iactura æquali, admoueri muris tormenta, displosáque indesinenter ruinam aperire, Portesiúmque magni animi virum, oppu-

Proposita deditionis ab hoste conditio.

Portes.

gnationem parare: cùm Autiegius sibi colloquendi veniam fieri petit. fit venia; mittitur ab vrbe qui moneat, si præsidiarijs tutus ab vrbe discessus promittitur, paratos esse vt loco cedant. placuit Regijs expetita diu, sed parum expectata cõditio. Chatilhonio enim, qui cum tribus hominum millibus ingruebat, Regias à tergo acies impetente, dum ab vrbe ad frontem Autiegius erumperet, desperata erat Mommorancio victoria, ipsáque in periculo salus. pactis ergo deditionis conditionibus, Mommorancio Autiegius exhibitus, oratione supplici precatur veniam. Negat ingeniosus Prorex quippiam se ad Reauxij præsentiam gesturum, cui gloria debeatur omnis, nihil agendum secum vbi à Rege Legatus adesset. quibus districtè Reauxius, futurum Regi gratissimum quidquid Mommorancio auctorante prodiret, dedit illi potestatis omnimodæ à Rege habenas. aderant Mommorancio supra Fauræum apud Gratianopolitanos præsidem Bitautus libellorum supplicum in Regia Magister, qui se in prouincia Narbonensi iustitię indagatorem faciebat, Vicecomes Poliniacus, Hannibal Mommorancij natura frater, Perautus, Monrealus, Masarguesius, Mossolæus, & cum illis octingenti equites magna ex parte nobiles: ad quorum præsentiam petitam Autiegius veniam his conditionibus impetrauit. Vt cum armis quidem, sed minimè sonantibus tympanis, extinctóque funium igne discederet. post admissas in hanc formulam conditiones, oppidanis, misericordiæ Regiorum expositis. abijt, prædæ dehinc militibus facultas

Mommorancio periculum imminens.

Autiegius veniam petit.

Faure president à Grenoble. Bitault. Poliniac. De Mõmorancy. Peraut. Mõreal. Masargues. Mossolens.

Vrbis præda militibus data.

data, incendio vrbem & ruina vastauit: donec dirutis munimentis super obsidione Priuatij imperia Regis expectans Mommorancius, Piscenam rediit. hæc de Viuariensibus dissidijs, vbi non indignum notatu, primam nascentis olim in Gallia Caluinismi Rebellionem à Priuatio prodijsse, non minùs quàm eam cui accingimur.

Piscenam redit Mõmorancius.

Pesenas Viuarés.

CAPVT VII.

EPITOME.

Factio præpotens, qua Reginam matrem Galliarum magnates ad arma concitant, ex occasione perstringitur; eiúsque origine altiùs repetita, describitur ad Pontem Cæi victoria Regis. hinc, nusquam mutabiles naturæ affectus, ad mutuos parentem & filium amplexus impellunt. ab ea expeditione Benarnenses victoriæ prodeunt: descriptóque prouinciæ genio, deploratur proscriptus in ea Romanæ Ecclesiæ principatus. Rex penè inermis Burdegalam venit, vbi motæ de Lectoræ præfectura querelæ suadent, vt deposito Fontaralio Blainuillius substituatur. vltrà progressus, in Forceum, qui veniebat obuiam, incidens, habito hinc inde de prouinciæ statu sermone, contra eius suasionem vlteriùs pergere statuit.

SEDITIO Priuatij prima, quæ ad finem anni M. DC. XIX. ex scintilla belli excitauit incendium, ad ineuntem annum M. DC. XXI. vna Mommorancij virtute, vt suprà scriptum restincta est. Per idem tempus exar-

ſerat potentiſſima in Gallia factio, cuius caput Reginam matrem induxerant non ignoti Galliarum magnates, vt motis de imperij moderamine queſtubus, priſtinam regno dignitatem reſtituere conaretur. aderat Mayennius, qui Marchionis Forcæi, & Boëſſij-Pardaliani ope, lectis in Aquitania decem hominum millibus, magna ex parte Caluiniſtis, Ligerim transmeare parabat; niſi immortale odium, quo Mareſcallum Theminiũ proſequebatur, contra præſtitutum ordinem impuliſſet, vt ſtudio vindictæ, qua ardebat in illum Moiſſaci, vrbe parum ad obſidionem oportuna morantem, retrogradu paſſu caſtra moueret: vnde vnam ferunt felicioris ad Pontem Cæi victoriæ cauſam: qui enim ex præſtituto ordine, poſthabitis inglorijs expeditionibus Reginæ copias, validiſſimo debuerat augere exercitu, vbi omnium iudicio Regijs aciebus vltra vires negotium erat, maluit, Æſopicum canem imitatus, poſthabito corpore vmbram ſectari: vnde neque illi, neque Reginæ conſultum. Non parum eo tempore debuit Belebati prudentiæ Gallia, qui monitum identidem de Mayennij ſecretis arctioribus Regem impulit, vt Theminij oportunè obſtaculum interponeret.

Du-Mayne. La Force. Boëſſe-pardaillan. Le Loire. Themines. Moiſſac. Pont de Cé. Belebat. Themines.

Factio in Luynæum potens. *Mayẽnius contra ordinem belli in Moiſſacum arma conuertit.* *Quia Theminiũ oderat.* *Hinc Regia victoria cauſa.* *Belebati fides cõmendatur.*

Eſpernonius vir ſagacitate, & animi magnitudine pollens, Reginæ ſeceſſum quærenti tutũ Angoliſmæ aſylum præbuerat; vnde in eum accuſatio grauior. illi aderant Cardinalis Guiſius, Dux Radeſianus, Valetæus, & alij ex primoribus non pauci, quibus non in Regem (abſit prodigij monſtrum) ſed in Luynæum armatis, nihil erat in Gallia quod

Eſpernon. Angouleſme. Guiſe. Rets. Lavalete. Luynes

Eſpernonius conſilij caput.

resisteret, nisi Rex incredibili celeritate, perniciosa in speciem Principum consilia præuenisset, quorum is erat animus, vt quod parentis, magnatúmque precibus enixis negabatur, armata manus vindicaret. Luynæum potestate omnimoda destitutum à præsentia Regis arcere vna mens omnium erat, hic armorum scopus. quibus non deerat in insolenti hominis audacia populorum applausus, nî Regi contrà placuisset: quidquid id est, iusta fuerit causa nécne, videant quorum interest: vnum id scio legem imperij fundamentalem esse, vt subditorum in Reges arma, nō nisi perduellia dici possint: comprobatis tamen postmodùm omnibus, quæ in se Rex tunc gesta querebatur, ostendit sibi potiorem esse parentis rationem, quàm extranei, minúsque bellum eo tempore in se gestum, quàm in tricipitem Cerberum. Dum Mayennio in Aquitania ex Regis mandato Theminius illudebat, Rex ipse cum exercitu leui Pontem Cæi venit: ibi dispositæ in quadra agmina Reginæ acies committunt prælium, dubio diu marte; donec Radesiano pugnæ aleam subire detrectante, vnde vehementer à suis incusatus est, Reginæ copiæ profligantur; quamquam ex Regijs Nerestanus & Marchio Maresius desiderati, satis luctuosam fecere victoriam. hinc Luynæo triumphus, quem vnum belli victimam appetebat iustè armatus furor.

Quid flagitarent à Rege armati principes.

Pontecea victoria.

Pont de Cé.

Rets.

Nerestan. Marais.

Andegaui Regina mater quarto à castris lapide, quò dubia diu fortuna inclinaret, præstolabatur cùm ad nuntium stragis natura, quæ nusquam in sanguine mentiatur, inducias postulat. exorat ma-

Pax amorabundè initur.

Angers.

trem filius, filium mater deprecatur. pax vtrinque expetita, breuíque negotio in illam hinc inde conuentum. Comes à Sancto Aniano vir strenuus à Regijs in prælio captus, libertate donatur: Pons Cæi Regis imperia subit, parcitúmque dehinc ad enixas Reginæ preces quibuscumque illi militassent. ardet videndæ matris desiderio filius, æstuat impatientiâ mater, exhibetur gratissima vtrinque præsentia, vtrinque in amplexus proruitur, amorabundè vtrinque oscula crepitant, vno verbo matri filius filio mater, si quid naturæ addi potest nouo fœdere copulantur.

Sainct Anian. Pont de Cé.

A Sancto Aniano libertate donatur.

Regis præsentia Regina mater exhibetur.

Hæc districtiùs scripsi, quàm ex rei dignitate debuissem, verùm duo impulere etiam nolentem; tum quòd belli memoriam extingui deceat, tum quòd de vna Caluinistarũ ex professo perduellione scripturus, magis ex occasione hæc addidi, quàm ex voto. Paci post victoriam initæ successit expeditio Benarnensis, breuis illa quidem, sed nec ideò minùs gloriosa, eam hîc paulò altiùs repetamus.

Expeditio Benarnensis describitur.

Benarnense solum, olim Hispaniam à Gallia diuidebat, hodie ipsummet Gallia est post rescriptum principis anni M. DC. XXI. quo prouinciam, opimum domus Borboniæ patrimonium Gallicæ coronæ adscribi placuit; quamquam his ex libello prouincialium supplici conditionibus: vt in prouincia parlamentum principatus antiquum subsisteret, vnáque ex veteri formula in actis publicis vernacula dictio proscriptâ, nihil antiqui ritus mutaretur. Quia tamen LXX. abhinc annis lues hæretica adeò in prouincia grassabatur, vt permittentibus

Bearn.

Benarnii situs & status.

vbique orthodoxi enuntiationem Euangelij Sectarijs Galliæ; pertinaciter tamen soli Benarnenses obsisterent; imò & Episcopis longè amandatis, eorum vbique sacros reditus vsurparent: quia in dies in statum popularem deficiebant, misit Rex supremo loco Renardum, qui, vt supra ex occasione dictum Renard. in liberam seruitutē, effrænatam populi audaciam reuocaret: imò & quasi cum socijs rem posito Rex diademate habuisset, id Renardo imperij datum, prouinciales iam de salute sæpius monitos, rogaret iterum vt ad sui commiserationem ducti, pacem Galliæ non inuiderent, quæ post extincta bella ciuilia feliciùs iam reflorebat. Quia tamen ad hæc omnia surdæ Sectariorum aures, passus est tandem Rex se de habendo in Aquitaniam itinere suaderi; futurum sperans, vt quemadmodum ad viciniam solis nubes vndique euaporantur, ita in rebelli prouincia dissiparentur ad præsentiam Regis factiones.

Renardus à Rege in Benarnium missus.

Benarnenses Regio imperio obsistunt.

Consilium itineris capitur.

Post sopita inter filium matrémque dissidia plusquàm intestina, oportunè cōtigit adesse nouæ expeditioni exercitum; leuem tamen & quem adhuc Ligeris, tractúsque terrarum longior à Benarnio seiungebat, vnde periculum ne dilapsæ antè expeditionem acies adderent Rebellibus animos: Rex tamen meliora sperans, traiecto Ligeri, Aquitaniam versùs sequi acies iubet, hoc animo; vt si ad Regij aduentus rumorem colla submitteret Rebellio Benarnensis, edictóque nuper promulgato vltrò obediret, facesseret armorū violentia; sin minùs, quod abhorrebat, armis, & Romani Euangelij & prostituta Regij nominis dignitas assereretur.

Vis se Rex committit.

Dicto

Bourdeaux. Fontarailles. Lectoure. Dicto citiùs Burdigalam venit, vbi, quia mouebantur à Sectarijs de Fontaralio Lectorensi præfecto querelæ, qui, (vt fusiùs suprà,) à Caluinismo nuper transierat ad fidem Catholicam, arcémque quæ Labretani Ducatus primaria est, antiquo iure addictam Sectæ, possidebat adhuc post mutatum in Catholica religione statum: iubetur (quò abesset omnis Rebellioni prætextus) loco cedere Fontaralius: quóque ternionibus Comitiorum Lodunensium fieret satis, non ignotus inter Sectarios Blainuillius prçfecturç succedit, ídque Ecclesiarum, quas vocant assensu, vir probus, sectæque addictus, vbi nihil in Regem agebatur. Ad eam Regis clementiam nemo non sperabat quin deposita feritate Benarnium sacramentum fidei in debito obsequio renouaret, cùm Regi nuntius venit, in perduellione Benarnium pertinax iussis obsistere, paratúmque ad extrema priùs, quàm in bona sua Episcopos induci patiatur. Persanos primaria seditionis capita plebem concitare, minutulúmque illud, vbi vix duodecim Senatores, prouinciæ parlamentum, perfricta frõte sæpiùs flagitatam edicti negare promulgationem, eóque iam vbique ventum impudentiæ, vt agnita Forcæi potestate vna, proscribatur quidquid aliundè imperium sonat.

Fontaralio in præfectura Lectorensi Blainuillius substituitur.

Albret. Lodun. Blainuille. Persans. La Force.

Benarnii perduellio pertinax.

Lescun. Seditiosus supra omnes Lescunus nescio quis (nisi quòd in parlamentulo Prouinciali Senator) continuis legationibus, ad vrbes sectarias defungebatur, ea tamen infelicitate, vt in Regios incidens, quod fusiùs infra, Burdegalensis placito parlamenti, capitis pœna damnatus, proditorio sanguine Re-

Lescunus seditiosus admodum.

H

bellionis crimen diluerit.

Rex in Benarnium ocissimè properabat. Agnita iam plenissimè Benarnensium proditio, Regem adigit, vt in diem crastinum ad expeditionem parari omnia iubeantur. Nec dum vmbris aurora successerat, cùm ex innata sibi vigilantia, primus equo insiliens, exspectato palatinorum nemine, vt assolet, primus abijt.

Edictum de bonis Ecclesiasticis in acta relatum illi offertur. Iam emenso trium dierum per solitudines inaccessas itinere, Granatam primam ad Benarnij limites vrbem venerat, cùm Forcæus illi se obuium sistens edictum iam in tabulas parlamenti relatum vltrò offert. accedit supplex oratio, quâ viam deprecatus, hortatur ne vltrà progredi tentet, difficiles esse soli accessus, prouinciam sterilem, vbi periculum ne pereat inedia miles, si Regio exercitus apparatu inducitur: dolere se, ídque vehementer, quod non licuerit statim ab imperio edictum in prouincia promulgare. nihil se ad hoc temporis auctoritatis habuisse in Benarnio, quia vnus inter tot coniuratos Regem agnouerat; si tamen armis abstineretur, mutatis iam in melius animis, polliceri se cœcam ad iussa obedientiam, tributi pensionem, stipendiarias annonas, & si quid vltrà desiderari queat. Si contrà ad prouinciæ intima penetrare mens, fateri se publicè impotentiam suam, neque sinè causa timere, ne prona hodie ad obsequium sinè conditione prouincia, de perduellione suaderi se patiatur. vim in conscientijs suis pertimescere Reformatos, fidem explanatione Euangelij non armis propagandam; quia nemo imperari potest, vt contra conscientiam credat.

Grenade.

Hortatur Forcæus ne vltrà pergat.

Causam dilationis explicat.

Si vltrà pergitur seditionem timet.

Non dubitabat concio astans quin ad rei difficultatem Regis animus mutato proposito Lutetiam intacta prouincia remearet: quando Forcæum compellans; Tua, inquit, interest progredi vlteriùs Regem, cuius te præsentia faciet in posterum in prouinciæ regimine fortiorem. *Regis ad ea omnium responsum.*

CAPVT VIII.

EPITOME.

Ad Regis aduentum consternantur prouinciales, depositáque per obsequii speciem feritate, quem nequeunt sistere venientem, gratis exceptum simulant. Pauium sinè pompa ingredi statuit. frumentum ex industria diuertunt præfecti annonæ, quò fames Regem promptiùs adigat ad discessum. post Nauarræi Castri deditionem, Salesius loci præfectus, remuneratus abundè Poyano loco cedit. arctius Regis Consilium quatuor capita, futuras in posterum prouinciæ fundamentales leges decernit. Ordo habendis Deo gratiis publicarum supplicationum indicitur, vbi mirabili pietate Rex omnium vota & animos in se conuertit: relictisque demum qui decreta exequerentur quamprimùm Auberio, & Tarabello, Lutetiam citè rediit.

Arsac. Pau. ARSACVM Rex postridie venit: ea vrbs viginti milliaribus à Pauio prouinciæ primaria distat. Res mira! ad Regis absentiam fulminabat prouincia perduellis, imò iam Coronæ Gallicæ minabatur excidium, si quid Comitiorum *Rex Arsacum venit.* *Prouincia cõsternatur.*

Lodunensium petitionibus deforet. viæ committit se Rex, statim mitiori strepitur voce, accedit ad prouinciam propiùs, mutantur in murmura strepitus, Arsacum venit ad oram prouinciæ, siletur vbique, perduelle solum attingit, etiam sinè armis, vno qui Regem stipat comitatu, omnia cõsternantur. O potestatem Regum verè de cœlo demissam! ô Dei characterem sinè fabula Regiæ fronti impressum! ô veram illius in terra imaginem! vix in primo ætatis flore princeps adolescens quò impellit seditio aduolat, penè inermis est, & Gigantum audacia sternitur: hinc te conuinco perduellis Caluinista, qui Regiæ potestatis iugum excutere tentans, cœli ordinationi resistis: hoc te vno veritas condemnat argumento, qui Reges auersatus Democratiæ vbique studuisti; sed hæc nihil ad historiam.

Argumentum quo perduellio conuincatur.

Pauii Consules Regi obuiam veniunt.

Pauij Consules, cum reliquis vrbis Ordinibus, citiùs quàm dici possit Regi obuiam eunt. ille Arsaci fatigatus à via in quiete diem exigebat. inducti ad conclaue post deprecatam breui oratione iracundiam, quo cultu in vrbem suam admitti velit rogant. Quibus ille, lubentem se principatus sui primariam vrbem in Regio apparatu ingressurum respondit, si sacer locus in promptu esset, ad quem primùm, velut ad portum inter fluctus procellosi maris appelleret: id esse apud Reges Gallorũ, quorum patrimonia possidens virtutes excolebat, inueterati moris, vt in Regia pompa numquam vrbes suas ingrediantur, quin vota Deo nuncupata in Ecclesia priùs exsoluerint. Ceterũ quia vrbi deesset Basilica, nolle se principem ingredi, sed priuatum. Postera Pau.

Responsum principis pietate cõmendabile.

Pauii excipitur.

die in antiquam Labretanorum Regiam admiſſus, Magiſtratuum, vt & Miniſtrorum orationibus fusè habitis, ea gratia, ea humanitate reſpondit, vt omnium animos ad ſe velut aurea catena alliceret.

Nemo Catholicorum interim apertam à Rege auerſionem in oppidanorum fronte non legebat, quam prodidit breui commentum non illepidum: quò enim citiſſimè Rex abire cogeretur curauit præfectus annonæ, diuerti omnẽ procul à prouincia commeatum; vnde aut famis incommoda aulicis, ipsíque Regi ſubeunda, aut erat fugæ conſulẽdum: verùm nóuis annonæ diſpenſatoribus ordinatis eluſum ſtratagema. non diſplicuit amœnitas loci Palatinis, Curiæ vbique ſequacibus; imò nec Regi qui patrem, eôdem loci placidè olim vixiſſe ſciebat, donec deficiente Valeſiorum ſtirpe ad maiora eum vocauerat Borbonij nobilitas ſanguinis.

Commentũ populi quò ad diſceſſũ Rex adigeretur.

Nõ diſplicet placidus loci genius.

Valois.

Quia tamen in mora periculum, videbatúrque ad publicam vtilitatem ſpectare ſi interciperentur prouinciæ vrbes, dum dubiæ adhuc in fide nutabant, ad XVI. Cal. Nouembr. Pauio ad Nauarræum Caſtrum iter indicitur; nec ſpem fefellit euentus; Nauarræi quippe præfectus Saleſius, priùs interceptus quàm Regium ſibi propoſuiſſet aduentum ad minùs præuiſæ obſidionis terrorem portas ſinè conditione aperit. maior fuit ea Sectarijs iactura quàm credi poſſit: vrbis enim etiamnum hodie ea ſunt munimenta, vt aſſeuerent quibus eſt in arte militari ſcientia, vix eſſe in Europa arcem, cui ſecunda dici poſſit: eam loci genius, artiſque induſtria ſolers, hinc præcipitijs, illinc foſſis, terréiſque

Nauarreins. Sales.

Nauarræi deſcriptio.

Eius armamenta.

obductis lapide propugnaculis, adeò vndique faciunt inaccessam, vt inexpugnabilis non immeritò dici possit: his accedit pulueris tormentarij, globorum, hastarum, scloporum, aliorúmque id genus armorum copia, ideò ingens, quia longioris iam æui decursu totius prouinciæ fuit armamentarium; tormenta quæ rotis voluuntur bellica, quorum Regij modi plura, supra viginti centena numerantur.

Tormentorum in arce numerus.

Parta sine prælio, nec minùs ideò Regi gloriosa victoria id suasit, vt præfecto Salesio, qui in octuagesimo quem agebat anno iam emeritus erat, in oblati honoris cumulo grata à laboribus quies proponeretur: futurum satius, si in amica senectuti quiete traducatur quod superat residui ad vitam temporis, breue illud, liberiorique genio debitum magis, quàm assiduo excubiarū labori: præmia mutandæ cōditionis in pecunia numerata fuere, & Castrametatoris apud regias acies præfectura. Neque displicuit remuneratio, lucro mixtim & honore gratissima: ea enim est hominum vulgò gloriołę aurique fames, vt nemo alterutrius eludat insidias. successit abeunti Sectario Catholicus prouincialis Poyanus, vir nobilis, & in Benarnio præpotens.

Salesius muneribus gratè dimittitur. Sales. Poyane.

His ita gestis, quia postridie diui Lucæ solemne parabat Ecclesia: indixit Rex quàm magno apparatu, Christi hominis sacrum. ibi publica Catholicorum gaudia, gestire oppressas conscientias, gratè libertatis nuntium excipi, ad rem nouam turmatim accurri, quósque longioris iam æui curriculo ad iugum adegerat tyrannidis hæreticæ audacia præpotēs, extra se positos palàm exultare. Notauére inda-

Poyanus arcis præfecturæ substituitur. Missæ celebratio indicitur.

gatores temporum rem non indignam, quam nos hoc loci astruamus: exulem medij iam decursu seculi à Benarnio Missam, eâdem penitus die à LVDOVICO restitutam, qua eam victo Terridio Mongomerius ad Ioannæ olim tempora depulisset quæ ergo, quinquaginta iam erant anni, sacrificij à Benarnio memoria victo Terridio exulabat, illam eandem victor LVDOVICVS eâdem die restaurauit, atque ita quam proscripserat Ecclesiam auia, reuocauit melioribus auspicijs nepos.

Terride. Mongomery

Concilio ad finem mensis habito, quibus modis, Dei cultus Regis obsequium & fides debita, restituta illa quidem in integrum, sed nutantia, Deo, Regíque posthàc firma futura sint, omnium sententijs in quatuor capita itum.

Habetur de futuro prouinciæ regimine à Rege Concilium.

Primum id fuit, vt Episcopi & Abbates prouinciæ, ex veteri more, & sedem in parlamento haberent, & sententiæ dictionem.

In quatuor capita concluditur.

II. Vt restitutis Ecclesiæ priuilegijs, & patrimonio, Episcopi in ea dignitate in posterum viuerent quæ columnas Ecclesiæ deceat.

Restituuntur dignitati Episcopi & Abbates.

III. Vt Nauarra inferior, & Benarnij principatus, Galliæ deinceps ascriberentur, Benarniíque & Nauarræ vnitis iurisdictionibus, nobilius inde parlamentum emergeret.

La basse Nauarre.

Vniuntur Benarnii & Nauarræ iurisdictiones.

IV. Vt posthàc stati quidam & certi armorum duces prouinciales, quos Persanos vocabant; qui pernicioso more septem hominum millia intra diei vnius curriculum in armis vulgò emittebant, proscriberentur.

Persani proscribuntur.

Postridie placuit caput, quod de restituendo in

integrum Ecclesiæ ordine erat exequutioni mandari, res ita processit.

Pauij vetus erat Templum, quod gentes Deo inimicæ pollutum, ex planctu prophetæ fatidici, posuerant in pomorum custodiam; iámque sexagesimus annus vertebatur cùm impunè Sectariorum Ministri fabulas hîc Euangelij sui explicabant, sat fabulis, sat fuerat impudenti mendacio datum; placitum ergo Christianissimo Regi, fictionibus tandem aliquando vera succedere: dispositísque ad rem sacram omnibus, ex Ecclesiæ solemni ritu, pollutum toties locum, noua in Dei gratiam reconciliatione redire, à quo iampridem hæretica destinatione diuerterat; quasi Deo satis non sit puritas animi, nisi & à loco vbi paratur sacrum, labem omnem expiatio auerrūcet. à veteribus Ecclesiæ ceremonijs ad sacrificium itur, ab illo ad supplicationes publicas, quas cum Rege, principes, omnium Ordinum nobiles, Cardinales, Archiepiscopi, eóque numero Episcopi, cum infinita populi turma sequebantur, vt in veterem Romam mutatam vrbeculam diceres. Bacillos vmbulæ plusquàm augustalis sub quâ Eucharistiæ Sacramentum gestabatur præferebant oculis ad terram defixis, composito ad verecundiam vultu, ad humilitatem gressu, corde & ore ad amorem, quatuor ex primarijs Principes, quos sequebàtur pedes, aperto capite, cereo ad manum accenso Catholicæ fidei vindex, LVDOVICVS Rex Christianissimus, illi à tergò aderant decē circa Catholicorum millia, quos fidei Catholicæ grata restauratio ex prouincijs latè adiacentibus in Benarnium

In veteri Ecclesia post reconciliationem Missa celebratur.

Ad supplicationes itur.

Principes bacillos vmbulæ sustentant.

Rex nudo capite sequitur.

Illum ad decem hominum millia populus.

nium conuocarat. Non displicuêre pio Regi acclamationes, quibus lætitia diffusi orthodoxi, gratissimo applausu carissimum Galliæ caput prosequebantur; resonabat vndique suauissimum illud, VIVAT REX, dum murmure interim tacito fremebant Sectarij perduelles.

Le Pere Arnous Iesuite. A supplicationibus ad prandium, ab illo ad concionem itum; quam ex Societate IESV Arnousius, in hoc themate habuit, QVAM TERRIBILIS EST LOCVS ISTE, NON EST HIC ALIVD, NISI DOMVS DEI, ET PORTA COELI. *Habita ab Arnousio concio.*

Exequendo tertio capiti quod conciliorum Nauarræ, & Benarnensis principatus vnitas iurisdictiones complectebatur, duo arctioris Consilij Senatores electi Auberius, & ex illustri Fabrorum familia Pibracius Tarabellus, quorum hic demum in parlamento Benarnensi princeps Senatus à Rege renuntiatus, apud suos Tolosæ infeliciter obijt, quem paulò antè Prouinciæ parlamenti protopræsidem Rex idem designarat: sed contrà ordinantibus fatis neque Benarnensibus præfuit, neque Prouincialibus: erat ille vir magnus, & nobilis, à cuius hîc laudibus abstinebo, ne mihi videar in agnato carissimo, cui debitor eram ex asse, tutelari fortunæ meæ deo, nimia gratulatione applaudere; exanthemate febre, quã vulgus appellat purpuream, in obsidione Montalbanensi inter pestilentiam aëris contracta, apud suos sinè commotione, vt assolent iusti, occubuit. ab eius excessu quod residui erat illi & Auberio demandatæ prouinciæ, Auberius obijt.

Aubery. Tarabel. Prouẽce. *Tarabellus Prouinciæ & Benarnii à Rege protopræses electus.*

Mirabilis breuitate expeditio.

Ita Rex, quod nemo portentum neget, in perduelli solo intra mediæ decursum hebdomadæ, fidei Catholicæ extinctum vndequaque semen reparauit: ita factionum nimbos vna sui præsentia dissipans, Nauarræum Castrum, Orthesium, Saluaterram, Lescarum, Pauium, Oleronem, aliásque id genus munitissimas in rebelli prouincia arces, sinè obsidione in fidem reduxit, dictum illud Caroli V. iure sibi vindicans potiori, VENI, VIDI, DEVS VICIT.

Nauarreins. Orthés. Sauueterre. Lescar. Pau. Olerõ.

Poyanus Nauarræi præfectus.

Rex Lutetiam redit.


Lætitia publica.

Post commissam viro illustri, vrbium, & inter eas Nauarræi Castri custodiam Parisios iter indictum, tædióque Rex longioris viæ, vt est moræ impatiens citatis equis populũ Parisiensem, de eius reditu nihil cogitantem, intercipit. ibi quàm gratulabundè exceptus, non ignorant, qui sciunt ijs conditionibus Luteriam illustrem, vt si vel solo semestri Regis patiatur absentiam, magè desertum exprimat mercibus, & accolis destitutum, quàm eam vrbem quæ post Romã Europæ caput non illegitimè dici possit.

Poyane.

Dum Rex Lutetiæ grata à laboribus quiete perfruetur, redeamus in Aquitaniam nostram, vbi in noua Circulorum indictione, rebellio noua paratur.

Guiẽne.



HISTORIA PROSTRATÆ A LVDOVICO XIII. SECTARIORVM IN GALLIA REBELLIONIS.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

EPITOME.

Lescunus, & Vigniaucius luctuosum Benarnii statum, Circulo qui Mõtalbani coierat exhibent. hinc prouinciali Synodo Amiliani indicta, missi ad Sectarias vrbes conuocatorii codicilli. prid. Idus Nouemb. Synodum cõuenire, perorare pathetice Lescunum, monitísque Lesdiguerio & Chatilbonio, vt de fide sibi à Rege violata querantur, de bello cõsilium capitur. Rupellam Monna emissarius missus. missi & alii ad Secta magnates, Colloquiáque prouinciarum, arctiora Synodi consilia expositui.

NONDVM Rex Parisios ab expeditione Benarnensi redierat, cùm canina plusquàm feritate ad vomitum redire Benarnij perduelles, renouatísque factionum conciliis, ferri hinc inde ad Sectarias vrbes per tacita murmura prouinciæ questus. oportunè ad ea tempora Circulus Aquitaniæ vlterioris Montalbani coïerat: ibi Lescunus, & Viniaucius Benarnensium Oratores, post inductos in misericordiam omnium animos, obortis lacrymis, tractísque imo suspirijs corde, lethale in Benarnio reformatæ, quã vocant, fidei vulnus aperiunt, ídque illis interim medelæ paratum, vt ad III. Idus Nouembris indicta Amiliani Synodus, malo ex præsenti necessitate prospiceret. Ne tamen sinè auctoramento conuocata Synodus videretur, placuit diploma conuocatorium promulgari, hac formula.

Lescunus & Vigniaucius Benarnensium Oratores. Montauban. Lescun. Vigniaus. Milhau.

Diplomatis conuocatorii formula.

Quia suam quisque fortunam in consilio habere debet, cùm de aliena deliberat : procellosa tempestas, quæ Benarnenses fratres penè ad desperationem impulit, versis iam ab illorum excidio in nostra omnium capita minis, diu reluctantes adegit, vt præter ordinem, abbreuiatum Circulum Montalbani indiceremus, cuius auctoritate prouincialis Synodus, in afflictorum Benarnensium solatium, in nostri tutelam Amilianum conueniret. quod nostri muneris, etiam indicta causa hinc esse credimus, quia edictorum fidem violatam, destituta decore suo Benarnij templa, missos in eorum possessionem Romanos Ecclesiasticos, sacrosancta

Queruntur Sectarii.

Biblia, in Dei execratione horribili ab illis discerpta, coactos ad idololatriam, qui in publicis Romanorum supplicationibus, contra prouinciæ libertatem habitis, genua flectere recusabant, libertatem oppressam, vrbium reformatarum in nostrum caput mutatas excubias, ad Castri Nauarræi præfecturam papistam suffectum, qui ea demum vidimus, quæ dum non disparia nobis fata imminere præsagiunt, quidni seriò malis ibimus obuiam?

Milhau en Rouergue.

His mouemur, vt Amiliani, vrbe in agro Ruthenensi conuentui commoda, prouincialem Synodum indicamus. Quare vos, carissimi fratres, ex mutua caritate monemus, Legatos sinè dilatione vestros adesse iubeatis. hortamur insuper, ne sibi hoc loci desit mutuus ille fratrum amor in quo subsistimus: absit iustissimæ Dei causæ desertores eos hodie esse, quorum olim maiores illi protegendæ vitam in armis posuere. Quod ad nos spectat fidem sacramento solemni astringimus, defuturas sibi vires & industriam nostram, priusquàm vobis, testémq; Deum appellamus quo zelo, qua in oppressorum protectione caritate ardeat cor nostrum, hac spe, vt si quando nos fortuna depresserit, eodem æstu pro Aquitania & vos ardeatis. Quid? malum! manu ad aratrum seruiamus, qui liberi nascimur; viuamus dum licet liberi, & aliorum esse desinamus qui nostri esse possumus. si deest audaci proposito animus, quæramus locum in quo procul à tyrannica crudelitate hæc semesa membra obruamus, vbi cicatrices celet exilium. vobis interim Deus infinita clementia sospes sit.

ADDICTISSIMI AD IMPERIA vestra, abbreuiati Concilij Oratores,

DALIERESIVS. Dalieres.
BVRGADESVS. Burgades.
DELGVIERVS. Delguieres

Dat. Montalb. 26. Octob. 1620.

Indicta Synodus Amiliani coit.

Statim ab ea conuocatione lecti à Sectarijs vrbibus Oratores, dum moram non patitur rei vrgens necessitas, decursorijs equis Amilianum etiam ante designatum tempus aduenîut: Delegatorum hi nobiliores, Chamierus Rebellium in Aquitania caput, & Iolius, Ministri duo; in bella ille, hic ad pacem inclinans. Ex Nobilitate Caussæus, Comes Oruallus, Marchio Malausius, Baro à sancto Amantio, Beluijonus Villemurij præfectus, Sanromæus, Darbiesus, Brassacus, Dolidotus, Palierolius, Boissierus.

Delegatorũ nomina.

Chamier. Ioly. Causse. Orual. Malause. Sainct-Amans. Beluijõ gouuerneur de Villemur. Sãrome darbies. Brassac. Dolidot Palieroles. Laboissiere. Lescun.

Eligitur Caussæus in præsidem.

Post lectũ qui Concilio præesset Caussæum, virum experientiæ defecatæ, pridie Idus Nouemb. Lescunus Benarnij Orator in hæc verba silentium fregit.

Perorat Lescunus.

Dolere supra quàm credi possit Benarnij prouinciales Reformatos, quòd cùm id sibi ad ea vsque tempora persuasissent, auxilio se Galliæ fratribus si quando à Rege opprimerentur esse posse, inopina hodie sorte cogantur, eorum misericordiam implorare, quibus iam antè vouissent protectionem suam: eas esse vices rerum, quæ cœlo subiacent, vt

qui modò extra aleam positus, in momento, quibus inuidiam felicior excitabat, ludibrio sit. percutientem Dei Angelum, floridam in reformata virtute ditionem auito decore spoliasse, quæ vna sit, seuera tamen, Dei in diuturna prouincialium felicitate obliterati, pœna; quæ (vt præuertit seueritatem in Deo clementia) metam tandem aliquando inueniet, clamantibus identidem inter oppressionem Benarnensibus; DEVS DIC ANGELO PERCVTIENTI, VT CESSET MANVS TVA. Inauditam esse tyrannidem, quam exerceat furor inimicus, vrbes solo æquatas, oppressas conscientias, infantes ab vlnis maternis ad idolorum cultum abreptos, reditibus suis spoliatas Ecclesias, abactos Ministros; omnia demum tyrannicè acta. Repetitis à se sæpius eiusmodi questubus, quando mœsta vbi semel prorupere difficiliùs reticeantur, prouolui ad fratrum genua, ea crudelitate habitos Benarnenses, quorum si misericordiam luctuosa conditio adeò excitat, vt manum auxiliarem sperare liceat; non vsque adeò eos desperata salute languere, quin affulgeat adhuc spei radius, qui reuocandæ in pristinum decus prouinciæ abundè sit.

His mira arte, vt ingeniosus erat, præmissis, arctiora minutim prouinciæ secreta repandit. superesse post luctuosum Benarnij naufragium tabulas in prouincia quasdam, arces, & castra non spernendi muniminis, in quibus adhuc, velut in gleba minutula fundi possessio retineatur; imò & commentum in promptu esse, quo Nauarræum intercipi possit, oppidanos magna ex parte reformatos, milites re- *Consilia prouinciæ arctiora aperit.*

gios, quos in familia quisque sua alere cogitur, nocte intempesta somno, vinóque sepultos, vna posse internecione iugulare; rem in aperto positam vno indigere secreto, Bensinos patrando facinori lectos supra Synodi approbationem nihil exspectare. Ad hæc (vt sunt molles in calamitate mortalium animi) effusis sinè modo lacrymis, omnium misericordiam in se commouit, vnde post lectos Comitiorum Lodunensium, qui de Benarnio erant, articulos in hæc demum capita conuentum.

Bēsins.

I. Iuxta præstitutum à Comitijs ordinem Prouincia Aquitanica datam Benarnio protectionis fidem iureiurando firmat.

La Guiēne.

Synodi conclusiones in septem capita diuiduntur.

II. Ad Lesdiguerium, & Buillionum Marescalkos, Tremolium, Chatilhonium, Sullium, Rhoanæum, ad Synodum nationalem quæ Alesij coijt, ad prouincias Narbonensem, Cadurcorum, Viuariensium, Cebennarum & Delphinatus, ad Castri Albigensium, vt & ad Rupellæ oppidanos mittentur sinè mora legati; scilicet ad Lesdiguerium, Chatilhonium & Narbonensem prouinciam Darnius; Buillionum, & Sullium, Boissierus, Rhoanæum, Tremolium, Aquitaniam inferiorem, & Rupellam, à Sancto-mormaco; ad Castri oppidanos & Cameram edicti, Sanromæus, Chauetus, & Clericus, quibus id muneris erit, vt in Benarnij auxilium concitatis præsentem gentis reformatæ in Gallia statum exponant.

Lesdiguieres. Bouillō. La Trimouille. Chatilhon. Sully. Rohan. Ales. Lāguedoc. Quercy. Viuarés. Seuenes. Dauphiné. Castres d'Albigeois. La Rochelle. Darmius. Laboissiere. Sainct-mormac. Sārome. Chauet. Le clerc.

Legati ad prouincias, magnates, & vrbes missi.

Tertium caput.

III. Quò monitiones nobis à primoribus Galliæ religionis reformatæ, vel ab exteris missæ, in posterum prosint, placet Synodi huius abbreuiatum ordinem,

dinem Montalbani, donec aliter visum, subsistere: regētibus interim Colloquia Ruthenorum Comite Oruallo, Cadurcorum simul & Albigensium Marchione Malausio, Lauraguesiorum Sanct-romæo: modò nisi ex abbreuiati concilij auctoritate, neque copias legere, neque possint iam lectis arma conferre, donec à Comitijs ad VII. Kal. Decembr. Rupellæ indictis militia ordinata.

Rouergue. Orual. Quercy Albigeois. Lauraguais. Malause. Sirome

Oruallus. Malausius Sanromæus prouinciarum interim imperatores creati.

IV. Vt machinationibus etiam nostrorum proditorijs, in posterum occurri possit, meminerint vrbes reformatæ, statim ab huius promulgatione statuti, munimentis quàm fieri poterit validis fossas, & mœnia antiqua diligenter obducere. *Quartum caput.*

V. Hortamur futurū in abbreuiata Synodo Circulum, magnatum nemini, prouinciarum primariæ præfecturæ sinè prouincialium suffragijs concedantur. *Quintum.*

VI. Synodi concilium duobus constabit, ex quolibet ordine oratoribus, quibus aderunt Crussæus, Chamierus, Guerinus & Boissetus. *Sextum.*

Crusé. Chamier. Guerin. Boisset.

VII. Monebuntur Castri Albigensium & Amiliani Oratores, pessimi rem exempli, periculosíque futuram euētus, si ad Comitia generalia militiæ ordo omnis ita remittitur, vt facultate omnium ipsis data nihil in belli directione potestatis Colloquijs prouinciarum supersit. *Septimum.*

Castres d'Albigeois. Millau.

VIII. Eligetur modomet imperator, qui in Benarnium auxiliares copias ducat. *Octauum.*

CAVSSÆVS, *Præses.*
CHAMIERVS, *Adiunctus.*
GVERINVS, *à Secretis.*

Caussé. Chamier. Guerin.

Secreti articuli duo. His addebantur articuli duo, in quos ideò secretò conclusum, quia sæpius antè obtigerat decreta concilij in Regias manus deuenire.

Primus erat, concitandos Lesdiguerium & Chatilhonium ad illatæ vindictam iniuriæ, quibus solemniter data à Rege in Comitiorum Lodunẽsium solutione fides, tam proditoriè violata. Lesdiguieres. Chatillon.

Castri Legati à belli consilio alieni. Secundus in belli decreto versabatur, quãquam Castri Albigensium Legati, Belujonus & Laboissierus Nobiles, vt & Iolius in Aquitania inferiori Minister, omnibus bello auertendo tentatis, immunes se à sanguine, reclamantes abiere. breuior tamen in fide constantia: si enim Belujonum eximis, qui obsequium Regi aut præstitit, aut ex necessitate eius, quem Lesdiguerio præstabat famulatus, simulauit: reliqui fuere perduelles. Castres Beluiõ. Laboissiere. Ioly. *Non diu tamen.*

Indicta municipiis vectigalia. Quia tamen belli neruos in pecunia statuit auaritia militum, deficiente ærario publico, indici placitum ditioribus municipijs vectigalia, donec aperto marte liceret ex præda, incendio, & ruina quæstum facere: tributi pro angustia rerum hic fuit modus.

Montalbanum triginta octo librarum millia in publicum conferet. Montauban.

Castrum Albigẽsium viginti octo. Amilianũ sex. Castres Milhau.

Prouinciæ Colloquium quodlibet, in nouem menses stipendia tria cuique militum numerabit.

His ita præscriptis iubentur delegati, vrbe citò excedere, sectariásque in transitu suo arces eorum monere, quæ Synodus statuisset; parata forent ad bellum omnia, munimentorum operi diligentiùs

Mŏne. incumberetur, fides, & ordo mutuò seruaretur. Monnæo inter alia id mandati obtigit, vt si ijs, qui iam ad Comitia Rupellam cŏuenissent, viderentur periculosa ad vrbem itinera, mutaretur habendis Comitijs indictus locus, transferrentúrque Montalbanum, aut Amilianum quò tutiùs pergi poterat. *Monnæ de transferendis Comitiis, si periculum ingruit negotiũ datum*

Ad ea tempora Synodus Alesij prouincialis coïerat, cuius item in bellum iuere decreta, ibi de Priuatio mũlta, quæ nos iam antè.

CAPVT II.

EPITOME.

Synodi Aquitanicæ emissarius Rupellæ legatione sua defunctus Comitia ad bellum accendit, quorum dehinc in lucem editis ad Regem codicillis detecta Rebellio: sæpius à Sectariis propositi questus ad nauseam repetuntur, accusantur de bello inducto Iesuitæ. rescribit ad Comitiorum cœtum pro Rege Lesdiguerius, obsequii monet, frustra tamen. bellum acriter insituri Rebelles, auxiliares copias flagitant, eas illis denegat Britannia magna.

Mŏne. EX demandata sibi prouincia Monnæus Rupellam appellens, reperit iam ab ineunte Decemb. coacta Comitia. intromissus Synodi mentem exponit: vnum hunc prouincialibus Aquitanicis animum, vt libertas Euangelio, familijs Reformatorũ dignitas sua, tutela saluti Be- *Monnæus Synodi Aquitanicæ Orator Rupellanos ad arma accendit.*

narnensibus templa & reditus, si precibus non licet, armata manu vindicentur: id sibi arctè commissum, moneret dispositam bello Aquitaniam, Comitiorum vnum opperire imperium instructas legiones, paratum ærarium. hortaretur insuper vt reuocata in memoriam Benarnij desolatio recens, affectos misericordia fratrum animos ad iniuriæ vltionem impelleret. supra fidem esse quod pati cogatur eorum innocentia, quos interim in protectionem Aquitania suam suscepit, donec ordinato pleniùs bello de summa rerum Comitia statuant.

Benarnii statum exprimit.

Placuit Comitijs tuba bellicum canens: imò & gratijs prouinciæ Aquitanicæ oblati obsequij habitis, adiecit omnium nomine præses, & susceptura Comitia fratrum Benarnensium protectionem, & Aquitaniæ votis, quæ in bellum ibant factura satis: iustum esse bellum cùm oppressis negata protectio.

Grata est belli suasio iam ad arma dispositis.

Circa id tempus prodiere in publicum Sectariorum ad Regem codicilli, quibus in hunc modum tentata Comitiorum innocẽtia. Iniquum esset, Rex magne, dum insolenti audacia detonant aduersarij nostri, indici nobis silentium. Loquemur ergo auspice clementia tua, & si fas scripto, quando voce non licet, maledictorum accusationes diluemus. Permissum nobis principali nuper rescripto, Lodunum conuenire: conuenimus, ibi supplicibus votis petita libertas conscientiæ, vrbes matrimonij, fœderis, fidei datæ obsides quæ non vtendo in dies nobis deperibant. actum hîc paucis, multáque breui oratione complexi plura prætermisimus, adeò su-

Comitiorũ ad Regem codicilli.

pra facundiam creuerat miseria nostra, detecta hîc vulnera quæ celarat patientia longior, quibus intra sex menses medela promissa, si Comitia interim soluerentur. Soluimus imperijs assueti, quamquam ea conditione, cuius habemus expromissores Condæum & Luynæum, vt statim à termino præstituto (si deficeret Libellum subscriptio) liceret, etiam indicta causa, noua Comitia cogere. expectati diu Regiæ pollicitationis effectus, quando relatum, longiùs à nobis eorum esse gratiam qui imperij arbitrium tenent, quàm vt fidei datæ speranda exolutio: vnde ab eo tempore adeo sui nobis copiam liberiorem non fecit Maiestas tua: quinimò tentata penitus omnia quò si quid adhuc apud nos libertatis spirabat opprimeretur illud. hinc nobis dolor, eò grauior quòd eorum sæpe ignarus quæ geruntur aliorum arbitrio damnas, qui tuo haud dubiè iudicio qui iustus es absoluerentur. si querimur, iusta est causa: appellamus in fidem, crudelem illam in Benarnium expeditionem, quæ vsque adeò veterem mutauit prouinciæ statum, vt hodie extranei sint in terra sua Reformati. Hæ sunt legitimæ causæ, quæ Comitia Reformatorum generalia Rupellæ hodie sistunt, iustæ illæ nécne, tuum esto iudicium qui LVDOVICVS iustus, quem eorum magna ex parte nescium credimus, quæ in nos væsana inimicorum libido exercet: tuum esto iudicium, licitus nécne conuentus reuoluto iamdiu sinè subscriptione semestri; iustus erit si calculum sine inuidia ponis: innocentiam ergo protege qui Rex es, vim passis opitulare clemens, neque diutiùs

Condé. Luynes.

De oppressa libertate queruntur.

Oppressi, à Rege protectionem flagitant.

Querelas depromunt.

opprimi patiare qui te auctore spirant: nostrorum cadauera, prô nefas! Luporum vbique voracitati, rapacitati auium subiacere, terram illis inaudita crudelitate negari, ardere templa nostra, pastores irrideri, pensiones annuas, in stipendiariam annonam, Ministrorum victum, in custodiam vrbium, Regijs edictis nobis concessas, contra veterem Galliæ ordinem recusari: enimuerò hæc omnia, quamquam grauia, non euulgato dolore pateremur, nisi accederent coruorum voces importunæ, putidorum hominum conciones, quibus quotidie Maiestatis in nos tuæ aures verberantur, nescimus quo stylo, nisi quòd seditionem sapit: hi sunt qui se regiæ conscientiæ directores faciunt, quos omnium in Gallia moderatores eorum superbia iactitat. factiosa in nos omnia, quæ pestilens eorum Societas vomit, quid malùm bella in nos seditiosè prouocat? quid exposcit prælia, quæ nusquam periculi aleam subit? quid in sanguine gens desidiosa natare desiderat, quæ se eius Ecclesiæ ordinem gloriatur, quam aiunt abhorrere à sanguine? malè sit eius memoriæ, qui homines omnium auidos, induxit in Galliam, non alio hodie morbo laborantem, quàm qui pestilenti basilicorum aspectu contrahitur.

Iesuita Sectarijs suspecti & infensi.

Eorum in Iesuitas declamatio.

Hæc omnia, Auguste Princeps, penè inuitos adegere, quò Maiestatem enixiùs tuam precaremur, subditorum languidos aliquando clamores audiret. quorum in id plàctus, vt postquã licuerit loqui, & querelas depromere, liceat in libertate conscientiæ exultantibus, immunitates antiquas, priuilegiáque si quæ sunt, ore Maiestatis Regiæ toties

confirmata in patrum tranquillitate poſſidere.

Nemo hîc non crediderit Sectarios armis iniuriosè laceſſitos, qui tam blandùm garriunt; verùm hæ lacrymæ Crocodili, quibus ad ripas Nili homines allicit mox deuorandos; ſin mauis hyenæ commentum, quo ferale animal, humani mentitũ modos, & planctus organi, paſtoribus vulgò inſidias ſtruit. *Crocodilis æquiparantur Nouatores.*

Hîc, quod & alibi ſæpius, notari par eſt quàm Sectarij Ieſuitas, gentem innocuam oderint; quibus, ſi ſinè inuidia calculus ponitur, vix dici poteſt quantùm hoc bello Gallia victrix debeat; hinc Sectarijs lacrymæ, odiáque; hinc Societati triumphus, quæ ſibi ab hæreticis doleret applaudi. *Ieſuitarum in odio Nouatorum triumphus.*

Leſdiguieres. Non defuit Regi reſponſum, Dux quippe Leſdiguerius, per epiſtolam ab ijſdem laceſſitus, vbi fuſiùs eadem repetebant in hæc verba pro Rege reſcripſit.

Quos ad me miſiſtis codicillos, viri Comitiorum illuſtres, recèns mihi redditos, eò legi attentiùs, quò veſter ſum religione tenus: vnum oro ne mea hæc libertas diſpliceat, vobis citra rebellionem felicia omnia precantis, qui & vobiſcum reformatus vno Regis obſequio diſcrepo. Redijſtis in nouum Comitiorum ordinem auctoritate propria, non ignari, perduelles in Monarchia ſinè diplomate Regio conuentus quoſlibet: & ne deforet proditioni prætextus, hinc color quæſitus: Lectoram à Fontaralio recèns Catholico poſſeſſam adhuc: duos parlamento Pariſienſi ex noſtris Senatores nondum aſcriptos: in Benarnio ſubuerſa omnia. ſed parcite ama- *Leſdiguerii ad Comitia Rupellana littera.* Lectoure, Fontarailles.

bo ſi ſinè fuco loquor, libertatis aram attigiſſe credo, cùm mihi vobiſcum res eſt, quorum continuus, ad libertatem clamor: ânnum vobis antè conuocatos illegitimè Ordines plus æquo factum ſatis? duos Senatui ſuo ex noſtris aſcripſerat Lutetiana Curia; Lectoræ præfectura Fontaralius deſtitutus, Blainuillio nobiſcū reformato præfectura arcis conceſſa; in principatu Benarnij, nemine noſtrorum quod ſciam, malè habito, liberi vbique conſcientiæ modi, vbique templa integra, nullibi religio quæ mortuis debeatur violata. non erat ergo quòd motis ſinè cauſa querelis, Comitia contra regni ordinem cogerentur, vnde regiam audio patientiam, ſupra quàm credi poſſit, in veſtra omnium capita concitatam: quamquam ſi redire in gratiam animus, non adeò deſperata ſalus, quin ſolutis ſinè conditione Comitijs, maior adhuc gratiæ ſpes, quàm antè fuerit. Dimiſſis ergo gens mihi cariſſima Comitijs meliora ſperate, ſoluantur quæ maligno aſtro collecta, agite, qui alioquin in læſæ maieſtatis crimen abitis. ita precibus ego meis iuſtitiæ cauſæ veſtræ adiunctis, plura vobis mihi credite obtinebo quàm ſperare par ſit: quòd ſi, ſpretis fratris vobis addictiſſimi monitionibus, perduelles eſſe perſtatis, innocens erit à labe Leſdiguerius veſter, cuius nuſquam vobis opitulatio defutura, ſi priùs ipſi vobis non defueritis.

Obiectionibus districtè respondet.

Blainuille.

Opem illis suam si Comitia soluantur promittit.

Scripſerat in hanc formulam ad Sectarios Leſdiguerius, ipſe Sectarius, vir armis & conſilio æquè potens, qui lilia ex veteri poſſeſſione, ea in corde puritate ſeruabat, vt exemplū fidei nuſquam Regi violatæ

Laudatur Lesdiguerii fides.

latæ posteris esse possit. Id ergo Regi in publica calamitate solatij, si lacessitus à subditis Rex de bello quod ipsemet suaderi se patitur, Sectariorum calculus in Comitiorum proscriptionem fertur, quòd illegitimam hanc coëundi formam, perduellionem appellant inuenti in ipso fratrum contubernio accusatores.

Intereà ne Sectæ Comitia deforent, auxiliares copias hinc inde flagitare. mitti quà in Belgium, quà in Britanniam magnam Oratores, ab Ordinibus illinc, hinc à Iacobo afflictis solatia peti, idq; Legatis imperij dari, si socijs deforet animus ad eorum vota dispositus, populos latè Belgij & Britanniæ magnæ, prætextu oppressæ à Rege Galliarum conscientiæ, in afflictorum opem concitarent: verùm inutilis delegatio; neque enim probat Britannia magna subditorum hanc in Regem audaciam, ipséque, in perduellione Gallorum, sibi ius dici sapiens Iacobus reformidat; quippe quem non latet vna Sectam populi imperia quærere: multúmque aliunde Ordinibus Batauis est, si collatis in vnum viribus Ibero resistunt. desperata ergo Sectarijs salus; nisi habent ex seipsis in Gallia præsidij satis, quò minarum insolentem superbiam, innata sibi virtute assequantur.

Legati à Comitiis in Britanniã magnam mittuntur.

CAPVT III.

EPITOME.

Post distributas magnatibus suis prouincias Galliæ, illos Comitia generalia ad bellum hortantur: dehinc arrogata sibi sigilli potestate, Regiam vsurpant auctoritatem. explicato iuxta Catholicorum mẽtem sigilli ænigmate, ostenditur pro Christo & Rege *palàm loquutos Caluinistas, in vtrumque fuisse perduelles.*

AD Ianuarij Calend. anni post M. DC. XXI. fulgere palàm luctuosum Rebellionis Cometam, qui Gallici cœli lilia, auro radiantia malignè iam afflabat, nisi Gallia in LVDOVICO Rege, SOLEM IVSTITIÆ inuenisset, qui Lilijs aurum suum restituit, salutem imperio. nihil morata Rupella, præscribere belli ordinem, Regísque defuncta imperio, diuidere Galliam in Circulos septem, totidem creare ex primoribus suis imperatores, quibus id muneris vt in prouincijs, quas placito Comitiorũ sortiti, caueant, ne quid detrimenti respublica capiat. Diuisis imperijs prodire in publicum Comitiorum codicillos, segniores animos ad arma concitari. prædam esse immensam, quæ ex Catholicorum ruina Reformatis accrescat. numquam ditiores in Gallia Basilicas. vbique auri copiam, vbique victorias. Ceterùm hunc esse genium Gallis, vt ad noua semper, etiam sinè

Comitia, Galliæ prouincias primoribus suis distribuunt.

Codicilli Comitiorũ ad magnates Sectæ.

Promittunt Basilicarũ prædam.

causæ cognitione ferantur; sequuturos Catholicorum plures bello iam denuntiato, fortunatam suam, qui adhuc silent. memoriam retrahunt ad exacti seculi monimenta, quo in Catholicôs Romanos non pauci ex ipsis etiam Catholicis, secum depugnabant. illuxisse tandem hanc diem, diem ab omnibus expetitam, qua Reformatorum corpus vnitum, Ordines Gallici dici possint; id Regis adolescentiam suadere parum in armis versatam, à quo nihil timendum, quem auium aucupia sisterent, quem syluarum spolia morarentur.

Inter Catholicos spes dissidiũ serant.

Democratiam ambiunt.

Calumnia Sectariorũ in Regem.

His ita garriebant Comitia codicillis, quos ad septem imperatores suos scribebant, Lesdiguerium, Buillionum, Tremollium, Rhoanæum Duces & Galliæ Pares, Soubisium, Chatilhonium & Forcæum.

Lesdiguieres. Bouillō. La Trimouille Rohan. Soubise Chatilhon. La Force.

Designati septem, à Comitiis qui armis imperarẽt.

Distributis in hunc modum prouincijs, tacita lege iussi magistratus municipales, munire bello vrbes suas, propugnacula struere, cauare fossas, faciliores accessus repagulis claudere; parent eodem vbique momento prona Comitiorum imperijs municipia. non parcitum sexui, imò ipsæ natalibus claræ virgines aut matronæ distinctis auro passim, & serico vestibus, corbes terra plenas, imparibus labori humeris, gestitare: vnde in immensum citéque erecta hæc propugnacula ad quorum oppugnationem miserè peribit flos Galliæ. Ferunt eam assidui laboris in opere accelerando pertinaciam, in ordinando sagacitatem, vt eodem vbique momento pari alacritate & diligentia labori incubans ingeniosa protectioni suæ industria, tot fecerit penè

Indicta Sectariis vrbibus munimẽta.

Virgines etiam illustres operi incubant.

inexpugnabiles arces, quot illi vrbes, ipsæque magna ex parte ne quidem muris obductæ, vnde effrenata gentis superbia.

Comitia sigilli debitā vni Regi auctoritatē vsurpant.

Quia tamen deesse videbatur rescriptis Comitiorum dignitas, placitū, quæri in sigillo supremum imperij ius, quæ fuit auctoritatis Regię impudētissima omnium vsurpatio. Erat autem (ne quid intactum abeat) imaginis ęri incisæ hic typus. Stabat Angelorum in medio princeps, qui læuâ, quam vibrabat in aërem, librum prętendens, dextróque latere in Cruce reclinato, nudo homini iacenti ad pedes insultabat, hac inscriptione, PRO CHRISTO ET REGE.

Eius imago & inscriptio.

Perstringitur vtraque.

Liceat hîc nobis etiam præter historiæ seriem, sigillo insculptam imaginem, eiúsq; inscriptionē ex mente Catholicorū districtè perstringere. obreptitium illud, minúsque forsan narrationi cōueniens, gratum tamen, imò & ex rerum notitia. Videant ergo quibus rerum indagatio placet, quàm parum conueniat, seu Caluinistis, seu imagini sculptæ inscriptio, PRO CHRISTO ET REGE. Caluinistis minimè, qui vno ordine Christo & Rege habitis, vtriusque memoriam odio prosequuntur, dicerē immortali, nisi quòd in dies emoritur perniciosa secta. Christum oderunt, quem cum Caluino suo aiunt, in ea Cruce quam jactant, desperatam animam exhalasse; Regem item cuius excidio sæpius tentata extrema. inueterati in Christum odij testis ea doctrina, qua Christi eiusdem in sede Romana Legatus, quem ex traditione fateri necesse est, impudenter negatur. Plura de innato ipsis in Reges

Probatur inscriptionem neque debitam Caluinistis neque imagini.

Christi & Regis hostes Caluinistæ.

Probatur vtrumque.

odio vna postulatione complector, quæ ambitæ est supremæ in ditione Regia potestatis: sed mirabitur nemo, qui Caluinistas vbique mendaces sciet, & impudentes, per antiphrasim hoc loci loquutos, PRO CHRISTO ET REGE, ac si diceres, in vtrumque.

Quàm autem hæc inscriptio imagini parum quadret, quis non videt? Quid enim est quòd primus ille Angelus nudum hominem calcat? quòd librum læua præfert? quòd Cruci, dextro latere incumbit? quid hîc de Christo? quid de Rege? si memoriam Christi renouare dicitur Crux in qua reclinatum dextrum Angeli latus; debuerat Angelus IN CHRISTO dixisse, non PRO CHRISTO: minùs enim dum Cruci incumbit, Christo prospectum, quàm illi. Quid autem cum libro, cum nudo homine calcato, Regi adeò commune, vt hinc hæ voces, PRO REGE? nihil penitus. Vnde colligere est, Caluinistis plerumque de Rege gloriosè loquutis, vertere illi dedecori & iniuriæ apud sagaciores, quod seductis populis honori ducitur.

Explicatur ex mente Catholicorum sigillũ in noua inscriptione.

Iure potiori hæc Angelo debeatur inscriptio, PRO SECTA IN REGEM, quam imagini magis cõuenire ad ea tempora Catholicos his argumentis probasse memini. Primò Comitia Rupellana seditionis fomes, vnde sigillũ prodijt, Lucifero exprimi placet, non ineptè, primariũ enim hunc Angelũ perhibent sacræ paginæ, quia se similem Altissimo cogitabat, primũ fuisse rebellionis in Deum auctorem. Comitiorũ cœtus perduellis, Regi suo, Dei viuentis imagini similis esse voluit, in Galliã nuper

Comparantur Comitia Lucifero.

liberæ Reipublicæ ſtatum inducere parans. Concitauit in tutelarem Galliæ Deum reliquos Angelos, Sectarios nempe fratres, quorum pars maxima Comitiorum fortunam ſequuta, conuerſis in Regem ſuum armis, cœlo diſiecta eſt, vt docebit nos hiſtoriç ſeries. pars in fide inuiolata Regi militans, cœlo Galliæ liliato, & in eo gratia & affectu Regis ea felicitate potitur, vt verè dixeris Angelos eſſe, qui Luciferi ſuperbiæ negato ſuffragio ſibi Regiæ propenſionis promerentur fauorem. Hæc de Lucifero proloquente.

Quid liber, Crux, & nudus homo ſibi velint. Quod de libro, Cruce, & nudo homine eſt; quis non videt Crucem, & librum, ſectam eſſe, quæ ſe populorum animis in prætextu pietatis inſinuat? hinc eſt quòd læua, vbi cor continua palpitatione ſpirat, Sectæ hieroglyphicus liber præfertur, quaſi ea ſit proloquentis mens Angeli, vt Sectæ protectio ex cordis intimo ſuſcipiatur, intereà dum fictitia pietas, in imagine Crucis illudet ignaris vulgi animis. Nudo homine, cui inſultat ſuperbiẽs Angelus, LVDOVICVM Regem exprimere voluit ſculptor, quem ſperabat audax Lucifer Regia breui dignitate ſpoliatum, futurum Angelis ſuis ludibrio, quibus paratus iam ex deſtinatione ſuperba ludus ille, cui apud Gallos à Rege ſpoliato nomen. *Ludus Regis ſpoliati.* ſed non ita res habuit, immenſo Dei beneficio, cuius decreto deiectus cœlo liliato Rebellionis Angelus, pœnas hodie proditoriæ temeritatis luit.

De ſigillo ſatis, cui cum prædicta inſcriptione hunc ſenſum Catholici ſagacitas ingenij his temporibus aſtruebat; nec iniuria ſanè: quis enim ferat

Angelum ſuperbia ferocem populis impudenter imponere? Statim eligi qui ſigillo præſit procancellarium, eúmque more apud Sectarios plebis amantes, inueterato, ex fæce populi; huius auctoritate geſta illicò omnia, miſſa in prouincias armorum imperia, vectigalium regiorum mandata exactio, proſcriptę leges, data omnium libertas, exercitus ordo indictus, conductitiorum vocatæ legiones, lecti cohortum præfecti, equitum phalangarchæ. denique quidquid in principem lege Regia delatum eſt, id totum perduelli ſigillo per nefas attributum.


Eligitur procancellarius.

Omnia moderatur.

CAPVT IV.

EPITOME.

Praſcripta à Comitiis Rupellanis de re militari & ærario regulæ in XLVII. ſumma capita diuiſa. ex occaſione probatum Sectarios Galliæ Belgicorum Ordinum imitatos audaciam, quos ad primum naſcentis Democratiæ ſuæ exordium, eiuſmodi regulis Maieſtati Regis Catholici illuſiſſe memorat hiſtoria Belgii. cauſa dehinc inſeritur defectionis primorum Sectæ à populo.



CIRCA id tempus dirigendis, ex placito Comitiorum, militia & vectigalibus compoſitæ certæ leges, quibus diſpoſitum ſummo iure de omnibus: illas ſtatim à ſigilli deſcriptione hîc inſeri placitum, quia paulò poſt eo auctorante

viguerunt, quamquam non diu.

REGVLÆ A COMITIIS RVPELLANIS ad VI.Id.Maias.Ann.M. DC. XXI.editæ.

BOVILLON. La Normandie. L'Isle de France. Berry. L'Anjou. La Touraine Le Mayne.

I. Prouinciæ iuxta Synodos suas diuisæ, distribuentur hoc ordine.

Duci Buillionio primo Galliæ Marescallo, Normandia, Insula Franciæ, Bituriges, prouinciæ Andium, Turonum, & Cenomanorum.

SOVBISE. La Bretagne. Le Poictou.

Soubisio, Britannia, Pictones, & quæ hinc pendent.

LA TRIMOVILLE. Angoumois. Saintonge.

Duci Tremollio, Angolismenses, & Santones, cum Insulis adiacentibus.

LA FORCE PERE. Basse Guienne.

Forcæo Patri, Aquitania inferior.

ROHAN. Haut Languedoc. Haute Guiéne.

Duci Rohanæo, Gallia Narbonensis, & Aquitania vlteriores.

CHATILHON Bas Languedoc. Geuaudan. Viuarés. Seuenes.

Chatillonio, Gallia Narbonensis inferior, Gabali, Viuarienses, & Cebenni.

LESDIGVIERES. Dauphiné. Prouence. Bourgogne.

Duci Lesdiguerio, Delphinatus, Prouincia, & Burgundia.

LA FORCE FILS. Le Bearn.

Marchioni Forcæo extra Galliæ terminos, Benarnij principatus.

Quibus omnibus præerit primicerius armorum imperator Buillionius.

II. Nihil

II. Nihil mutabitur ritus antiqui in Conciliorum conuocatione, quæ toties conuenient, quoties ex mente imperatorum nouo consilio res nouæ indigebunt.

III. Imperator in prouincia quæ illi obtigerit, delectum expeditionum habebit: obsidiones tentabit, & prælia si videbitur.

IV. Officia, muniáque exercitus sui, ex placito conferet, exceptis principatu cataphractæ phalangis, aut leuis armaturæ; legionum primario ducatu, imperio Castrametatoris & rei tormentariæ maiori præfectura: de quibus Comitia generalia disponere par est.

V. Erit imperatori Concilium arctius mixtum illud, compositúmque veteranis militibus iuxta & delegatis ad eum tribus Comitiorum Oratoribus, quos trimestri quolibet mutari placet.

VI. Idem iuris esto in præfectis armorum prouincialibus, qui & ipsi in prouincijs sortitò suis imperatores erunt, nisi quòd primario illi subiacebũt.

VII. Legati in prouincia sibi legendi, cuilibet imperatorum concessa facultas, non priùs tamen munus obituri, quàm diplomate obtento, Comitiorum auctoritate præfecturam gerat.

VIII. Licitum primario imperatori in expugnatas vrbes præfectos inducere ex delectu, Comitiorum adhibito assensu.

IX. Vrbes, nostro iam addictæ imperio videbit ne præfecto destituantur, quem eliget vbi defecerit, suffragijs tamen vrbium, & prouinciæ, excepta Rupella, vbi nihil immutabitur. quod de his est quæ

La Rochelle.

rectoribus hodie ſuis reguntur: placet ſi morientur, tres ab imperatore legi,quorum,frequentibus Comitijs, delectus habebitur.

X. Si primicerius armorum imperator Rupellæ adeſt, Comitijs præerit, reliquis prouinciarum rectoribus ius ſedis, & ſententiæ erit, eorum Legati quilibet excludentur. Concilijs verò prouincialibus præerunt ijdem prouinciarum rectores, Legati nuſquam,niſi à prouinciali Synodo lecti.

XI. De inducijs, aut pace ſermo nuſquam, niſi plenis Comitiorum ordinibus, conuocatis antè imperatoribus prouinciarũ, aut, ſi adeſſe nequeunt, eorum Legatis,quo caſu,& non aliàs Legati in Comitiali cœtu ſententiam dicent.

XII. Quæcumque manus armata capiet,niſi fautores habet rectores prouinciæ,aut eorum Legatos pro illegitimè captis habeantur.

XIII. Duces,Caſtrametatores, cohortum præfecti, tribuni, centuriones, primipili;imò & gregarij ipſi, ad ſeruandas militaris diſciplinæ,& vectigalium Regulas ſacramento ſolemni adigantur.

XIV. Quia exemplo ceteris eſſe debent, qui arma tractãt, hortamur Caſtrametatores,cohortum, principes,tribunos,centuriones,nec non milites ipſos, vt in Caſtris ea continentia viuant, quæ milites deceat Chriſtianos.

XV. Quod vt contingat ex voto, precamur eoſdem Caſtrametatores, cohortum Principes, tribunos,Centuriones,& quoſlibet alios,Paſtores in Caſtris ſecum habeant, qui dilabentem in militari licentia vitæ Chriſtianæ diſciplinam reſtaurent.

XVI. Prohibetur blaſphemia omnis, ad pœnam argentei nummi, ſimiles eſt, quem faciet loquendi licentia noxium, aurei, ſi nobilis; exauctorationis ſi recidui ſunt.

XVII. Faceſſat procul à caſtris quidquid impuram Venerem ſapit, quę conſumptis viribus & peculio, prouocat ſępius ad diſſidia commilitones; vnde imperatores hortamur ne in caſtra ſecum pellices trahant, probroſa exercituum impedimenta.

XVIII. Agatur vbique pacatè, nulla inter commilitones diſſidia, rixę nullæ oriantur, ſi quę interſint eas illicò ſopiat primipilus, aut Centurio.

XIX. Poſt vigeſimam quartam à pręda intercepta horam, moneri imperatorem decet; quid de illa ſtatutum velit, maximè ſi captiuorum eſt; quorum redemptioni, imperatoris, & Concilij decreto pretium conſtituetur.

XX. Imperatores, Duces, & tribuni, vt captiuos ſinè cauſę cognitione dimittere, ita prędas aut redemptionum pretia conferenda in rem publicam, in priuatam conuertere prohibentur.

XXI. In acta Comitiorum publica redigentur diplomata omnia, quibus pręfecturę militares priuatis obtigerint, vt ſi quis ſinè reſcripto vſurpaſſe prodatur imperium, pro graſſatore habeatur.

XXII. A Centurionibus ſuis non deficient milites, vt nouis Centurijs aſcribantur, niſi priùs impetrata ab ijs venia quorum intereſt.

XXIII. Vt pręfectis vrbium pręſidiarij militis numerus pateat, in vrbib⁹ ſingulis ternio aſſeruabitur, in quem conductitiorum nomina referantur.

XXIV. Nemo arduum opus aggredi præſumat inconſultis imperatore,aut Comitijs.
XXV. Præfectis legionum, necnon gregarijs ipſis mandatur, vt non niſi pecunia numerata annonam ſibi parent,maximè ſi amicum eſt ſolum, vbi militabitur.
XXVI. Prohibetur negotiatio cum hoſte quælibet, ad pœnam criminis,quod non niſi capite expiabitur.
XXVII. Vt militibus fiat in ſtipendio ſatis, in aperta planitie coram Magiſtratu numerandis ſtipendijs,diribitorium eſſe iubemus.
XXVIII. Centuriones eam pro militibus ſuis cautionem præſtabunt,vt teneantur illos iudicio ſiſtere,ſi vocati vadimonium deſeruerint.
XXIX. Equitum ordines quinquaginta tantùm cataphractis, peditum Centuriæ centum gregarijs conſtare placet.
XXX. Qui municipio ſuo militabit præter ſtipendia nihil petat. quippe quem rem ſuam agere, vxorem,liberóſque citra incommoda & periculum tueri conſtat.
XXXI. Quò ad communem omnium vſum terra faciliùs excolatur, immunia ab armis præſtamus quæcumque agriculturam ſpectant.
XXXII. Si à bello pacem aliquando iniri contingat,vrbes, arces, caſtra, aliáque id genus munimina quæ rei publicæ hodie arbitrio viuunt,eidem rei publicæ ſubiacebunt, neque licebit magnatibus aut nobilibus quid ſibi iuris in ijs aſcribere.
XXXIII. Molitores ab hoſpitio militari,& ab

omni belli incommodo immunes ſunto.

XXXIV. Stabularijs, & mercatoribus quibuſcumque immunitatem à ſubſidio damus, ſi merces vina & frumentum iuſto in caſtris pretio væneunt.

XXXV. Vectigalia, regales decimæ, portoria, tributa demum omnia, eo ſibi aſcribunt iure Comitia, vt Rationales Regij poſthàc ad eorum ſolutionem, Comitiorum reſcripto perinde ac Regio cogi poſſint.

XXXVI. Quod & in Eccleſiæ reditibus iure potiori ſtatutum ſiet.

XXXVII. Pars prædæ ſexta in publicum conferetur.

XXXVIII. Si quid precij vrbes obſeſſæ ab obſidio aut deprædatione redimendis ſe numerent, rei publicæ item addicatur.

XXXIX. In prouincijs ab imperatore, & eius Conſilio creabuntur Rationales, qui obtento priùs à Comitijs diplomate tributis exigendis ſedulò incumbent & fideliter.

XL. Ærarij publici decimã Comitiis deſtinabunt Rationales ijdẽ, quò sũptibus ad bellum abũdè fiat.

XLI. Decimam item prædæ maritimæ, nauium præfecti meminerint conferre in publicum.

XLII. Exacti rationes ærarij ad ſingula trimeſtria Comitijs reddentur: neque vectigales pecuniæ, nedum imperatorum mandato, ad quemlibet vſum applicabuntur, niſi Comitiorum reſcripto.

XLIII. Imperatores de militum numero ad Comitia ſæpius ſcribent, vt & diſtribuantur ex æquo

ſtipendia, & quid ſit in qualibet prouincia virium pateat.

XLIV. Ab excurſione hoſtium vrbes in prouincijs ſuis tutas eligent, vbi ærarium aſſeruetur.

XLV. Magiſtratus quilibet ſeu iuſtitiam diſtributiuam tractant, ſeu ſubſidiorum, aut rationalium Cameris aſcribuntur, ſi in Eccleſiarum vnione vixerint, dignitate ſua potiantur.

XLVI. Quæ Reformatos in vectigalibus, aut tributis Regijs iura habere probabitur, ſalua ſunto.

XLVII. Paſtoribus annuæ ex bonis Eccleſiaſticis penſiones præſtabuntur. quia verò diſſidia publica multorum fortunas euertent, eorum ſedulò victui Comitia prouidebunt.

Datum Rupellæ in Comitijs Reformatorum generalibus VI. Idus Maij. Anno M. DC. XXI.

COMBORTVS *Præſes.* — Combort.
BANAGIVS *Adiunctus.* — Banage.
RODILIVS — Rodile.
RAFAVTVS *à Secretis.* — Rafaut.

Erat hæc legum formula, quas in hunc ſibi modũ impoſuerant Rebelles Sectarij, quaſi in tam impio bello, pietas, fides, aut diſciplina militaris ſeruari poſſet: viguere tamen aliquandiu inter eos quæ militiam ſpectabant regulæ; at mox ſolutis moribus, & non numerato militi ſtipendio, conniuentibus ad prædas ducibus in pernicioſam licentiam, corrupta

etiam tandem nobilitate itum. Ad has regulas Galli patriæ & Regum amantes defixi, hærebant passim, monstrum esse in statu Regio, ex plebe infima lixas leges statuere, quibus imperij fundamenta concutiantur. Pari impudentia, quamquam dispari facto, defecisse olim à partib⁹ Regijs Batauos Ordines: & dum nihil se contra Regem mouere simulabant, in Regio populi imperium ordinasse. non habendam Sectarijs fidem, qui Regis nomen vbique impietati suæ accommodant, dum eius auctoritate bellum indictum mentiuntur; quasi sit ipse belli in se moti auctor, & fomes. Diuisisse olim Rebelles Belgij in Circulos prouincias suas; missos ex Circulis Oratores fecisse Comitia; hinc prodijsse imperatorem, qui armis præesset arbitrio populi: ius & potestatem supremam per cuniculos in obsequio simulato quæsitam, donec apertè licuisset iugum excutere, vsurpatam ab illis Regiam sigilli auctoritatem, Ecclesiæ bona Ministris addicta, compositas in primo nascentis Reipublicæ ortu Regulas, denique ex Belgico exemplari inuectam feralem hanc apud Gallos imaginem, ex matre nefaria fetum abortiuum.

Stupent Galli ad Sectariorũ audaciam.

Estats de Holande.

Sectariorũ in Gallia & Belgicorum Ordinum, eundem in Reges suos fuisse animum.

Fortunam disparem.

Ita de Sectarijs perduellibus querebantur cum Catholicis ipsi etiam Sectarij, quibus Regia nõ displicebat auctoritas. quibus primorum hoc regno nota ingenia superba plerumque scripsere non aliam fuisse deserti ab illis Sectarij populi causam quam quia in eorum excidium nimiam ipse auctoritatem affectabat, dum Comitijs quæ plebe constabant magna ex parte, ius omne addictum: præ-

reptam imperatoribus bello auctoritatem, impotentíque regnandi libidine vsurpatum à populo supremum imperium, causam primorum defectionibus dedisse, quas suo loco.

CAPVT. V.

EPITOME.

Sectarii, post sparsos de potestate sua rumores, ventura (infortunato Catholicis augurio) precinunt: vnde Rex tandem toties lacessitus, arma capiens ne perduellionis renuntiationi ipsa implicaretur innocentia, edictum promulgare, quo data Sectariis, si in obsequio viuunt, vitæ, bonorum, & religionis libertate, ostendit minùs in Sectam se, quàm in Rebellionem armatum: succedit ex mente declaratio, eáque edicti vtilitas, vt Sectariorum plures abdicata Rupella Regi militent.

Rumores Sectarii in Regem, & Catholicos spargunt.

SPARGEBATVR intereà à Rebellibus hinc inde rumor tacitus: bellum hodie designari quo, longiori annorum decursu, Gallia suorum sanguine inundabit; rem in opere suscepto arduam, torosos exigere Gigantum lacertos: Regem Gallis adolescentem esse, quem aliò trahent voluptatum illecebræ: vni illum venationi addictũ, supra auium aucupia, syluæque profundioris spolia, apros, aut damas, nihil habere in delicijs; grauiori imparem oneri cum Gallicæ nobilitatis flore miserè periturum. à nupera Comitiorum Lodunen-

Eorum in Regem conuitia.

nensium conuocatione, vrbes in Gallia reformatas adeò fuisse munitas, vt Regi ducentorum opus annorum in earum expugnatione paretur, nî intermedio tempore penitus infectum velit. habere Sectam satis audaciæ, & virtutis, vt quinquaginta cum Rege ipso, instructa acie prælijs experiatur; duplo hodię fortiorem, quàm forent Belgici Ordines anno M. D. LXXVII. quo liberæ ab illis Reipublicæ ea felicitate iacta fundamenta, vt profligatum prælijs multis Iberum adegerint ad pacem non alijs conditionibus ineundam, quàm quæ inter coæquales intercedere solent. Reformatam innocentiam nō ita posse opprimi, neque ita deleri qui Deo militant: inter ciuilia Gallorum dissidia, refloruisse euangelicam religionem: Deum oppressionis hostem, innocentiæ esse protectorem. nondum à LVDOVICO agnitas Reformatorum in Gallia vires; Henricum olim cui pleniùs innotuerant, gratia & fauore eorum promeruisse beneuolentiam, quos hodie Rex adolescens perniciosè suasus, sibi aduersarios vltrò efflagitet. Saturandos sanguine, ídque Catholico, qui non nisi sanguinem hoc bello appeterent. trecentas in Gallia Reformatorum vrbes, quas totidem arces, & munimenta inexpugnabilia fecit ingeniosa protectioni suæ industria. quadringenta hominum millia, quibus idem vbique animus, voluntas eadem. mille & quingenta maioris modi tormenta bellica, primarios in religione sua Galliæ magnates, parùm tutam Regi ipsorum etiam Catholicorū fidem, æqualem reformatis cum Rege potestatē adijcere: vno verbo esse sibi ferrum, iuuen-

Les Estats de Holande.

L'Espagnol.

Inexpugnabiles hodie esse vrbes suas.

Quinquaginta prælijs instructa se acie dimicaturos.

Fortiores hodie, quàm forent in exordio reipub. suæ Belgici Ordines.

Non agnitam hoc regno illorum potestatem.

Enumerant potentiam suam.

Quam Regie æqualē esse dicunt.

tutem validam, & promptum omnibus libertati, aut ad mortem animum. his adiecta plura, quibus impudenter lacessita Maiestas passa est suaderi se tandem vt bella capesseret.

Ex Sectariis Regem plures sequuti.

At quia Sectariorum plures non deerant fidei Regi debitæ; quinimò (quando de religione non actum) in perduelles Sectæ armabantur ipsi, exijt Edictum à Rege, quo se illorum protectorem declarabat, si intra certum tempus, apud iudicem de fide & obsequio fidem facientes, scripto propria manu obsignato, Rebellioni renuntiarent. Edicti, quod vix dici potest quàm Sectarios à se inuicem disiunxerit, hæc fuit concepta formula.

Edictum Regis, quo in suã protectionem Caluinistas suscipit si in fide sibi debita mãserint.

LVDOVICVS XIII. Dei gratia Galliarum & Nauarræ Rex, Vniuersis præsentes litteras inspecturis, salutem. Agnouimus ab ea die, qua nos prouidentia Dei ad Gallici vocauit moderamen imperij, rem esse apprimè necessariam, quæ Edictorum exequutionem promouet, eam maximè, quæ est de pace inter subditos nostros vtriusque religionis tuenda. huc industriã sedulò, huc labores omnes contulimus: sępe, vt pacẽ illam sartam tectam haberemus, proditiones Sectariorũ apertas omnibus, dissimulauimus: sępe cõniuentibus oculis passi sumus abire sinè pœna, quorum crimina flammis expiari debuerant. appellamus in fidẽ dicti diploma illud Kal. nuper Octob. promulgatum, quo, vt malum medela præuerteret, indicta Rupellæ Comitia coïre vetabamus, hac spe, vt ad Regias monitiones propositi perduellis malignitas euanesceret: at tantùm abest iussa nostra alicuius fuisse apud illos momenti: quin

Patientia Regis diuturna.

Comitia Rupellam contra eius mandatum conuocata.

potius dilatus Comitiorũ cœtus, ideò contra primas indictiones acceleratus est, quòd eius prohibitio litteris nostris continebatur. ibi quidquid est solis debitum supremis principibus, qualia sunt decreta, ordinationes bellicæ, imperatorum electio, exactio tributi, tormentorum bellicorum eliquatio, sigilli auctoritas, proscriptio, ius vitæ & necis, aliáque eiusmodi ea impudentia vsurpantur, vt dubitare quis possit Regem habeant necne, qui sic regia omnia præstant. hæc quàm nobis grauia, iudicent principes exteri, quorum interest. patientiâ tamen multorum mensiũ iras in proditoria Rebellione excîtas cōcoquere conati sumus, hoc animo, vt si interim ad penitentiam rediret perduellio, Regem in nobis inueniret qualem experta est sæpius, ad clementiam natura pronum. Verùm enimuero quia proteruia in dies crescit, fiat per nos licet, fiat toties læsa patientia, iustus furor. hic nos iustè armatus furor tandem inuitos adegit, vt in Pictones armata manu iter designaremus. Quoniam verò Sectariorũ plures, quod neque diffiteri liceat, nobis quotidie fideles operas præbent; ac proinde iniustum foret bene de nobis meritos, criminum renuntiationi implicare, quæ religioni eorum non debeantur; hoc edicto apertiùs, in Regia protectione suscipimus quotquot ex Sectarijs, aut nobis militabunt, aut si eò non venit integritas fidei, vt contra Socios in fide suos arma conuertant, qui in neutram partẽ ferentur. Profitemur insuper non aliam nobis hodie ex Dei gratia regnantibus mentem, ab ea, quæ felicis memoriæ Henricum patrem nostrum impulit olim, vt Nan-

Queritur Rex vsurpata à Sectarius regia omnia.

Abit in furorem patientia læsa.

Poictou.

In protectione sua Sectarios Rex suscipit qui Rebellionem abiurabũt.

Nãtes.

Edictum Nanneticũ renouat.

neticum Sectarijs edictum impertiretur, cuius legem placitis nostris firmatam toties, adhibito iterum in fide Regia sacramento sancimus. Quotquot ergo conuocata Rupellam contra regni ordinem Comitia abiurabunt, asylum in protectione nostra inuenient sibi, familiísq; suis tutissimum. Quæ omnia vt exequutioni promptiùs demandentur, iubemus præfectis vrbium, Senescallis, Iudicibus, præpositis, Consulibus, quibuscumque demum Magistratibus seu municipia regunt, seu prouincias administrant, vt subditos nostros religionis, quam ipsi reformatam contendunt, si paret de fide & obsequio præstitis, ea qua in prouincijs à nobis funguntur auctoritate protegant. quod si negligunt in eosmet velutin publicos grassatores agatur. Mandamus insuper Procuratoribus fisci nostri, & quibuslibet eorum substitutis, vt omnia sedulò agant, quæ ad huius executionem edicti videbuntur, ita enim placet. Dat. Fontibellaq. VI. Cal. Maias, ann. Salutis M. DC. XXI.

De la Religiõ pretẽduë reformee.

Fontainebleau

Imperij verò nostri XI.

Deficiunt à Rebellium partibus Sectarii plures.

Statim à promulgato edicto deficere à Rebellium partibus ex Secta plures, rati, vt res habebat, religionem hoc bello minùs petitam, quàm perduellionem: & quidem, vt ab imperatoribus ordiar, de quorum electione iam supradictum, Buillonius, Lesdiguerius, & Tremollius, missis ad Regem Legatis, demandatam sibi à Comitijs imperij potestatem, renouata fide abdicarunt: quamquam dubia semper hoc bello Buillionij fides, qui dissidijs olim ciuilibus innutritus, omnia per cuniculos tentare

Buillionius Lesdiguerius & Tremollius in fide permanent.

Bouillõ. Lesdiguieres. La Trimouille

dicebatur, vt proſcripta Regis in Gallia auctoritas ſtatum popularem admitteret: fidem ideò Regi mentitus quia illi opimum patrimonium ad agros Cadurcorum & Lemouicenſium erat, cuius in Regem tranſlata dominitas Rebellem excluſiſſet. his addebatur quòd eò ſenectutis inter podagræ incommoda venerat, vt bello inutilis, vna conſilij auctoritate polleret. His aut pronis ad obſequium, aut ſimulantibus ex rerum neceſſitate fidem, Forcæum, Rohanæum, Soubiſium & Chatilhonium, ſeduxit illa regnandi auiditas, quæ homines vulgò, etiam ad alta natos in ſui obliuionẽ impellit. Quod de nobilibus eſt, & plebe: illorum vix liberæ quis reipublicæ ſtuduit, dum in eius ambitum turmatim plebs infima rapiebatur: votique in eadem gentẽ adeò contrarij cauſam hanc dixere ſapientes: quia populus penès quem in Democratia auctoritas redet, per eam, & libertatem, & imperium ambiebat. Nobilitas contrà, quãm inibi leges non diſtingunt à plebe, & reformidabat imperia populi, & ſuæ lugebat ruinam auctoritatis; non ignara eius, quod olim apud Heluetios geſtum, qui ſtabilita pagorum ſuorum libertate, nobiles ad internecionem deleuerãt, negantes aliquid eſſe in ſanguine nobilis; aut ſi quid erat, nobiles omnes naſci, qui inſpecta origine ex parentis eiuſdem ſemine generentur.

Quæ tamẽ dubia in Bullionio fuit.

Quercy Limoſin.

Forcæus, Rohanæus Soubiſius & Chatillonius in Rebellionẽ inducũtur.

La Force. Rohan. Soubiſe Chatilhon.

Nobilium & plebis contraria vota.

Vnde.

Suiſſes.

Heluetiorũ olim in Nobiles ſuos crudelitas.

Qua felicitate Rex Benarnij nuper expeditionem confecerit, ſcripſimus ſuprà: expeditioni (quod & ſuprà diſtrictè) ſucceſſerant prouincialium querelæ, querelis Rebellio noua, in hunc modum.

CAPVT VI.

EPITOME.

Forcaus Bensino auctor est, vt Montisgiscardi turres inuadat: succedit ex voto negotium. Poyanus ignarum proditionis Forcaum in speciem credens, monet turres recenti proditione interceptas; nihilque ab eo responsi supra verba, & voces habens, copias auctoritate propria colligit: obsistere Senatus prouinciæ, contrà ire Forcaus, sed frustra. ad deditionem Bensinus cogitur. missus in Benarnium cum copiis Valeta Espernonius, Forcaum in fugam agit, qui demum præfecturis Benarnii & Scoticæ cohortis destitutus, luget à Regis Curia filium Mompoulianum extorrem. hicque in Benarnio laborum terminus.

Substituuntur vrbibus præfecti noui.



REx innata sibi sagacitate futura præuidens, quia in lubrico positam prouincialium fidem suspicabatur, neque dubitabat quin ad sui absentiam redintegrata rebellio, effrenata magis ac magis libidine grassaretur, præfectos vrbibus nouos substituit, quorum alibi sæpius fides agnita in solo rebelli debitum firmaret obsequium: vnde postmodùm is Benarnenses Sectarios habuit dolor, vt nihil ab eius discessu non motum quò libertati prouincia pristinæ restitueretur: mutati quidem cum vrbium rectoribus veteres prouinciæ ri-

Mutatis in Benarnio reliquis perstitit si ne mutatione Rebellio.

tus,maximè qui videbantur ſupremæ poteſtati obſiſtere: at vna ſinè mutatione perſtabat animorum rebellio, quæ tenebras primùm ad arctiora proditionum quærens, dehinc Proregis auctoritate fortior, prodijt in hunc modum.

Benſins. Nauarreins. Poſt detectam nuper Poyani virtute & vigilantia Benſinorum proditionem, qua Nauarræi Caſtri tentata interceptio,nihil Forcæus nō mouerat, quò in eam auctoritatem rediret qua Rege auctore nuper deiectus fuerat: quia ergò bello ciuili ſeditioſi hominis florere imperiū neceſſum eſt,ſubit eius animum de intercipiendis Montiſgiſcardi turribus cogitatio. indictum ad Calend. Ianua. ieiunium vniuerſale, quo & bruta paſtu abſtinere iuſſa, intereà dum Benſinus Montiſgiſcardi turres inuaderet. ſuccedit ex voto deſignatum opus,interceptæ excubiæ, arx occupata,ad rei nuncium arma in prouincia capiuntur, renouantur diſſidia, factiones prodeunt: intereà Forcæus ſeditionis caput & fomes, ſimulatis ad obſequium votis, priuatámque domi vitam traducens, non immunem ſe modò à proditione, ſed & eius ignarum mentitur. Poyanus, re agnita, non dubitauit quin Forcæi conſilio, & auctoritati debita perduellio omnis: quia tamen nondum deſtituto, ſummum adhuc erat in prouincia ius; ne, quod apud Gallos piaculum, inconſulto rectore prouinciæ arma caperentur citatis equis nuntio rem aperit; interceptas à Benſino Montiſgiſcardi turres, quas operæpretium ſit in regiam quàm primùm retrahi ditionem, id Regis auctoritatem, id ſalutem publicam flagitare. Forcæus ad

Mongiſcard.

Forceus de Mōgiſcardi turribus intercipiendis conſiliū capit.

Benſini intercipiunt.

Poyane

Poyanus de proditione Forcæum monet.

Eius ad Poyanum conciliū. ad hæc dolere se, quòd nihil de proditione sibi antè innotuerit: potuisse in primo exordio facilè reprimi, quæ, turribus iam occupatis, eam Sectæ adijciat potestatem, vt etiam valido exercitui futurum opus difficile eius expugnatio. reprimendam quidem, *Moras nectit Forcaus.* armata manu Bensinorum audaciam; non priùs tamen quàm Rex legi copias iusserit, prouinciam in profundiore iam pace sepultam, si arma capiuntur ciuili iterum flamma absumendam. His *Ad expeditionem vltrò Poyanus fertur.* plura. vnde Poyanus ratus quod erat, rectorem prouinciæ fouere dissidium, neque dubius quin belli onus omne sibi incumberet, lectis Regio nomine copijs, relictóque quantùm satis erat ad Nauarræi custodiam præsidij militaris, Fecialem præmittere *Nauarreins.* qui monitum de deditione Bensinum retulit abnegasse imperia; progressus exercitus, obductis si qui erant ad rupem ferè inaccessam aditibus, prærupto *Prohibet vim in prouincia fieri Senatus.* monti admouetur: quando parlamentum prouinciæ ipsummet rebelle, vim fieri vetat. non posse sinè rescripto Principis bellum in prouincia geri, quæ vel ad minimam seditionis scintillam tota sit in flammas abitura. neque ita subijciendum impotenti subditorum libidini, belli arbitrium; vnum id esse supremæ potestatis indicium, vniúsque Regis belli modò habenas in ira laxare, modò in mansuetudine moderari; neque aliam ob causam cœli moderatorem, vulgò exercituum Deum appellari, quàm, quòd in bello summum rerum omnium ius, vni debitum Deo: diuidendum alioquin in perniciosas factiones imperium, in quo cuique magnatum id iuris erit, quod passim innata regnandi cupiditas ipsi

ipsi dabit, futuros (si ita res habet) tot in Gallia regulos, quot magnates: poneret ad parlamenti decretum, quæ sinè diplomate Regio cepisset arma, aut sciret se perduellem. erat hæc summa codicillorum, quos ad Poyanum Senatus, cum placito prohibitorio misit: ille non ignarus, rogante Forcæo, latam legem, Sectariúmque Senatum Sectariorum perduellionem fouere; ab illo, in sua sibi causa proditoriè ius dicente ad Regem appellauit; neque interim ab obsidionis proposito destitum; quinimò inductis propiùs pluteorum tegmine, vbi valla cauari non poterant legionibus, tormenta citiùs quàm dici possit muris admota.

Spretum à Poyano decretum.

Forcæus, quando præter spem omnia Poyano ex voto cadere videt, deposita larua, fidē quam adhuc Regi mentiebatur palàm abdicare, apertóq; marte dimicandum ratus, delectum manipulum, Bensini auxilio mittere, non dubitās quin inter amica noctis silentia in castrum serperet. Poyanus obsistere, vigilantiáq; incredibili retruso acriter auxiliari manipulo acriùs instare obsessis: demū desperata salute Forcæus, ne deforet etiam in aperta rebellione prætextus, dolo agere: simulat ergo abundè sibi esse quod de Poyano, summum in Benarnio imperium in sui contemptum affectante queratur; supra Nauarræi Castri præfecturam, quæ murorum circumscribatur ambitu, nihil illi in prouincia legitimæ potestatis: eò tamen venisse impudentiæ temerarium caput, vt, Prorege inconsulto, exercitum legerit; legem hanc esse Galliæ fundamentalem, qua sinè Proregis assensu prohibeatur quilibet etiam Regia

Forcæus palàm in Regē agit.

Nauarreins.

Queritur de affectato à Poyano in sui contemptum imperio.

O

auctoritate, in prouincia vbi Proregi imperium, instruere acies; armatum se in publicæ perturbatorem quietis, neque alia mente, quàm vt illatam Regi à Poyano iniuriam vi maiore repellat. His præmissis, ad Marchionem filium, cui tunc erat in agro Petragorico auctoritas, nuntium non differt, adesset quàm frequenti amicorum nobilium turma, phalangésque secum abduceret, si quæ apud Petragoricos in procinctu forent, celeritate opus dum Regios imparatos adhuc aggredi oportunè licebat, lectam à Poyano quidem cum legione phalangem, sed leuia omnia, si non deforet ille parenti, & religioni. Iussis paruit Marchio citè quidem, sed minùs oportunè; cùm enim in longiores moras traherentur auxiliares copiæ, quas Bensino Forcæus promiserat, lassata viri in mora diuturniore constantia, post petitam à Poyano habendi sermonis ex more militari gratiam, dixit si condicionibus iustis militum præsidiariorum honori consuleretur, paratos locò cedere: data hinc inde fides, breuíque sic temporis spatio ab arce depulsus Bensinus, quam, si temeritati respondisset animus, diu tueri poterat.

Peri. gord.

Mittitur ad Marchionem Forcæum nuntius.

Copias colligit.

Arx dedita.

Poyane

Ad primum Benarnensis rebellionis nuntium vix dubitatum à Rege, quin Forcæus innata proteruia dissidij auctor & fautor esset; suspicioni fidem adiecit, quòd ferebatur adhuc armata manu grassari in prouincia, æráriúmque Regium Quæstoribus, numerando militibus suis stipendio, extorquere. placitum ergo, mitti sine mora in Benarnium à Rege Saladium, virum probum, qui de fide to-

Proditionis ad Regem nuntius.

Saladium in Benarnium mittit.

Saladie.

ties monitum ſuprema hac denuntiatione Regis nomine cõpellaret; ille officio functus Forcæum retulit non antè poſiturum arma reſpondiſſe, quàm vltum illatam ſibi nuper ad Montiſgiſcardi turres à Poyano iniuriam. ceterùm in obſequio perſtiturum ſe quamdiu ſuppeteret animus; arma in Poyanum conuerſa, quia Regis interſit imagines ſuas Proreges in prouincijs non eſſe ludibrio. ad hæc laceſſita Regis clementia paſſa eſt ſuaderi ſe tandem vt Eſpernonius viginti centurias, quæ peditum duo millia facerent, in Aquitania colligere iuberetur, quæ, Poyani copijs accedentibus, Forcæum aut cogerent ad fugam, aut ad prælium. Iam in procinctu erat exercitus, quando Forcæus ad vnum Eſpernonij nomen conſternatus fugæ ſalutem credit, dilapſi cum eo prouinciæ nobiles, dum gregarij in prærruptis montium ſupercilijs latebras indagabant, vbi fame extincti plures, plures ruſticorũ etiam Sectariorum manu iugulati: vno enim ordine milites habẽt ſiue Sectarios, ſiue Catholicos ruſtici, à quibus non habito delectu religionis, aut ſoli amici, vno etiam ordine ad medullas roduntur. ita ad vnius Eſpernonij famam reſtincta ſinè ſanguine proditio Benarnenſis, prouinciam tranquillitati ſuæ reſtituit. At ne liberalitate diutius Regia gauderet proditionum auctor Forcæus, qui rebellionibus ſæpius iam iteratis pernicioſum magnatibus Galliæ exemplum eſſe poterat, ſi Regia munificentia potiretur diutius: placitum opimis penſionibus & præfecturis, quas liberalitate Henrici olim I V. poſſidebat deſtitui. duplex illi præfectura erat, ambita vtraque à

Forcæi reſponſum.

Eſpernonius in Benarnum miſſus.

Fugiunt Rebelles.

Forcæus deſtituitur gratia & fauoribus.

O 2

Marescallo Theminio propter soria Benarnij dignitas obtigit.

palatinis auidè, prætoria Benarnij, Scoticæque cohortis primaria: illa maioris momenti in Marescallum Theminium incidit, nec iniuriâ sanè, quem penè inter magnates vnum notant Annales Gallici à Regibus, quos quatuor vidit, defecisse nusquam; hæc, quæ vulgo præfectura excubiarum corporis Regij, rogante Luynæo, Marchioni Monio data, viro illustri si prosapiam spectas, & ingenioso; sed qui Reginæ olim regenti multis nominibus debitor, dum ab ea fortuna diuerterat, ferebatur fauori quem vocabant litasse, id est Luynæo cuius ad ea tempora factio in aula præpotens, non aliter appellabatur, quàm fauor. Post trãslatas in hunc modum, in viros non immerentes Forcæi præfecturas; dehinc ne ad crimen expiandum quid deforet, facessere procul àb aula iussus Mompoulianus, Regi nuper supra reliquos palatinos carissimus; neque aliam ob causam gratia deiectus, nisi quòd Forcæo natus, quamquam, vt nemo ambigebat, à proditione paterna immunis; adeò verum est parentum crimina quoad pœnam transire in filios, maximè vbi postulatio maiestatis. protelabat Mompoulianus in dies discessum, tum quòd in exilio præuidebat apertiùs nobilioris fortunæ lapsum, tum etiam quia à patre viro versipelli, indicto exilio obsistere iubebatur, non dubitante quin retenturus foret in persona filij regiæ gratiæ possessionem, vnáque hac spe tentabat intrepidè omnia, donec post tertiam denuntiationem optione Mompoulianus data aut carceris, aut abcessus, non sinè lacrymis primæ olim aulicus gratiæ, ab aula discessit.

Marchioni Monio præfectura Scoticæ cohortis.

Pellitur à curia Mõpolianus.

La garde Escossoise.

Capitaine des gardes du Corps. Luynes. Marquis de Mony.

Mompoulié.

Aulici adhæc mirari mutatos repente in Rege affectus; non ignari rem Regibus difficillimam, quos habent præ alijs caros, & inter eos quem supra omnes carissimum, à se non alia causa abdicare, quàm quia id æquitas imperat: victus tamen à Rege affectus, quo non immerentem à teneris prosequebatur, victus pronior hic animi impetus, qui Reges vulgò abripit, æquitate quam non immeritò professus ille IVSTI denominatione triũphat. Abijt Mõpoulianus ad lares patrios, vbi fati malignitate, in rebellionem inductus debitam magnis facinoribus vitam impendet miserè, vt suo infrà tempore describemus. Hæc in Benarnio meta laborum; ea enim conseruandæ prouinciæ diligentia Theminius Prorex, Pardalianúsque dehinc Gondrinus, incubuere, vt rebellionis exactæ ne quidem ipsa hodie supersint vestigia, quæ magna supra fidem Sectariorum iactura fuit, magnum auctoritatis Regiæ, fideíque orthodoxæ incrementum.

Themines. Pardaillan. Gondrin.

CAPVT VII.

EPITOME.

Castrum Albigensium venit Comitiorum Orator, describitur ex occasione vrbs, vbi iustitiæ Camera, quam semipartitam appellant, Sectariis mixtim & Catholicis æquali numero Magistratibus. arctiora Cameræ secreta panduntur, perstringitur Sectariorum superbia, qui Præsidem in Camera suum, ideò præsidibus Catho-

licis anteire volebat, quod cooptatione in Cameram, potior illis tempore foret. praeripitur auctoritas Magistratui, habitóque hinc inde in senatu sermone, dubiis inter spem & metum Sectariis nihil conclusum. postridie officio functus in frequēti populi concione Legatus seditioni furorem & arma ministrat. vrbe cedunt adacti vi maiore Catholici: mittitur à Bertrando apparitor, qui Sectariis Senatoribus Villamurium iter à Rege indiceret, negant se illi subituros imperia, inclinatis iam in rebellionem animis. rebus demum eò positis, vt restaurandæ Cameræ spes nulla, Tolosam redeūt Senatores Catholici, quos Vicinus ab Ambris in florida phalange stipat.

Comitiorū Orator Castrum venit.



VM hæc quà in Benarnio, quà Lutetiæ gerebantur, delegatus à Comitijs Rupellanis in Albigensium prouinciam Orator, Castrum venit: vbi dū arctiora Ministris secreta aperiet, donec in lucem prodeant, de Castro interim quædā ex occasione differamus, quæ ad pleniorem rerum hoc bello gestarū notitiam pertinet. Albigeois. Castres

Castri descriptio.

Castrum vrbs est non ignobilis, seu loci genium spectas, qui in valle fertili placidus est; seu dignitatem, vbi Sedes Episcopalis diues, nō ita tamen antiqua: quippe quæ ad exacta nuper secula, Episcopatus Albæ augustæ partem faciebat. Sedes est paucis abhinc annis Cameræ, quam edictalem appellant, vbi æquali numero Catholici & Sectarij Magistratus, iura Catholicis passim & Sectarijs reddunt, eo ordine, vt si obtigerit etiam in lite vbi centum actores, rei totidem, vel vnum, cuius sæpe nihil inte- Alby.

Vrbs est Episcopalis.

Edictalis Camera sedes.

rerit, Sectariū esse, trahatur illicò in Cameram semipartitam causæ cognitio, cui earum litium debetur diremptio ex edicto, vbi Sectarius aliquis iudicio sistitur, nisi de Ecclesiæ bonis actum, aut priuilegijs. Hic autem iudiciorum ordo. vt ad annos singulos ex Tolosatum parlamento sex cum præside Senatores functis iam officio substituti, duobus reuoluti iam anni remanentibus, faciant in octouiratu numerum iustum, hinc ducta vt audio formula; quia veterum loco suffectis nouis, quibus exacti anni secreta ignota plerumque, pessum irent publica priuatáque negotia, quæ Sectarios per simultates & odia magna ex parte gerere palàm est. Sectariorum autem in Camera potestas hinc maxima, quòd nusquam amobiles, si quid illis virtute & sagacitate Catholicorum hodie negabitur, reuolutis in tanta hominū mutatione annis & animis, haud difficulter obtinebitur: diuersis etenim etiam sapientum ingenijs, sæpius accidit, vt quanquam collimatis omnium ad idem ius votis, diducantur in contraria mentes, vnde non iniuria dici posset æquitatis quẽque apud seipsum autorem esse. leue tamen illud, nî cogerentur Catholici Magistratus, Sectarios reos absoluere; quod ita ex necessitate contingit. Regum apud Gallos clementia auctrix est legis Iustiniano ignotæ, qua cautum, si in capitalibus causis calculi Iudicum in pares sententias ex æquo diducuntur, præualeat quæ mitior est: hinc Sectarij à pœna immunes, quos tacita lege præscripta sibi inuicem, absoluunt promiscuè Cameræ Magistratus; quippe qui in hominum penuria, qua Secta labo-

Describitur Camera semipartita.

Ex parlamento quot annis eliguntur qui in ea ius reddant.

Cur Capitalibus pœnis Rei Caluinistæ, nusquam in Camera plectantur.

rat,in id studia & animos vertunt,vt suorum per fas & nefas vitæ consulatur: hinc item accidit Catholicos,vbi in crimen incidêre, vna formidine pœnæ, deposita fide orthodoxa ad Sectæ asylum confugere. Sectarijs præses est Vigniolius vir probus, qui minùs innato sibi fastu, quàm assidua Ministrorum suasione, Parlamenti præsides post se habere ideò nuper præsumebat, quòd in Cameræ collegium præ illis cooptatus, tempore potior in præfectura habe-retur. quamquam nosse debuerat, in ceteris non parum versatus, Cameræ Semipartitæ præfecturam, illegitimum esse potestatis Regiæ fœtum, neque nisi iniuriâ cum parlamenti primicerijs dignitatibus de gradu contendere, vtpote edicto satis recenti, à Regibus Galliarum, magis in solatium Sectariorum, cum Cameris inductam, quàm in æternum Regij decoris monimentum, qui decor vnus, primam parlamentis in Gallia causam dedit: hinc fit vt neque ascribantur parlamentis, eiusmodi Cameræ, neque dicendæ in ijs sententiæ facultatem habeant earum Magistratus, nisi Regi singulari sic lege visum, contra communem vsum: adeò verum est, inspecta origine, à parlamentis dissitas Cameras, quarum ideò præsides, sapientum iudicio, nihil habent quod querantur, si parlamenti præsidibus, non habita cooptationis ratione postpositi. In hac vrbe, quam multis abhinc annis Sectarij occupant, agebant satis ægrè inter effrænatam populi superbientis audaciam Catholici quidam, quos magna ex parte, vitæ commercium cogebat ad moras, aut rei familiaris necessitas; eo tamen incommodo, cuius & ipse

Cameræ Vigniolius præses.

Vignoles.

Parlamenti præsides post se habere ambit.

Cur inducta Camera. Cur parlamenta.

A parlamentis dissita Camera edictalis.

& ipse testis sum oculatus, vt ad minimam dissidij auram, adacto ad iugulum pugione immineret quotidie fatale periculum; vnde publicam vtilitatem eò spectare credebant prudentes, vt bello confecto aut tollerentur penitus Cameræ, aut saltem à Sectarijs vrbibus in Catholicas transferrentur; neutrum apud nos obtigit, immensa Regis in Sectarios ipsos clementia, qui subditos omnes vno affectu prosequutus vno illis ordine iura reddere voluit.

Camera edictalis Galliæ Narbonensis in vrbe sectaria.

Lãguedoc.

Postridie Rupellæ Orator rogatus quid vellet, sibi rem cum populo dixit; quæ, vt è salute omnium erat, ita non nisi conuocatis vrbis ordinibus communicanda. interim Sectarij magna ex parte Magistratus, quorum erat hominis frænare audaciam, illum priuatim salutare, clã inuisere, Cameræ, prô nefas! obedientiam Comitijs offerre, & si quando de officio monebantur palàm adijcere, quinquaginta cum Rege prælijs instructa acie dimicaturam Sectam priùs quàm libertatem opprimi patiatur: parco hîc eius nomini, quem nondum denuntiato bello tanta in Regem impudentia debacchantem Camera audijt & passa est, futurum sperans vt obsequio posthàc proniore diluatur atrocitas criminis. at neque apud illos vulgare crimen, vt audio: obsequium enim, quamquam languidum & enerue præstitere quidam aut simulauere.

Interea, quia Magistratus officio incumbebat, suffocari in primo exordio rebellionem, indicitur extra ordinem à Bertrando Senatus (is Catholicorum Decanus extincto nuper Paulæo Præside, viro maximo, cui panegyricus iure debeatur, illis in Ca-

Bertrãd Doyen des Cõseillers Catholiques. Depaulo President.

Bertrandus Senatum conuocat.

mera præterat) ibi Sectarij moniti indicerent Rupellæ Oratori ab vrbe sua discessum, aut paterentur, dum adhuc erat auctoritas Regis in integro, Catholicos loco cedere, qui ferre populi imperia nequeat, cuius exasperatus in Regem & Magistratus furor in seditionis licentiam nullo obstante prorumpit. Facesseret Orator quãprimùm, aut daretur Catholico Senatui abeundi in debito commeatu facultas. Ad hæc Sectarij, apud quos in fidei naufragio publico tabellæ adhuc obsequij leues enatabant, viri alioquin magna ex parte probi (si quæ inter Sectarios tunc probitas esse poterat) nullam Magistratus hoc tempore in populum auctoritatem, populum belluam esse, cuius ita ingenium sit, vt aut humiliter seruiat, aut impotenter imperet; eò hodie temeritatis venisse, vt libera seruitute, quam magistratui debeat abdicata, impotens rerum imperium ambiat. neque rebus iam ita desperatis sat sibi auctoritatis superesse, vt frænari possit eius libido; satius videri si cum insanientibus in speciem furat ipse Magistratus, vnam hanc esse retrahendi in obsequium populi rationem; tentaturos quidem se omnia, quò proscribantur Comitiorum decreta, secretò tamen, quando palàm agere & sibi periculosum, & Regi obnoxium; per cuniculos tentari posse, quę si apertè contenderent, periculum ne fomes seditioni pręberetur, quę in Sectarios Magistratus primùm debacchata, in Catholicos dehinc foret crudeliùs sęuitura.

Respondent Cameræ Senatores.

Conuocatur in templum populus.

Postera die calatis populi centurijs magna in templum frequentia conueniri; postque habitam

à Miniſtro concionem, aſſurgere Comitiorum Legatus, qui ſalutato hinc inde populo, habere ſe in mandatis dixit, vt Comitiorum nomine, vrbis ordines amicè ſalutatos moneret, poſt tentata omnia, quibus pax ſarta tecta ſeruari poſſet, frequentibus Comitiorum Ordinibus in id fuiſſe concluſum, vt quę diutinis Reformatorum precibus Rex negaſſet, armata illi manu ſibi vindicarent: ſupereſſe vnam hanc iniuriosè oppreſſis viam, belli iuſtam eſſe rationem cùm libertas opprimitur: neque captum temerè de bello conſilium, computata fuiſſe attentiùs omnia, habitam hominum, armorum, vrbium, & ęrarij rationem, eóque res veniſſe, vt bellum ęquali hodie cum Rege potentia geri poſſit: Regem qui non niſi aliorum oculis, & auribus videat, aut audiat aliorum arbitrio viuere, eius maximè cuius ſummum imperium affectantis libido, illum quò lubuerit trahit. vnam libertatem omnium Reginam, populis poſthàc Reformatis, ſi quid valent, imperaturam: quòd vt faciliùs ex voto contingat, proſpiciendum vt vrbs propugnaculis & vallis citiſſimè muniatur, dilationem noxiam: pellendos quam primùm ab vrbe Papiſtas, quos tutela fidei publicæ adhuc incolumes fecit: poſſe tamen etiam ex Ieſuitarum doctrina opinionem defendi, quæ ad internecionem iugulandos contendat, ſi vera ſententia, qua fidem illi hæreticis ſeruandam negant: futurum tamen ex reformatæ religionis integritate, ſi cum impedimentis ſuis ſalui dimittantur. Hîc peroratus omnium vota, & animos in ſe conuertit: quin etiam trahebatur in dubium quæſtio quæ de

Habetur à delegato ad populum Oratio.

Calumnia in Regem.

ſeruanda fide erat, quando rectoribus municipij placitum, non quidem palàm dimitti Catholicos, ſed continuis terroribus in ſeditione frequenti adeò conſternari, vt cogerentur ipſi ſponte abſiſtere, ídque ab illis factum, ne rebus aliquando in integrum reſtitutis, obijci Cameræ iuriſdictionem repetentibus poſſet, quòd illam ab vrbe olim ſua vltrò depuliſſent. ita res habuit. concitatur in Senatū populus, Papiſtas proditores, qui vno reformatæ religionis odio ferantur, ſinè miſericordia iugulādos, tollēdos è medio Magiſtratus quicumq; legitimæ libertati Regium nomen opponent. excubiæ interim militares ad ædium porticus, vbi Senatoribus Catholicis habitaculum diſponi, ſeu animus erat publicæ pignora fidei à furore plebis protegere, ſeu terrorem, quod malim, incutere. Inter hæc, qui Catholicis fidi credi volebant Sectarij quidam, illis leniter inſuſurrare; eum eſſe populi in Catholicos exaſperati furorem, vt niſi fugæ ſalus committitur, deſperata ſit, nuſquam grauius in vrbe periculum, Magiſtratū, imò & Miniſtros, quibus ſeruandæ fidei animus eſt, diffidentia poteſtatis in populum ſuæ, in procinctu eſſe vt reuocent datam protectionis in ſacramento fidem. Senatus tamen victimam, ſe furori vltrò obijciens protelare diſceſſum in dies, ratus (vt res erat) prouinciæ tranquillitatem à filo pendulam, cuius in Camera Semipartita tenuiſſimum ſtamen nectebat adhuc, non habita religionis ratione, prouincialium animos. Donec gliſcente magis ac magis ſeditione, nouum prodijt à populo iuſſum, quo faceſſere iubentur aut mori. Ini-

Concitatur in Catholicos populus.

Monentur à Sectariis Catholici, diſcedant.

tur ſinè mora in ædibus Bertrandi maioris conſi-
Bertrãd le grãd. lium, adſunt non indigni, quorum hiſtoriæ nomi-
Prohẽques. na inſerantur Bertrandus cognomine maior, Pro-
Veſian. henqueſius, Veſianus, Ioſſæus, Agretus, Terlonus,
Ioſſé. Agret. Ouurerius, & Ambeſius viri publicæ ſalutis aman-
Terlon. Ouurier. tes, quibúſque vel hoc vno magni animi indicio,
Ambés. quòd ſe pro publico deuouerint, Gallia multum debet. habito diſtrictè Senatu in eam ſententiam itum, vt ad Sectarios Magiſtratus duo Catholicorum delegentur, qui diſceſſu ab vrbe illis renuntiato, moneant Lautricum vrbem vicinam iter communi voto deſignatum, ſi abeuntes ſequi mens erat; nihil in vrbe Catholica reformidandum, vbi fides iureiurando firmata aſylum promitteret. at ſequi abnegantibus illis, pridie Nonas
Caſtres Lautrec Iunij Caſtro venêre Lautricum Catholici, vbi vix octo dies exacti, cùm nuncius tranſlationem
Villemur. Albigeois. Cameræ, Caſtro Villamurium à Rege indixit: ea vrbs eſt ad Albigenſium confinia, quam eo tempore Sectarij detentabant. ad ea Senatus, paratum ſe vt Regis imperia exequatur; non poſſe tamen ſinè Sectario Magiſtratu inſtitui Cameram. non differtur Caſtrum apparitor, qui communicato Regis diplomate, moneat moræ diuturniori crimen læſæ Maieſtatis ineſſe; at officio functus refert, eo animo Sectarios eſſe, vt neque Villamurium ire, neque velint, quãquam ſoli, à iuriſdictione abſtinere, conuenire ſolito more Senatum perduellẽ, eiúſq; placita, vna Comitiorum auctoritate firmari; vno verbo, qui nuper Regis erant, hodie Comitiorũ eſſe Senatores. Deſperata itaque ſalute, fruſtráq; tentatis re- *Mittitur ad Sectarios apparitor.*

ſtituendę Cameræ omnibus rogato qui commeatum inter viæ pericula pręberet Veſino ab Ambris, Lautrico Toloſam ventum, nec diu cùm Sectarij Senatores habiti inter ſimultates ludibrio, magiſtratura ſponte abceſſere; vnde poſtmodùm in errore longo infenſi Catholicis, ſuſpecti Caluiniſtis, agnouere quamquam iam ſeriùs, vnam Magiſtratus dignitatem in Regum obſequio ſitam neque coruſcare Senatum niſi coronæ radijs. Voiſins Dambres.


Statim à ſoluta, quæ prouincialium nectebat animos Camera, in Septimania palàm de bello agi Languedoc. cuius dum iacientur altiùs fundamenta, videamus quid interim trans Ligerim geſtum. Loyre.

Camera penitus ſoluitur.

CAPVT VIII.

EPITOME.

Commota apud Turones in Sectarios ſeditione, Maleuilio inquirendi in noxios negotium datur; iuſſa volentem exequi ſeditio grauior ad latebras adigit. ſedatur tumultus. Maleuilius Blæſas ad Regem veniens ſuadet reprimendo oppidanorum furori ad Turones iter. quinque ſeditioſorum ſuſpendio expiatur crimen.



QVIA querelis, quas in Regem, & Catholicos comminiſcuntur Sectarij, Turonum ſeditionem annumerant, quæ ſub idem tempus commota eſt, breuiter eam hoc loci expediamus. Mortuo apud Turones Martino ſtabula- Tours.

rio, ex Catholico nuper Caluinista; dum funus ſinè pompa, Sectariorum more, effertur, feretro inſiſtere puerorum cohors coniurata, quæ cadaueri, cantilenis quibus vici noctu & interdiu perſonabant, illudens, inueterato apud Gallos dicterio, mutuatis ab vxoris adulterio cornibus, Martinum cornigerum appellitabat; imò ne quid ad fabulā deforet, præferebat puerorum quiſque crucem ex ligno minutulam, dum longo ordine bini cantu incompoſito funus proſequebantur: excanduit zeli feruentioris Caluinista quidam, vltricéſque opponens manus, incuſſa in pueri genam rudi alapa, vi brachij robuſtioris in terram egit. nec mora, puer attonitus gemitibus aërem verberare, donec adueniente fortaſſis matre redintegratus in muliebri proteruia clamor. ad hæc pueri inſtare acriùs, vocare in auxilium familiares, lapidum grandine funus proſequi, commotáque iam fortiùs ſeditione, Martini cadauer effodere. aduolat Magiſtratus, doliaribúſque munitionibus paſſim ad vicos diſpoſitis, ſeditionem compeſcere tentat, at conatus inutilis: templum vbi Sectariorum conuentus haberi ſolitus armata manu occupatur. ad hæc municipij rector clamare, ſed & inutilis clamor; non ſolùm enim tumultuantes reprimere non potuit, quin potiùs præſentia ſua animos fecit, rorem aquæ tenuioris dicentes in fornacem iniectum. præualertur bulentorum, vt in ſeditione fieri amat, aduerſus quietiores potentia; póſtque ludibrio habitam in templo ſuo ſectam, ſcamna, ſedilia, imò & cathedra ipſa, vnde Miniſtri ad populum verba facere ſoliti, confrin-

Seditionis apud Turones exordium.

Puer in terram rudi excuſſus alapa.

Concitatur populus.

Magiſtratus auctoritas fruſtra interponitur.

Ignis in Sectariorũ ædes, & eorum templũ conectus. guntur. postremò ne quid esset residui, in templum conijcitur ignis, quo & vicinæ Sectariorum ædes absumptæ. crescente magis ac magis lasciuia, toto triduo in vrbe ferrum & flammã grassatur. ad hæc Sectarij fugam capessere, obuios in vincula trahi, proscribi elapsos, donec post triduum dilapsa metu huc illuc plebe restinctum incendium. ea re exacerbati Sectarij, qui rem per se indignam relatione in maius augebant, queri de violatis apud Turones fide, & iure gentium; fidem violatam, cùm Sectariorum, qui in vrbe Catholica in publica fide degebant, ædes direptæ: ius gentium, quando non licuit viro immerenti iusta persoluere. indigna passos Reformatos, negatam mortuis terram, quódq; apud ipsos Cannibales inauditum, temeratos manes, effossa cadauera. *Queruntur Sectarii de violatis fide & iure gentium.*

Non recusauit Rex iustus oppressis protectionem suam; quinimò sine mora Maleuilio libellorum in Regia supplicum Magistro negotium datum, vt in factum inquireret: ille in carcerem trusis in quos seditionis delatio erat, Sectarios à populo actos nuper in vincula, non alia causæ cognitione liberos esse iubet. indicitur ad crastinum reis audiendis Senatus, sistuntur iudicio, iámque post accusationem penitus ordinatam in procinctu erat capitalis sententia, cùm desperata reorum salus nouo populum tumultu concitauit: serpit tacitus per vrbem rumor, vim pati Catholicos in vrbe sua, Sectarios spuriam in Gallia gentem, quia nimiam in vrbe Catholica auctoritatem affectabant, ab ijs nuper mulctatos, quos publicæ vtilitatis studium ad arma *Maleuilius in Turones mittitur.* Male-uile. *Instat capitalis sententia.* *Catholicorum in vrbe questus.*

arma impulisset, consultum Catholicorum virtute, municipio, quod periculum erat ne per præpotentem Sectariorum factionem in orthodoxa fide nutaret; insidam gentem cuniculis agere, dum ex æquo vires non suppetunt; vbi pari potentia grassari licet, deposita larua affectare imperium: frenatam virtute oppidanorum nupera væsanam illam imperandi libidinem, hodiéque rei bene gestæ non aliam esse remunerationem, quàm patibulum, cui suffigetur Catholicorum innocentia in hæreticæ perduellionis triumphum. His suasi perditæ vitæ homines, qui nimis quàm multi in vrbibus ex gladiatoria viuunt, licentiæ potiùs quàm religionis causa, facto agmine, palatium circumstant, portas effringunt, obuios quósque malè mulctant, compedibúsque solutos reos in libertatem asserunt. *Redintegratur seditio.*

Maleuile. Consternatus ad hæc Maleuilius minùs in principis statua, quæ in foro prostabat, quàm in latebris salutem quærere; sequuti assessores, positóque laticlauo, vestibus à plebe mutuatis, ex Magistratibus olitores mentiti in ædes suas dilabi, intereà dum ferrum, & flamma impune grassantur; nec mirùm si delitescente Magistratu nihil non licet. Iam ergo nullo obstaculo violatur sanctum illud fidei vinculum, quo mutuo inter se fœdere municipes copulantur: & quia seditionum vulgò pretia in præda sunt, diripiuntur Sectariorum ædes, si quæ adhuc ab incendio incolumes erant, maximè tabellionis cuiusdam apud quem instrumenta obligatoria, debitorum manu discerpta, ne superesset memoria nominum. *Fugiunt Magistratus.* *Diripiuntur Sectariorum ædes.*

Intereà Maleuilius in latebris anxius, mortis identidem nuntium expectare, quando municipij rector, intensis ad vicos cathenis ferreis, seditiosos adegit vt se omnes in vnum reciperent; quò demũ in oliua missis oratoribus pax his conditionibus impetrata. Vt si quem adhuc Catholicorum haberent vincula, liber foret, indiceretúrque adhibito sacramento Magistratui posthàc silentium, missis in ignem instrumentis, quorum in populum accusatio erat. obstrinxit fidem suam præfectus vrbi, deteriora timens, vnde seditionis incendium breui restinctum est. Intereà Rex nupera Benarnij expeditione edoctus præsidium contra Rebelles supra fidem omnem validum in præsentia sua situm, dispositis iam in bellum omnibus Lutetia Fontebellaquæum, Fontebellâquæo circa Cal. Maij Aureliam, Aurelia Blæsas venerat; vbi seu quia genius loci patentibus hinc inde plagis mira regionis salubritate placidus est, seu quòd in Galliæ, quod aiunt vmbilico, vbi vulgò Reges morari par est sita vrbs, mora longior parabatur: quando Maleuilius, cui Turonum Magistratus comes erat, citatis equis veniens, commotam apud Turones seditionem aperit: impotentem fuisse reprimendo furori Magistratum, cui moriendum, aut pacta cum populo ineunda, quibus impune æstuantis libidinem furoris exerceret. eò venisse proteruiæ seditiosam gladiatorum licentiam, vt post violatam, vbi ius reddi solitum, Regiam, post effractos carcerum sacros cardines, & se Regis legatum solio liliato deiecerit & capitalibus reis dimissis, triumpharit de

Restincta seditio.

Paris. Fontainebleau Orleãs. Blois.

Rex Blæsas venit.

Maleuilius seditionem Regi aperit.

Tours.


fuga Magistratus, quasi cum hoste negotium, neque malignitati vulneris medelam esse, nisi quam præsentia Regis parabit; desperatam alioquin salutem. excanduit ad ea Regis animus, & qui longiores moras indixerat, mutato repente proposito Turones postridie venit. statim consternati factionis auctores, discussisque ad solis aduectum seditionum nebulis die aperitus, in hunc modũ. Modenæo capitalium in Gallia præfecto munus incũbit vt in factũ inquirat. sistuntur iudicio extraordinario rei septem in quos seditionis postulatio erat; ibi compendiaria cognitione (qui mos est capitalis iurisdictionis) instruitur causa, pósteque prolata in medium acta, inuenti duo, quorũ accusationi probatio defo:ret, quibus absolutis residui quinque post suspendiũ flammis absumpti sunt. ita Rex ipse Sectarijs vltor, Catholicorum in se iram & murmura præposterè concitauit: quasi in crimine religionis ratio haberi debeat. vno omnes ordine subditos nõ habito conscientiarum delectu mulctari decet, aut in pessum eunt imperia. quamquam ex omnium sententia debuerat firmare labilem sectæ fidem parum illi debitus à Rege hic fauor, qui tamen ansam querelæ præbuit, vt docebit historiæ series; adeò verum est collata in ingratos beneficia non exarescere modò, sed & ijs interdum excidio verti qui conferunt.

Rex Turones venit.

Modene grãd Preuost

Seditiosorum quinque in furcam acti.

***



HISTORIA

PROSTRATÆ A LVDOVICO XIII. SECTARIORVM IN GALLIA REBELLIONIS.

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

EPITOME.

Post designatam in Rebelles expeditionem, legitur in Comestabilē Luynæus. hinc primoribus Galliæ dolor, hinc dicax in eius, & fratrum fortunam inuidia. collata in eos crimina diluere tentat amica illis apologia, prudentiorum ad ea tempora mens depromitur, qui medium sequuti, proposito Radesiani olim Marescalli exemplo, superbiæ deferunt, quem aliorum criminum vnde postulatus, plerumque faciunt innocentem. Ad extremum ne contra militarem disciplinam arma tractentur Comestabili ipso auctorante Lesdiguerius exercituum magnus renunciatur Castrametator, cui præfectura id in acies vulgò potestatis, vt omnia ex voto regens in castris,

sola denominatione à Comestabilis imperio differat. quasi Luynæum, parum ad arma expertem ambita contra ius dignitatis, ipsa postularet conscientia.

PARATIS iam ad bellum omnibus, restabat id vnum, vt Magister equitum, ad armorum imperia crearetur: reuoluta iam Olympias tertia, cùm magnus Mommorancius Galliæ Comestabilis, nobilissimam exercituum præfecturam suo vacuam excessu reliquerat: ab eo tempore sinè Comestabili Regi militatum in Gallia, cùm Rex indecorum sibi ratus, si in castris munia passim omnia subiret solus, leuando more maiorum labori de Comestabili cogitauit: id quoque suadebat expeditio periculosa, & longior, cui si Comestabilis deforet, periculum erat, ne militaris ordo in pessum iret. sed stabat potior ratio ab amore: quippe in frequenti Principum, Magnatúmque corona cui Rex tunc medius, non alius ad manum fuit, cui nescio an immerenti, tantũ munus deferretur, quàm Luinæus: vocatus ad primos honores, quem ab incunabulis Rex primæ aulicum gratiæ fecerat, quíque nuper ex Comite dux factus, ex duce fit hodie Comestabilis. præbetur illi ensis liliatus, quem, ne rubiginem ex sanguine contrahat, fallor, aut rariùs in hostem distringet.

Diu fuit sine Comestabili Gallia.

De eligendo cogitatum.

Luynæus Comestabilis renuntiatur.

Displicuit primoribus regni, amoris electio, vbi arctioris concilij negotium esse videbatur: aut tollendam penitus diadematis æmulam dignitatem, aut habendam vnius in nobiliori sanguine virtutis

Magnatũ murmura.

rationem, eligendos ad officium nobile principes, quorum magis intereſt nihil detrimenti rempublicam capere, quàm fungorum, qui eidem ſoli ortum & exitum debent. fuiſſe vnam hanc ex legibus, quam ſcripto & voce Henricus magnus ſoboli olim ſuæ LVDOVICO Regi, venturiſque nepotibus commēdarat. Iuraſſe illum propalàm, ſi Mommorancius aliquando ſe imperante deficeret; nunquam in Comeſtabili nouo reſtauraturum ſe. quod magno Regum commodo perijſſet. hodie portentum eſſe, ex homine alienigena, mediocri nobilium proſapia nato ex Alberto ignoto Luynæum, cuius vix orbe circumſcribatur nomen; ex Luynæo, Anchræi Marchionem, ex Marchione Mallij Comitem, ex Comite Ducem, & Galliæ Parem, ex Pari prodire inaudita apotheoſi Galliæ Comeſtabilem. Subiungebatur in eam ſuperbiam prolapſum, vt alijs autoribus geſta infecta forent, niſi grata illi negotiatio; inſolenti curialis zephyri flatu adeò tumidum, vt principes habere contemptui ludus illi & gloria: quos ſi quando ad conclaue ſuum, quod raró, admittebat, aperto capite ſedili deſtitutos patiebatur ſtare, & fere triumphabat; eò demùm proiectum fortunæ, vt ſeruis eius ac ianitoribus innoteſcere etiā magnatibus pro magnifico acciperetur. plura his addita. intereà dum in rotæ faſtigium aſſurgebant fratres duo, quos in curiam ille felicibus ſecum induxerat AVIBVS; vt paucos intra dies, Mareſcallus & Dux Caddenetus renuntiatus, Branteſius item Dux & Nobiliſſimæ principis coniux, in cuius capite fatiſcens Luxemburgenſis do-

Progreſſus fortunæ Luinæi.

Fortuna Fratrum Caddeneti & Branteſii.

Branteſius Luxemburgi principē in vxorem ducit.

Caddenet. Brantes. Luxembo...

mus illustrissima, Imperatorū, & summorum Pontificum seminarium nobile, centum aureorum millia in annos singulos illi rependebat: qua dote nubere olim solitæ virgines, illi etiam diuitijs & nobilitate secundę Regibus interdum, & Imperatoribus: rem vsqueadeò portento plenam, vt Vantadourius minorem natu, cui vix triginta librarum millia in annuos reditus, vxorem ducere gloriosum habuerit quem nemo nescit, eius esse in Gallia stirpis, quæ conniuentibus oculis vni Mommorranceæ cedat, cui & octuaginta aureorum millia pro reditu fortuna parauit, & nomen illustre prosapia. dum Brantesius plusquàm Regijs nuptijs, in ipsa, quod ferè inauditum, Regia, ministris principibus, Regéque hymenæi faces præferente nobilissimam principem adegit ad sui amplexus: adegit, quippe illa lacrymis inter nuptiarū apparatus testata dolorem natam se ad altiora prodebat. quæ omnia nemo ambigebat quin Luynæi gratiæ deberentur, qui rem inauditam, triplicem eodem momento fortunam vno regię beneuolentiæ fundamento struebat, Cerberum diceres, allatrantem primoribus Galliæ: ità præter illos nihil fortunati: vnde sæpius iactatum illud, funiculus triplex difficile rumpitur. Erat in eum quamdiu vixit criminum postulatio tacita, quibus palàm grauiora post eius excessum addidit veritas, aut inuidia; suam enim cuique infamiam posteritas rependit aut decus: quippe non ausis liberè loqui, qui spirantis fortunæ potentiam timent, redintegratur ab eius funere garriendi licentia, torrentem imitata, qui consistens ad oppositos aggeres, violentiùs

Vantadour Fils.

Vantadourius minorē natu eius familiæ in vxorem duxit.

Brantesius in Regia nubit.

Funiculus triplex difficile rumpitur.

dehinc abripitur: quò magis (vt hoc in transitu dicam) eorum socordiam irridere libet, qui præsenti potentia credunt extingui posse etiam sequentis æui memoriam: nam contrà, punità acerbiùs dum auctoritas viget loquendi licentià, gliscit fortiori potentia veritas aut calumnia. Itaque quibus viuente Luynæo timor auctor erat ne in eum aliquid scriberent aut loquerentur, eosdem statim impulit ad loquacitatem & satyras eius excessus, quas in tempore memorabo.

Post Luynæi excessum multa in eum congesta.

Lacessitus vndique, fortunæ suæ innocentiam in hunc modum tentabat. Regem esse omnium arbitrum, neque subdito datum vt contrà eat, futuram alioquin duriorem Regum fortunam subditorum sorte, quam ipsi ad placitum regunt; quemlibet ex plebecula lixam posse sibi amicos legere ex voto, in quos liberali manu bona profundat. Regios reditus, vnam Regis spectare personam, cuius liberalitatem morari velle, quid aliud est quàm virtutem, quæ præ alijs regia sit habere in vinculis? nihil esse quod Regem magè sapiat vna liberalitate, quam quò magis exercet, eò magis Deum imitatur, quem exprimit. lectum præ alijs Luynæum, in quem Rex liberalitates ad amoris mensuram effunderet: non esse illi aulicorum plures ad quorum nuptias, amore auspice, vt Henricus olim III. vectigales miserè perdat reditus, non mensis multiplici ad fastum venatione instructis gaudere; non ædificiorum luxus, non amare Veneris impuros amplexus, vnde spurij vulgò regum fœtus, vectigalia, purissimum populi sanguinem malè consumunt. vno eum contentum amico,

Fratrum apologia.

Reges omnium esse arbitros.

Reges liberalitas decet.

Rex Dei imago est.

Regum luxus.

amico, delicias ſpernere, luxus dedignari, quibus ſæpe pluſquàm par ſit Regum libido precium facit: quæ ſi ferre nequit inuidia, malle ſe aulicorum contra fortunam ſuam inuidiosè obgannientium latratus audire, quàm luctuosè miſerentium gemitus. His Luynæus altiùs metuens, tacita ſuſpicionum, vulgi rumorem; ingruentem inuidiam deprecabatur.

Inuidia præſtat eſſe obiectum, quàm miſericordiæ.

Qui inter vtrumque medij, nec Luyneæ fortunæ litabant, nec malo in eum animo ferebantur, viri magna ex parte probi, quos neque trahebat adulatio ad fortunæ applauſum, neque inuidia ad calumniam, ita ſentiebant de re, quæ Gallorum menſis vna tunc fabula erat. hominum ſic eſſe ingenia, vt diuitijs numquam, numquam honoribus ſatientur, quæ animis vulgò innata auiditas ſi crimen eſt, reos eſſe quotquot cœli ambitus habet: neque ſui adeò immemores aulicos, vt fortunam quæ ſe vltrò, placido vultu, expanſis manibus, aperto ſinu offerat refugiant. neminem eorum eſſe quos in Luynæum inuidia prouocat, quem ſi pari fortuna paſſu ſequeretur, non prorueret in eius amplexus gratiſſimos. iniquum eſſe, ceteros criminum poſtulare quæ nos ipſamet facerent reos, ſi fortuna vellet. neque quærendam fauoris cauſam, vbi Regem habet auctorem, non eſſe ſubditorum æſtimare, quem ſupra ceteros Rex, & quibus ille cauſis extollat: datum illi ſummum rerum à Deo iudicium, dum ſubditis obſequij gloria relicta eſt. ignota plerumque nobis Regij amoris ſecreta, Regúmque ingenia; ſupra hominum ſortem vulgò poſita, quid habere interdum

Mens ſapientum ſuper ea re.

Nemo fortunam ſi ſe vltrò offerat dedignabitur.

in abdito, quo non iniuriâ improbissimis etiam fauetur. abditos principis sensus, & si quid occultiùs parat, exquirere illicitum, anceps, nec ideò assequare. ita rem habere in omnium moderatore Deo, in quem iustis aliquando esset quòd indignarentur afflictis sæpius, dum impijs omnia ex voto cadunt, nisi eius iudicia abyssus forent, ad quæ imbecillitati hominum penetrare non datum. vnum esse, quod prudentia in fortuna fratrum exposcat: quid enim ab illis spreti primores Galliæ? quid contempti principes? ánnum & illud ex fortuna est, sibi negare parem? neutiquam sanè; imò clauus hic erat æneus, quo rota in circulum volans sisteretur. Ad hæc proferebatur Marescalli Radesiani, viri olim maximi Reis. exemplum, qui Regi suo carissimus, eum, sæpe liberalitati modum imponeret hortabatur: quia tamen Regis affectus supra subditi captum ferebatur; neque sat illi si communi Radesianus sorte inter primores viueret, effundebat in dies nouas in eum gratias; donec Marescallus vir sagax, concitatam in se magnatum inuidiam reformidans, commento vsus est in hũc modum. precatur enixiùs Regem (quando liberalitati modus non erat) pateretur conferenda posthac in se beneficia, sibi Principum, aut Magnatum precibus impetrari, quo ab inuidia immunis fuit: primores enim quorũ erat fortunam hominis inuidiosè deprecari; suo suffragio prouectum gloriabantur, magis quàm inuidebant.

Dei Regúmque arcana plerumque ignota omnibus.

Proponitur Marescalli Radesiani exemplum.

Commẽtum aulici non illepidum.

Hæc erat proborum sententia, dum sinè auctore. Satyræ in publicum plures, in Luynæum incredibili proteruia debacchabantur, exercentibus plerisque

Satyræ in Luynæum plures.

per occultum ídque procaciùs, libidinem ingeniorum, vnde lacessito ira & dolor.

Quia tamen belli expers erat, placitum eligi qui Comestabilis officio fungeretur, magnũ in exercitu Regio Castrametatorem, supremo in acies imperio; nec diu quæsitus ille, cui belli onus incumberet, in Lesdiguerio inuentus est. vnde rariùs ad valla eunte Luynæo, Regióque passim hærente lateri, iocosè apud aulicos iactitatum, Regis verè amantem esse, qui non nisi moriente eo mori vellet. Plura hîc de Luinæo congessimus, ne posteros lateat incredibilis fortunæ portentum.

Lesdiguerius magnus exercituum Castrametator

CAPVT II.

EPITOME.

Prodit ex Rupellano prælo declaratio Rebellium, cui publica hæc professio fundamentum est. post Dei cultum, vnam obsequij Regibus debiti habendam rationem. appellatur in protectionem innocentiæ Principum & populorum fides. crimina, quorum in eos delatio; diluuntur, Rebellionis maximè quod in se falsò collatum, opprimendæ religioni prætextum esse conquesti, ducta ab Henricis III. & IV. temporum serie, faciunt se innoxios. fidem Regis, pellendis regno suo hæreticis sacramento adactam queruntur. Iesuitas iniuriosè habent, maximè Arnousium, cui crimini vertitur quidquid in Sectam gestum. de arctiore demum Regis consilio quadam, quod Cardinalibus, & Episcopis magna ex parte constare lu-

gent. multa de innocentia sua, plura de vi, quam oppressionem appellant. congestáque alibi sæpius, hîc fusè ad nauseam repetentes, Deum & principes obtestantur, fidéque Regi renouata, post denuntiatum Catholicis bellum, hortantur iterum principes, populósque externos misereantur afflicti gregis opémque inferant.



AD Cal. Quintil. declaratio Sectariorum ex Rupellana editione in publicum prodit, qua causæ suæ tentata innocentia, Reges, principésque externos obtestantur in hæc verba.

DECLARATIO ECCLESIARVM GALLIÆ, ET PRINCIPATVS BENARNII de persequutione iniusta, quam patiuntur à Galliæ & reformatæ Religionis inimicis: déque legitima & necessaria tutela, quam sibi ipsis præstare coguntur.

NOs ad Comitia Galliæ & principatus Benarnij generalia à prouincijs delegati. Quia gliscit in immensum eorum persequutio, qui affectu Regis, & eius conscientia in nos abutuntur, dum loqui licet, palàm profitemur tyrannica oppressionis violentia adactam innocentiam nostram, vt se non aliter quàm naturalibus, & legitimis modis tueatur: ídque solùm vt vita, & conscientiæ libertas nobis, vxoribus, & liberis salua in posterum supersint: at ne vnquam de fide erga Regem nostra addubitari possit, sciant ventura retrò secula, quando præsens

Cur sibi prospectum velint Sectarij.

rem vocare in dubium nequit, eam esse Comitijs Reformatorum generalibus mentem, solemni iureiurando firmatam sæpius, nouóque hodie sacramento renouatam, vt Regibus sinè conditione subiaceant, quos à Deo datos negare vsqueadeò flagitium est, vt qui Regum potestati resistit, Dei ordinationi resistere, non iniuriâ dici possit. Sit ergo notum omnibus post Dei cultum, vni nos Regum obsequio sinè côditione mancipatos, quorum hæc est professio publica: nullam in orbe potestatem, quæ Regiæ superior dici queat, vnde Catholicorum in nos odia, qui faciunt diademata Regia Pontificis Romani ludibrium. *Fidem Regi sacramento promittunt.*

Primò Regem obtestamur, & si quid à nobis in Regno, Gallici sanguinis est non ementiti, dehinc Reges, principes, exterósq; quoslibet Gallicæ coronæ confederatos, demum nobiles, plebem, & si qui supra illos zelo domus Dei ferûtur, vt oppressæ innocentiæ miserti, iustas afflictorum querelas in hûc districtè relatas ternionem attentiùs legant, iustam apologiam, si illam ab inuidia veritas eximit. *Obtestantur exteros.*

Non aliud Catholicis feruentioribus in consilio dum Regem ad bellum accendunt, quàm gregis excidium palàm est. Ne tamen de religione agi credatur, commentis agunt, hócque armatum in nos Regem colore, rerum ignaris malè imponunt, quasi seditionum fomites simus, quorum in vnam conscientiæ libertatê studia. hinc nos aiunt perduelles, hinc edicta in nos Regia, parlamentorúmq; placita armari contendunt. At ne incautos indigenas, exterósque ipsos, inueterati in nos odij parum guaros *De Catholicis queruntur Sectarii.*

Diluere tetant crimina in se collata.

ſeducat color ille quæſitus, néue congeſtis tot in vnum calumnijs malè nobis afficiantur externi principes, ſciat Chriſtianus orbis, verba eſſe & voces quæcumque in nos iaciuntur, prætextus armati contra innocentiam odij. ita olim quò in Chriſti Euangelium Imperatorum furor concitaretur,

Se Christianis primi sæculi æquiparãt.

delatos primos Chriſtianorum, de ſpretis Cæſarum imaginibus, proſcripto ſupremo illorum imperio, ſeditionibúſque auctoratis; neque id alia decauſa, quàm vt ſuffixis patibulo Chriſtianis, ſanctum re-

Minùs rebellionem petit quàm religionem.

ligionis ſemen diſperderetur: pari eos calumnia maieſtatis hodię poſtulari, quorum poſt direptionem ædibus parantur incendia, capitibus vna religionis innocentia noxijs reſtes, gladij, flãmmæ: bellum contra perduelles mouetur in ſpeciem, dum vna Religio ciuilibus diſſidijs cauſam dat, quæ perſpicua plus quàm par ſit probatione nõ indigerent; niſi nobis negotium eſſet cum perdita gente, quę omnia negat. Edictum quod de libertate conſcientiæ eſt, Reformatis conceſſerant Galliæ Reges, quo tempore ex patrum cineribus rediuiuos, & fortiores vltrò impellebat proſperitas ad ſupremæ faſtigium poteſtatis, quam niſi abdicaſſet Religio, præter vnam conſcientiæ libertatem nihil ambiens, diuiſam hodie poſſideret cum Regibus Galliam. fuit

Violatum hoc bello ius gentium.

deſertæ victoriæ conditio hæc vna, vt cuique, conſcientiæ in Gallia arbitrium foret. Numquid ergo apertiùs violatur hodie cum iure gentium fides, quando bellum in Religionem mouetur, quaſi à Rege diuerterit? neque ſatis erat laceſſitam armis innocentiam, niſi & dolo actum: quò enim diſiunc-

tis à se inuicem Reformatis in rariore hoste facilior victoria foret, in perduelles armari dicuntur, quorum vnum est religionis odium. at si semel ea, quam omnium oculis exhibemus tabella oppressionem, qua affligimur, fidem Regi præstitam, auctores dissidij huius, persecutionem, quæ extrema iam passos penè ad desperationem eo regno impellit, vbi quid adhuc illis residuæ potestatis, si palàm hæc omnia libero penicillo duxerimus, futurum speramus, vt nationes exteræ, assensu animi ad misericordiam pronioris, probent hunc legitimæ protectionis conatum, ad quêm, etiam nolentem, natura trahit. plura hîc præteribimus quibus angimur: quippe optimè miserias ferunt, qui abscondunt; neque vllum afflictis solatium maius, quàm status obliuio.

Dolo in Sectam acitum.

Innocentiā suam probare contendunt.

Statim ab excessu Henrici magni, quem habebat innocentia nostra defensorem acerrimum, studuere infensi coronæ, quibus & nos cum illa odio sumus, religionem reformatam in Gallia perdere, quam si columnam imperij dicimus, erit forsan indecora nobis iactantia, vera tamen. At videbatur arduum edicti sanctitatem tot Regum obsignatam placitis, tot sacramentis cælatam, vno ictu quassare: actum ergo per cuniculos, edicti partes clam impetitæ sæpius, vt dehinc ipsummet mole sua edictum corrueret. Prodidit seipsum apertiùs aduersariorum animus in excidium reformatæ religionis vigilem, cùm ad Regis solemne sacrum, in hanc ab eo formulam sacramentum exactum: IVRO IN FIDE REGIA QVOS ECCLESIA HÆRETICOS RENVNTIAVERIT TENTATVRVM ME

Henricum IV. Secta defensorem appellant.

De formula Regii sacri queruntur.

ACRITER FINIBUS REGNI MEI DEPELLERE. Num firmabatur in nos adhibito iureiurando fides? num hæ in nostra omnium capita minæ, quos Ecclesia Romana imponit hæreticos? quid nobis dehinc tutelæ sperandum? quid, post sacramento solemni firmatam in nos fidem, libertatis? certè auersio Romanorum à nobis, tum maximè patuit cùm ad Comitia trium Galliæ Ordinum generalia, ad annum M. DC. XIV. Lutetiam conuocata, petitum, & fidem Regiam hoc sacramento obstrictam liberari, & Tridentinum Concilium in Gallia promulgari, proscriptum olim illud frequentibus Galliæ Comitijs, etiam eo tempore, quo bello in nos ciuili violentiùs agebatur: Concilium quo regno interdicitur, qui renuntiatis hæreticis, vitam in religionis libertate concedit. At mali extremum fuit, cùm ex Societate nefaria, monachorúmq; Ordinibus reliquis prodiere turmatim, suggestuum occupatores, à quibus effrenata licentia de proscriptione nostra publicè declamatum, communis ille omnibus locus, quo deficiens alibi oratio languida, in satyram diuagaretur. ita populi in nos concitati, contemptuique habita religio nostra. Hæc tamen patientia viceramus, rati Regem aliquando nobis liberiorem facturum sui copiam, cùm ad rotæ fastigium assurgit Iesuitarum proteruia insolens, vnde mota omnia, quæ nobis excidio verterent; luctuosa orbis Christiani facies bellis hodie ciuilibus discerpta ad horrorem, Germanicæ interneciones, satis exprimunt, quid excitando religionis bello iam penè vniuerso, nefariæ eorum suasiones valeant. hi sunt quorum

Petitum à Comitiis Galliæ generalibus exolui Regis fidem.

Concilium Tridentinũ in Gallia promulgari.

In Iesuitas postulatio.

Germaniæ bellum Iesuitis imputatur.

quorum hoc regno poteſtas, flagitium æquat. Viſus nuper homuncio, temerarium caput, non modò Regiæ ſi fas eſt dicere inquilinus; ſed omnium diribitor vnus, Regi contubernalis; infelix homo, qui cœli liliati pondus ſuſtentare pręſumens in ruinam ipſe cum Gallia dilabetur; quid non potuit loquacitas ſuperba dicterijs? nondum Regi aſſidet, cùm proſcripta olim Ieſuitarum Collegia, contra parlamenti Lutetiani decretum reſtaurata, cum reſtituti in integrum Benarnenſes Epiſcopi, oppreſſa noſtrorum libertas, vita in periculo. Hęc tibi debita perdite homuncio, qui prętextu pietatis, quam ſanguini perniciosè accommodas, bella nobis mouenda in ipſa Regis aula detonas? gloriaris te conſcientię Regię directorem, ecquid amabò directio tua, niſi legum ſubuerſio? quid in ea tibi propoſitum quod ſapiat Gallicam libertatem. placita ſunt, Romanę curiæ cælata ſigillo, quęcumque decernis; quorum id præcipuum, quod & Concilio Conſtantienſi decretum; FIDEM HÆRETICIS NON ESSE SERVANDAM. Vnde hæc tam argutè? ergo ſi quid à Rege hæreticis promiſſum, violetur fides, perinde eſt, iugulentur ad internecionem in fide vocati, parẽtur equulei, reſtes, gladius, ignis, Regem Chriſtianiſſimum decet glorioſa hæreſeos exſtirpatio. ergo edicta ſi iuuant obſeruentur; ſin minùs, corruant. His Regis animus plus quàm par ſit ſuaſus, dum de ruina monetur, quæ Galliæ imminet ſi bellum nobis inferatur reſpondet; malle ſe coronæ iacturam pati, quàm animæ. his addita Cardinalium, & Epiſcoporum conſilia, qui pręter Romam

In Arnouſium inuehitur.

Improbatur caput quod Concilio Conſtantienſi attribuunt de non ſeruanda hæreticis fide.

Reſponſum quod Sectarii Regi imponunt.

Quæstus quod Regis concilium arctius, Cardinalibus & Episcopis cōstet.

nihil ſpirant: vnde ſanctius hodie Regis concilium. additi & alij, qui ciuilibus diſſidijs innutriti veterum Hiſpaniæ factionum conſcij, Romanæq; Curiæ honoribus, quorum Ieſuitæ menſarij, allecti, pari affectu, conſilijs & animo in eorum deſtructionem coïncidunt, quibus ſtabiliēdis impenſiùs olim Henricus incubuerat: quò fit vt ſana illa & cana capita, quæ Henrico magno à ſecretis erant ab aula iniuriosè exulent.

Cum Ieſuitis in nos feruntur Parlamenta, ipſéque populus, vbi de religione ſonat, ad internecionem crudelis. Poſitis in eo poteſtatis faſtigio aduerſarijs quid nobis de Rege, quem circumſtant, ſperandum? nemo noſtrûm ad Regiam ſinè trepidatione accedit; ſi quem præfectura habet, quâ propiùs ineſſe iubeatur, inſinuatur illi in aurem ſuſurrus, aut mutandam conſcientiæ rationem, aut præfectura abeundum: patimur à Parlamentis oſtraciſmum, ſi quis ex Senatorio ordine religioni noſtræ aſcribi cupit, hæreſeos poſtulatus Senatu mouetur: prohibita vbique religionis noſtrę libertas, corrupta ſtipendio eorum fides, quibus noſtræ vrbes commiſſæ, ſeditioſis concionibus populi in nos concitati, direpta templa, temerata religio, effoſſa cadauera; violenter in ſtrato habiti ægri, quò ad abdicandam religionem noſtram cogantur, raptati ab vbere matrum infantes, ſatiata malis noſtris ad nauſeam, inimicorum crudelitas. Si demum, vt par eſt, quæritur in tribunali ſolatium, rideri afflictos, ludibrio eſſe innocentes, quod & hoſtium proteruiæ animos addit; quaſi auctore Magiſtratu geran-

Pelli ſe à Senatu.

A tribunali iudicum.

tur, quibus expiandis ne flammæ quidem ipsæ satis sint. Dum in immensum gliscit oppressio, vnicum superest ad genua Regis effugium, tentatum & illud, sed frustra; insinuatos ad sacram eius præsentiam increpat aduersariorũ superbia, propellit maiestatis postulatio, quam in nos, vno questuum indicio calumnia conijcit. loqui aut scribere perinde nobis periculosum; ipsáque calami aut linguę innocentia flagitium est. appellamus hîc cœli & terræ fidem, quæ inter nos & aduersarios media, collati in nos criminis atrocitatem prodat calumniam, vnóque hoc rebellionis prętextu armis lacessitos, qui vni Regum obsequio viuunt. videant principes exteri, quæ nos rebellio faciat perduelles.

A Regis curia.

Prodijt prima in nos delatio, à conuocatis Lodunum Comitijs, prodeat innocẽtia ab edictali lege, qua nobis interdum conuenire licet, Henrico IV. olim auctore. prodeat eadẽ innocentia ab ipsius LVDOVICI rescripto, quo eadem Comitia, vnde postulamur, comprobata. Comitiorum hic vsus in Gallia, vt Rex cum subditis quasi in familiare colloquium descendere videatur, vt de republica in commune consulat, nec non priuatorum querelas, vt verè habent citra fucum intelligat, quod per suorum fraudes ac dolos plerumque non licet. ibi ergo veteri Galliarum ritu propositi questus, quos (ne nationes exteras lateant) hîc districtè.

Comitiorũ sinè Regio diplomate conuocatorum innocentia probatur.

De Lectora questus.

Lectoure. Querimur primùm Lectoram præreptã, quibus in tutelã ab Henrico IV. concessa fuerat; quòd qui nostrûm Parlamento Lutetiano ascribi debuerant, abiere in fabulam; quòd libertatem religionis no-

De incēdio & vastatio ne templorum. ſtræ Claromonte depulſam, auctoritate Regia re-ſtaurari conati, ludibrio fuimus; quòd item Burgi in Breſſa, Gergobinæ in Boijs, Leuallij ad Guiſiam templa, Catholicorum manu deuſta, ſolo æquati parietes, vaſtatæ ædes: quòd Bauxij in Prouincia, Verræus caſtri præfectus reformatos ab vrbe depulerit ad V I. Id. Feb. anni M. DC. X X. quòd apud Baugencienſes ad campanæ ſonum, in eoſdem populi furor impunè graſſatus. *Clermont. Bourg en Breſſe. Molins en Bourbõnois. Leual prés de Guiſe. Baux en Prouēce. Verre. Baugency.*

Querimur item Paſtores noſtros Biturigibus extorres, depulſos Caballiono ad Ararim, Barro ad Lotharingiæ terminos: pueros poſt raptū dogmatibus Romanæ Eccleſiæ imbutos patrib⁹ inuitis & reclamantibus: audiuit Gallia Maiſtrij in Camera rationaliū Lutetiæ magiſtri lugubres planctus, Courecheti apud Rhotomagenſes, oppidani ignobilis apud Ebrodunenſes, Valetæ apud Amilianenſes, plebeij cuiuſdam apud Lectorenſes, audiuit parentum gemitus qui filios ſibi à monachis abreptos querebantur, & conniuentibus oculis crimen abire paſſa eſt, cuius equuleis expiatio debita. Neque ſatiata ſanguine crudelitas hoſtiū hæſit vbi rerum natura terminos poſuit; atrociùs ſæuitū in mortuos, violata ſepulchra, effoſſa cadauera. at ne probatione indigeant queſtus, cōmiſſum apud Aquas Sextias ſcelus, Gordij, Mirambelli, Vngulæ, apud Santones, fanum Sancti Georgij Oleroni patratum & alibi. His accedit Parlamentorum auiditas, quæ reliquas adeò iuriſdictiones abſorbet, vt edicti Cameris noſtris ex placito ſilentium imponatur; inter ea maximè parlamentū Toloſanum, quod prodidit *De abreptis parentibus filiis. De effoſſis cadaueribus. De parlamentorum quam vocant auiditate. Bourges en Berry. Chalõs ſur Saone. Bar. Le Maiſtre. Couure chef à Rouēn. Ambrū. Valete à Milhau. Aix. Gordes. Mirambeau. Ongle. Xainctes. Sainct George d'Oleron.*

infensum se nobis quoties ansa data: indefensi exitio damur: quis hæc ferat? ánnum opprobria tot, iniuriæ magis admonent, quàm obsequij? at vincit adhuc patientia malum: prouoluti ad genua principis, flagitamus vt in perniciem nostram apud Fuxenses inducta pleraque in pristinam formam reducantur; ne Benarnensibus inauditis edictum in eorum solo exequutioni demandetur, in possessionem vrbis, & castri sui Priuatiēses redeant; at & negatum ad ea ius, quod non nisi punita Catholicorum tyrannide reddi poterat. instare tamen Regi, iram deprecari, vulneribus, sanie, tabo, mixtísque in cruore lacrymis, eius misericordiam implorare. Sed Caucasum petebant amoris sagittæ, imò & crimini nobis vertit, quòd diutiùs precibus actum. vocata rebellio, miseriarum deprecatio humilis. Exire dehinc à Rege diploma, quo conuentus Loduni tunc habitus, nî solueretur ad prima imperia maiestatis postulatur, obsequentibus id remunerationis in spem datum; Lectoram statim post semestre restituendam, Senatores ex nostris duos Lutetiano parlamento ascribendos, vrbium Delphinatus veterem ex fide statum nobis exhibendum, querelas Benarnensis prouinciæ audiendas: quæ si intra tempus præscriptum deficerent, liceret non obtento etiam diplomate nouo, quò lubuisset Comitia iterum conuocare. Horum nobis testes Condæus primarius princeps & Dux Luynæus, hodie Comestabilis, viri omni exceptione maiores, data ab illis fides, quibuscum negotiū gestum, quamquā adhibita ipsius Regis pollicitatio, qui proloquutus ipse san-

Foix.

Questus repetiti.

Probant iustè Rupellam conuocata Comitia.

ciuit, rem nobis denuò à Lesdiguerio confirmatam, qui & se pro Rege, Condæo, & Luynæo debitorem vnum constituebat. Quæ cùm ita sint, quid probationi innocentiæ desit? tota in nos delatio criminis, conuocatis sinè diplomate Regio Comitijs inest, diluatur ergo abundè crimen exceptione tam iusta. at scripto vacat data nobis conuentus facultas; verùm à Rege fidem dante, scriptum exposcere nefas. quibus equuleis diffidentia nostra, si scedula obligatoria petita, quibus flammis expiari debuerat? soluta ergo in Regis, primorúmque fide Comitia; quamquam ne ludibrio foret obsequium præceps, in id omnium calculis itum, si deficeret tempore conditio, noua Comitia non alia causæ cognitione cogerentur. Reuoluto iam medio anni circulo, expectari liberationem fidei datæ, mitti ad Regem Legatos, qui misericordiam sæpius obtestati, tristia hæc referunt; Sperandum vulneribus medelæ nihil, imò, nisi prospiciatur, grauiora parari. sequuta dehinc expeditio Benarnensis, quæ vnam Reformatorum spem in desperatione posuit. ibi, quid non passa est religio nostra? abiret in silentio perfidia hostium, armorum crudelitas, oppressio luctuosa, nî dolor quo angimur, inuitas à nobis querelas extorqueret. nec laurus sinè strepitu ardet, nec iniuriam viri innocentes sinè clamore patiuntur. Huc te, Deus immortalis! huc vos Principes exteri, huc, huc te orbis vniuerse in fidem, & tutelam appellat ferri & flammę vim passa innocentia! vniri in Reformatorum ruinam iurisdictiones Benarnij, & Nauarræ, fidem Salesio violari, qui Nauarræi Ca-

Scriptum obligatoriũ nunquam à Rege fidem dante petendum.

De reuocãdis deficiẽte conditione Comitiis consilium capitur.

Deum obtestantur & principes externos.

ſtri præfectus, Regem in vrbem vltrò admiſerat data fide nihil in ea mutatum iri. quin & in id poſt datam fidem Rex inclinabat, cùm à Ieſuita Arnouſio diſtrictè negotium hoc dilemmate expeditum. Aut conſcientiæ pollicitatio eſt, aut ſtatus Regij? conſcientiæ eſſe non poteſt, quia Eccleſiæ aduerſatur; ſi ſtatus eſt quidni committatur tanti moles negotij arctioris concilij Senatoribus? quorum in eo verſatur ſententia, vt Catholico arcis præfectura cedat. hoc argumento quaſi inter Sophiſtas actum, à Saleſio in Poyanum arx tranſijt: mutari dehinc veteres in prouincia ritus, expelli Perſanos, cogi ad ſupplicationes publicas genua flectere, qui idola adorare negabant. quis ita Cannibalum arbitrio viuat? nec diu cùm auctore Ieſuita prodijt in publicum Satyra, hac inſcriptione, REX IN BENARNIO, vbi palàm de hæreſi extirpanda loquutus, futurum clamat fama minorem LVDOVICVM, ſi vel vna Caluiniſtarum memoria poſt expeditionem ſupereſt. ſtolidum hominem, qui meminiſſe debuerat gladium contra animas nihil efficere, niſi vt eas cum corpore malè perdat.

Arnouſius de inducto in Nauarreum Caſtrũ Poyano accuſatus.

Dilemma Arnouſii.

Sales. Poyane

Eiuſdem de expeditione in Benarnium libellus.

Hæ nos iterum dolorum cauſæ in vnũ Rupellam conuocarant; quando à Rege maieſtatis poſtulamur, niſi ſolutis nupera facilitate Comitijs abcederetur. corrũpitur inter hæc Leſdiguerij fides, in Gallia Narbonenſi arma in nos apertè capiuntur, obſeſſum Priuatium, captæ dehinc Villanoua Bergi, Vallum, & Valonſium; vaſtat vrbes noſtras Mommorancius; vim patitur Chatilhonius ad ea tempora præpotens armis, non auſus tamen Regi obſiſtere.

Priuas. Villeneuue de berg. Vals. Valons.

Repetuntur Galliæ Narbonenſis diſſidia.

Destitutum Forcaeum Mompolianum queruntur à Rege depulsum.

Bella dehinc in Benarnio, nouo furore renouari, prætoria prouinciæ, cohortísque vigilum præfectura destitui Forcæum patrem, expelli à Curia carum Regi à teneris Mompolianum, eò solùm quòd Forcæo natus: Martini dehinc cadauer effodi apud Turones, horrendúmque crimen quinque scilicet scurrarum suspendio expiari.

Plura passi, hæc compendiosè delegimus; quæ non Gallis modò, verùm & Christianis, quotquot orbis ambitus habet, proponerentur: sciat tamen orbis vniuersus actam ad extrema innocentiam nostram, paratam esse vt extrema tentet, non in Regium caput, cuius diadema parentum nostrorum virtute paratum, quidquid tentent Catholici ad extremum vitæ tuebimur: res est nobis inueterata Regibus præstò esse, cuius testis Henricorum memoria, quos à Catholicis diu afflictatos, salutem nobis debuisse nemo ambigat. Exempto itaque ab odio Rege, in eos arma capere cogimur, qui eius affectu & conscientia in nostrum caput abutuntur: in illos odium iustè armati populi: Regi libellus supplex, offeretur, illis gladius vltor. Te iterum Rex magne! te precamur enixiùs Gallorũ sanguini parcas, dum licet; non aliam ob causam in vnum collecti, quàm vt vnitæ multorum preces ad Regiam tuam robustiori voce ferantur.

Iterum Regem obtestantur.

Agedum LVDOVICE, Regum gloria, deliciæ imperij Gallici, & ne calumnijs te diutius nobis malè affici patiare, memorem, fuisse olim patres nostros tutissima coronæ tuæ præsidia, quo tempore Catholicorum factio præpotẽs, Borbonio sanguini illu-

illudebat, parique fato sanguinem nostrum tibi hodie debitum, publicos grassatores quicumque bellum nobis ad internecionem mouendum contendunt. desperationem magnum esse ad honestè moriendum incitamentum. Vos item, externi Principes, quotquot non illegitimè imperatis, adeste afflicto contra ius omne populo, quem opprimit vis maior, nisi vestra intercedit auctoritas: sed leue præsidium, nî ades immortalis Deus! in quo vno salus, & vita. exurge Deus! Israëlitásque tuos tutare, dum adhuc spirant. Hæc est declaratio Ecclesiarum Reformatarum Galliæ & Benarnij, ab Oratoribus edita, eorúmque nomine,

Combort. Bannage. Rodil.

COMBORTVS *Præses.*
BANNAGIVS *Adiunctus.*
RODILIVS *à Secretis.*

Ita innocentiam Sectarij suam hoc bello tentabant; mage conuicijs, quàm argumentis, cōtinua in coronam satyra, Regis iram deprecātes; nec mirum si in Regē ab illis ea pernicacia actum: falsa enim religio arctiori modo, quàm cetera humanæ societatis vincula, mentes constringit, vnde qui religionis opinione ducuntur, principem, patriam, publicum, priuatúmque ius parui faciunt, hincque rebellionum, dissensionum, ac defectionum ortus, non mirum ergo si feratur in Regem Catholicum hæreticus perduellis; quando in eadem domo patri cum vxore ac liberis, fratri cum fratre non conuenit si in religione dissideant? iam Sectariorum declarationi

vulgus ignobile quod vnam rerum superficies vulgò moratur, adstrepebat, cùm visa in publicum paulò post pro Rege apologia, incerto auctore, dabo hîc tamen illam ex typo.

CAPVT III.

EPITOME.

Post conciliatam externorum gratiam examinis ratio, & ordo proponuntur. plura Rebelles queruntur, sacramento solemni, de heresi extirpanda firmatam Regis fidem; deprecantur maiorem æquo Iesuitarum in Gallia potentiam. nec potuisse Sectam, nisi iniuriâ, eò solùm renuntiari perduellem, quòd Rupellam conuenisset. hæc illi. contrà conuincuntur Regum infensissimi hostes, maximè puerorum mendaces. item, dum nihil sibi in Regem mali animi esse, dum se supra Catholicos in fide Regibus debita iactant. proposito potestatis Regum in Gallia modo, qui sine modo est, non ea Sectarios lege viuere. neque adeò Regum suorum Catholicos in Gallia immemores, vt passim credant summo Pontifici ius esse in Regna, probatur illud, vt & Sectariorum Comitiis attributam per nefas supremam omnium potestatem, præpostere de fide Henricis olim III. & IV. præstita, laudatam Sectam, commodo illam proprio, non Regibus ad ea tempora militasse. repeti Lectoræ, Benarnis, Turonum, aliique questus, illis districte fieri satis, appellari dehinc fidem principum exterorum, Deique auxilium.

EXAMEN DECLARATIONIS Ecclesiarum Galliæ, quæ se Reformatas imponunt, quo per capita minutim ostenditur, futiles esse questus, quos ad Rebellionem comminiscuntur.

QVAM falsò obtendatur ab ijs oppressio, qui priuatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei, nisi per discordias ciuiles habent, videant externi principes, ipsíque populi alienigenæ, quorum toties inuocata fides: videant dum oppressionis hac declaratione obtensum nomen, re vera ambitione, auaritia, & rerum nouarum studio actum. Multa pathetice scripta, pleraque iniuriosè congesta, quæ omnia si examen hoc, LVDOVICI gloriæ debitum, conuincit probra, & calumnias; vertantur in Sectam arma, quæ tutelæ ipsa suæ in Regem concitare tentauit: sin vera sunt quamquam impudenter, in Regem, Catholicósque coniecta, triumphent per me licet victores Sectarij, nihílque Regi, aut Catholicis spei quàm in vna victorum clementia fiet. Auditos per compita sæpius, quibúsque ipsa si fas dicere noctu & interdiu lupanaria perstrepunt, Sectariorum questus, quos & repetit ad nauseam declaratio, hoc examine falsi conuincere propositi nostri est; vnóque oppressionis prætextu armatam Sectam, quorum videant Galli exteríque omnes, quàm felix probatio.

Falsò obiectam à Sectariis oppressionem.

Actum ab iis rerum nouarum studio.

Examinis huius propositum.

c. Primus hinc vobis dolor, Sectarij perduelles? quòd ad LVDOVICI solemne sacrum, Regia sa-

Formula præstiti à Rege sacramenti. cramento fides firmata in hanc formulam (IVRO IN FIDE REGIA QVOS ECCLESIA HÆRETICOS RENVNTIAVERIT TENTATVRVM ME ACRITER FINIBVS REGNI MEI DEPELLERE.) vnde vobis Ecclesiæ decreto hæreticis, parari excidiũ dicitis, verba & voces arguuntur, adeò factorum innocens est in quem agitis. at scire debuistis non esse instituti cum Caluinismo vestro recẽtis, sacramenti hanc formulam, quę tot penè seculis Sectam vestram præcessit in Gallia, quot à vobis mendacijs in Regem & Catholicos actum. ita Regum Galliæ fides ab omni æuo firmari solita. &, ne in vestri odium mutatam recèns sacri legem imponatis, reuocari in memoriam par est, quod nemo vestrûm nescit; Henricum IV. quem pro numine tutelari adorare vos fingitis, eadem penitus formula vnctum Regem; quare ergo, non motis ad ea tempora questubus, obstrepitis hodie Regi, quẽ vno hoc indicio scitis maiores imitatum? at neque sat illud, nisi & vobis contraria fides daretur: redeat amabò in memoriam, libellus supplex Regi oblatus ad annum M. DC. XV. in cuius subscriptione id propalàm Rex professus est, vobis rogantibus, nusquam se sacramento ex veteri ritu à se præstito de pellendis vobis cogitasse. vnde ergo hic timor? ánnum vobis fidei satis in fide regia? At neque minùs ridiculi questus, qui Iesuitarum potentiam deprecantur, & increpant. à crimine immunem esse necessum est, qui in alium dicere parat. quam apud vos auctoritatem Ministri (absit verbo inuidia) quod ius sibi non ascribunt per fas & ne-

Marginalia: *Obiectio.* (at "PELLERE."); *Respon. 1.* (at "debuistis"); *Respon. 2.* (at "vno hoc indicio"); *Obiect.* (at "que minùs ridiculi"); *Resp.* (at "quam apud vos").

fas? nónne infecta apud vos omnia, nisi eorum auctoritas intercedit: Iesuitæ dilecti à Rege quia imperio vtiles, sagaces, & probi: at eorum consilijs Rex *Obiect.* plus quàm par sit suasus, dum de ruina monetur, quæ Galliæ imminet, si bellum vobis inferatur, res- *Resp.* pondet; animam sibi imperio potiorem? calumnia est, noxiúmq; nimis Regiæ sagacitati opprobrium. verũ esto, ita loquutus Rex, per me licet: an nescitis Comitem Palatinum, vobiscum Caluinistam, dum nuper imperij coronam rebellis & ipse ambiebat, increpatum, quòd Catholicos Orthodoxos finibus ditionum suarum depulisset, non aliud respondisse, quàm actum id conscientiæ lege, quam vnam præualere omnibus necesse sit, imperiúmque sibi minoris esse momenti, quàm animam? vnde Sectæ applausus, elogiáque virtutis in Palatinum maximæ. at quàm præposterũ est principi Catholico crimini apud vos vertere, quod vbi in Sectariũ incidit, dignũ ducitur immortali laude. His prætereà adijcitis vobiscũ iniuriosè actum, cùm diplomate Regio re- *Obiect.* nuntiati perduelles, qui paulò antè, ipso Rege auctore Rupellam conueneratis, latam olim, rogante Henrico magno, in Gallia legem, qua interdum vobis conuenire datum. at contrà redeant hoc loci in *Resp.* memoriam Henrici tempora, quibus à bello ciuili omnino abstinuistis: quia nota Sectæ vestræ, principis virtus terrorem incusserat. Vix rebus humanis exemptus ille, cùm subijt animis vestris antiqua patrum cogitatio, quæ in repub. libera erat vno nobis, vobisque parricidio perijt Henricus ille *Nãtes.* magnus, & ordo omnis Nannetico præscriptus

edicto. adhuc illi cor in sanguine palpitabat, cùm de republica libera, denuò cogitatum; nec dum illi parentauerat Gallia, cùm de bello, infanti adhuc Regi mouendo consilium captum: neque mirum id venisse vobis in mentem, apud quos hereditarium est vagientes in cunis principes opprimere vi, aut dolo. Testis omni exceptione maior Iacobus sapiens Britanniæ Rex, quem Sectarij vestri, quos ille Puritanos appellat, in cunis suffocare conati sunt. neque placet hîc alius proditionis delator, quàm ipsemet Iacobus, qui interrogatus num & vobiscum Puritanus esset? in apologia sua respondit: ego Puritanus, qui à Puritanis penè in cunis suffocatus? hæc ille de vobis Sectarij, quos Puritanos vocat. inueterati etiamnum in Reges odij argumenta subministrat exactum seculũ, quo in Henricum II. Franciscum II. Carolum IX. Henricum III. tentata à vobis extrema, quò Regia dignitate disijcerentur: testis LVDOVICVS supra reliquos, qui quantò illis virtute est nobilior, tantò vobis infensior. at illum ab odio vestro, & armis eximitis? precibus agitis? humili oratione iracundiam deprecamini? ecquid quæso istud est, quòd in sanctius eius concilium tam acerbè debacchamini in declaratione vestra? quòd in conscientiæ Regiæ directorem indesinenter feruntur libelli, satyræq;, quas identidem in publicũ editis? quid istud est? nisi quòd vulgò apud Gallos iactitatur catulum ad leonis præsentiã verberare: arduum est rectà in Reges ferri, ideóque obliquè impeti placet; at neq; illud obliquè satis: quippe quid aliud est in arctius Regis concilium inuehi,

Caluinistis Reges infantes opprimere velle, hereditariũ est.

Sectariorũ scripta ab eorum mente aliena.

Obiect.

Resp.

T

quàm cum Rege ipſomet iniuriarum agere? neque enim vſqueadeò diſiunctus Rex à concilio ſuo, quo auctore geri omnia palàm eſt, vt qui concilium impetit, non haberi debeat Regi inimicus: præeſt Rex ipſe cœtui nobiliſſimo, habitóque probitatis, & ſagacitatis delectu quidquid magni in Gallia eſt, in illum inducit; & feretur adhuc vęcors lixarum in probos homines accuſatio? Vnum eſt dignum magè quod rideatur, quàm cui fiat ſatis, dum id vobis ſupra Catholicos aſtruitis laudis, quòd cœca veſtrûm obedientia, adeò regiam præponit omni poteſtati, vt vni Regi ſubiacere ſibi gloriæ ducat & honori: dignam ſanè, quæ ad nepotes longiori æuo trahatur fidem! verùm enim verò ſuas id obſequium habet tacitas conditiones; nempe, ſi Rex concilium arctius, quod Cardinalibus & Epiſcopis conſtat, dimiſerit, vocaturus in eorum locum, quos ex Catholicis annua penſione ſecta veſtra ſibi conducet; ſi depulſo conſcientiæ directore, Miniſtrorum omnia arbitrio credat; ſi effuſis in ſectam liberali manu vectigalibus & annonis, vrbes commodatas olim ad tempus, in perpetuum donet. Hæc eſt veſtra illa obediētia, cui tot exceptiones, quot apud vos Miniſtri, quam videant externi principes, populíque toties à vobis inuocati, eáne ſit, quam imperant leges, quámque natis in Monarchia, ipſamet natura ſuadet. Qui de Regibus Gallorum ſcripſere, notant, nihil eſſe in orbe reliquo imperij, quod Regum noſtrorum poteſtatem aſſequatur. Reges in Gallia, nullo medio eſſe Reges: Regum Hiſpaniarum potentiam frænari concilijs frequentiori-

Obiect.

Reſp.

Poteſtas Regū Galliæ ſinè conditione ſuprema.

bus,quæ illi ad latus, nempe negotiorum ciuilium, belli, orbis noui, nauigationis, Belgij, conſcientiæ, publici priuatíque ærarij, à quibus pendet, ſeu ſibi ipſe ſic dixit legem, ſeu ita longo vſu inualuit. Sæpe Britanniæ magnæ Regi habenas parlamentum imponere, imò & eo auctorante quandoque deſtitui; Bohemiæ Regem, Imperatoris aſſeclam; Poloniæ, Cancellario nobilibúſque ſæpe ludibrium; Imperatorē Occidentis vna denominatione illuſtrem, pauperem eum, & cuius electio principum ſit, confirmatio ſummi Pontificis. Orientis, tyrannum, reliquos principes beneficiarios eſſe Imperatoris, Regum, aut ſummi Pontificis. Vnum Galliæ Regem, Dei vnius gratia imperare, Deo item vni coronam debere, ſubiacere eius imperio, ſinè cognitione cauſæ, quoſcumque Galliæ ambitus habet. vnam ſupereſſe afflictis populis ſalutis rationem, ſi, quod rarò, iniurioſè habiti, miſeriarum ſcilicet deprecationem, eámque coram Rege humillimam: delegari ſolitos à parlamentis ad Regem Oratores, miſereatur afflicti populi, cuius ſe patrem eſſe meminerit; quæ ſi dehinc ſpreuerit princeps, in oppreſſione ſiletur; aut ſi viſa conſcientiæ obluctari imperia, loco ceditur. hunc imperij apud Gallos modum, ſcriptis, veteríque patrum traditione habemus. Vnum eſt quod hîc attentiùs diſcutiatur; eáne lege Sectarij viuant, qui cœcam Sectæ ſuæ obedientiam ad nauſeam iactitant. commodauerat illis Regis munificentia vrbes ad ſtata tempora, quas non niſi precariò poſſiderent; petit ſibi reſtitui commodatum, negant Sectarij, inſtat ſua vindicaturus Rex, arma

Non ita reliquos principes, ſupremum omnium ius habere.

Angleterre.

Boheme.

Polongne.

Regē Galliæ Dei vnius gratia imperare.

Obedientia in Gallia ordo.

Parum ſeruatur à Sectariis.

arma capiunt: hæc eſt illa obedientia ſinè oculis. indicuntur contra ordinem regni Comitia; collecta iam, ſolui iubentur, vrget Oratores diploma Regium, quo maieſtatis poſtulantur; nec minùs protrahi in dies, póſtque iterata ſæpius iuſſa prohibitoria, obſiſtere. præſcribi vectigalium, & militiæ leges, ſigillóque vſurpato, bellica tormenta liquari, ſortitò prouincias Galliæ primoribus Sectæ diuidi. hæc fides illa, hæc eſt Sectariorum obediẽtia, quam cœcam iure meliori quis dixerit, quia Regem non videt. Intereà Rex arma capere, adeſſe armati fortiora imperia, aperiri iubentur vrbium portæ: at fruſtranea iuſſa, appellari à Rege ad Comitia. hæc eſt iterum illa fides, quam cœlo Rebelles æquãt, quam columnam ſtatus, Regiíque diadematis fulcrum appellitant. Adhuc infida gens legem illam in medium proferes; qua te Regibus vſqueadeò arctè deuinctam mentiris, vt tuorum ſuffragio vnius Dei gratia imperantes nulli in orbe poteſtati ſubiaceant? vnde accuſationis in Catholicos anſa, qui primæ Sedi conceſſo, vt ais, in Regum diademata iure, coronæ illudunt. *Obiect.* Liceat hîc collatum in Catholicos crimen, ſi quod eſt, diſtrictè diluere. Errant quibus *Reſp.* ea mens eſt, ex fide Catholicorum ſummo Pontifici ius eſſe in Galliæ regnum, quos hîc ſcire par eſt diuiſam penitus eſſe Dei, & Cæſarum poteſtatem, quinetiam deciſam ipſo Dei hominis reſponſo quęſtionem, qui de poteſtate Cæſarum rogatus, reſpondit ex Euangelio; REDDITE QVÆ SVNT CÆSARIS, CÆSARI, ET QVÆ SVNT DEI, DEO. Dei eſſe, hoc eſt ſummi Pontificis, quidquid *Diuiſam eſſe Regum & ſummi Pontificis poteſtatem.*

ad conſcientiam ſpectat, obligatione inter Chriſtum & Petrum inita in id Petrum obligatum, vt oues ſibi commiſſi gregis paſceret; ex fide data, translatum id in eum iuris, vt cœlum modò indignis occluderet, modò aperiret merentibus; hanc eſſe orthodoxæ Eccleſiæ poteſtatem, immenſam ideò quia terminum habet infinitum, qualis eſt gloria, quæ ex Dei poſſeſſione emergit. Regibus ſuam eſſe iuriſdictionem, quæ ab Eccleſiaſticâ ipſo iure diuidatur; ſummo Pontifici ſuum imperium, quod ſeparetur à Regio, ídque eò nobilius, quò ſupereminet anima corpori: & vt optimè ait Iuo, quamquam Epiſcopus REGES EPISCOPIS INDIGERE AD ÆTERNA, EPISCOPOS REGIBVS AD TEMPORALIA. Falſum ergo in ea Catholicos omnes ſententia eſſe, vt ſummo Pontifici in Reges iuriſdictio ſit quatenus Reges; patrem quidem Regum omnium illum, ſed qui in ijs filios habeat emãcipatos; ſi errant, monere poſſe; ſi perſeuerant, poſt denuntiationes pleraſque, ab Eccleſia ſeiungere velut membra corrupta, ídque non minùs quàm infimæ ſortis homines: ita tamen vt quemadmodum, ab interdicto à ſacris plebeio bona in alium transferre nequit, neque filium à patriæ poteſtatis ciuili & naturali vinculo liberare, ita nec Regem imperio interdicere, nec à fidei ſacramento abſoluere ſubditos, quos natura, leges, imò & ipſe Deus indiſſolubili vinculo Regi copulant. At, ſi qui ſummo Pontifici in Regem Galliæ ius eſſe contendunt, errant, aut referẽda eorum mens ad ſpiritualia, quæ vt Regem non ſpectant, ita ſinè detrimento poteſtatis

Eccleſia orthodoxæ poteſtas immenſa.

Summi Pontificis imperium nobilius Regio.

Reges ab Eccleſia ſeiungi poſſe auctoritate apoſtolica.

Non interdici Regno.

Regiæ in alium iure transferantur. Ita quæstionem nullo adhuc decisam orthodoxo Concilio tractant Catholici, quorum in re dubia animus, in Reges inclinat. his te præmonitum volui Sectarie perduellis, vt scires Catholicorum erga Reges obsequium nullis terminis circumscribi. Superest disquiramus breuiter, num & ea lege viuas, cuius violatæ scripta passim tua Catholicos deferunt. Comitia Rupellam conuocasti Rege inconsulto, at minimum illud: inibi sacramento firmata Sectariorum in factione fides, hac formula: (IVRAMVS OBSERVATVROS NOS, EXECVTIONIQVE MANDATVROS QVIDQVID RVPELLANA COMITIA STATVENT: ET SI OPVS BONA, LIBERTATES, ET VITAM STABILIENDIS EORVM DECRETIS IMPENSVROS, SECRETA CONCILII NEC SCRIPTO, NEC VERBO REVELATVROS.) Neq; hîc opus arte syllogistica, vt ex præmissa tam aperta, prodeat conclusio in Regium caput apertior: quippe si vera est politeiæ ea Regula, quæ eodem Regno duo suprema imperia negat, num in Regem firmata hîc fides? num ea voce, QVIDQVID, parricidia, regni excidium, Regis, principúmque coniurata ruina continebuntur, si videbitur ita Comitijs? Quid istud quod, vbi opus fuerit, libertatem, vitam, & bona profusuros vos pollicemini? vbinam illud opus, nisi cùm Rex in possessionem vrbium suarum redire voluerit? Atenim quo effugio arcanum, quod sacramenti pars extrema est, eludetur? vel enim in obsequium secreta hęc, vel in rebellionem? si in obsequium, quid-

Fides Sectariorum Comitiis iureiurando firmata.

ni ſecreta eſſe deſinent, quæ gratiam omnium promerebuntur? ſi in Rebellionem, quod nemo ambigat, quídni fateamini vos Regum acerrimos hoſtes? At opitulati patres veſtri Henricis olim III. & IV. ex Catholicorũ, vt loquimini perfidia laborantibus; rem paucis expedio. nihil eſt quòd Henricis allatam à ſe opem ſuperbiẽs efferat Secta; nemo enim ignorat, id temporis ſibi illam, non Regibus ſtuduiſſe, res in promptu eſt: Henrico III. quem ſinè prole videbant coronam in Henricum IV. transferre, præſtò erant, tum quòd ſibi Caluiniſtam in ſucceſſorem legerat, tum quòd Salmuriam, vrbem ad Ligerim munitiſſimam Sectæ concedebat: quis miretur his conditionibus opitulatos? Henricum verò IV. quid mirum ſi habuerint diu militiæ ducem, quem cum ijs ad ea tempora Caluiniſtam excuſſus dehinc error faciebat? ceſſent ergo coruorum voces importunæ, ceſſent in Regem toties iactata conuitia, quibus ingrati animi poſtulatur, dum Caluiniſtarum noluit ſubiacere ſuperbiæ; quaſi multum debeat Sectæ, quòd Henrico olim IV. debitam ſibi coronam repoſcenti adfuerit: quin potius in eam ingrati animi delatio cadat, qui Henrico vitam, bona, & illam, cui quotidie ſanguinem immolat libertatem debens eius prolem impenſiùs coluiſſe debuerat. Prolata inſuper in medium tria capita, vnde queſtus. primum de Benarnio, ſecundum de Lectora, tertium de nõ adſcriptis Lutetiano parlamento duobus ex Secta, déque negatis illi penſionibus annuis; quibus pleraque promiſcuè congeſta, temeratos manes, deuſta templa, raptos ad ido-

Sectarii Henricis olim opitulatos ſe gloriantur.

Cur Sectarii olim Henricis fidi.

Saumur.

Poſtulantur quòd Henrici filio rebelles fuerint.

Obiectio.

lorum cultus infantes, & his similia, quæ discutiamus hîc breuiter.

Quod de Benarnio est, meminerint queruli, vnũ id Regem ab illis flagitasse olim, vt restitutis in integrum Benarnensibus Episcopis, Orthodoxi Euangelij induceretur in prouinciam libertas; reluctantibus prouincialibus, missum Renardum, qui edictum exequeretur, negatam obedientiam, de vita periclitatum Oratorem; institisse adhuc clementiùs Regẽ, pertinaciùs obstitisse Rebelles; meminerint missos Burdigalam Legatos, negatáq; iterum edicti executione, coactum Regem vt in Benarnium iret, ibi quid actum? mutatus Castri Nauarræi præfectus, libertas conscientiæ Catholicis reddita, coacti genua flectere Sectarij, dum Dei hominis in Eucharistia corpus, ad supplicationes publicè habitas circumferebatur. apage ridiculos questus! neque enim negabitur LVDOVICVS Benarnensis prouinciæ supremus princeps, quod si ita habet, quídni eius arbitrio dabitur præfectorum delectus: Salesius Nauarræi rector longiori iam annorum serie, excubiarum laboribus impar, arce cedit, nec solùm lubens, sed & flagitans; Poyanus substituitur: ideóne vobis perijt libertas conscientiæ, quòd Catholicus arcem Regiam subit? si eandem libertatem Catholicis in Benarnio quæsitam inuidetis, quid hoc aliud, quàm ceteros diuerso à vobis pede metiri, quorum indesinens in eam libertatem studium & clamor? quídni Catholicis in Benarnio ea libertas dabitur ex veteri proauorũ ritu, quam sibi nouo vsu in Galliam noua Secta induxit? exultabitis ipsi libe-

Respon. Renard. Bourdeaux. Obiect. Resp. Sales.

ris conſcientiæ modis, ídque eò loci vbi Orthodoxa fides mille iam annos inter lilia floruit, & Catholici Sectaria tyrannide, libertate conſcientiæ deiecti recèns, aut exilium patientur, aut habebunt religionem ſuam in vinculis? adeóne proſcribi religionem, quam & Rex ipſe profitetur, vt ne quidem ipſúmmet eius exercitium induci queat. At iniquum eſt cogi ad idololatriam, qui genua flectere abnegant? apage nefanda verba: ergo idolum eſt auguſtiſſimum illud noſtræ fidei pignus, quod mille &
Reſp. ſexcentis abhinc annis Orthodoxa Eccleſia adorauit? ergo Chriſtus idolum? idolum vobis quia pro nihilo ducitur, nobis Deus, qui in carne humana ſui memoriam abiturus in ſeipſo reliquit. Non agam hîc patheticè, vt in declaratione paſſim veſtra: agit hîc rei natura & dignitas violentiùs, quàm vt quid ab arte mutuetur: vnum id ex politeia addam, debuiſſe Sectarios, quidquid de re ſacroſancta ab illis creditum, aut procumbere, aut procul abeſſe: ad præſentiam quippe Regis adorantis, ſi obuerſatur ſacro conſcientia, ſubditis aut loco abſiſtendum,
Obiect. aut adoratio ſimulanda; hæc de Benarnio. Lectoram paucis expedio; cui ideò præfectus erat Fontaralius, quia patri ex munificentia Henrici olim IV. vrbis rectori ſucceſſerat; Catholicus factus queſtubus anſam præbuit, quibus ad ea tempora fiebat ſa-
Reſp. tis in hunc modum. Arcem Regiam eſſe, Fontaralióque olim patri in remunerationem rei bene geſtæ ab Henrico conceſſam; nullatenus habitam à Rege Religionis rationem, donatámque Caluiniſtæ minùs præfecturam vrbis, quàm acerrimo bella-

tori: non esse matrimonij, aut fœderis, minùs datæ fidei obsidem, quarum vrbium sibi possessionem non habita obsequij ratione Secta arrogat: fuisse ab omni æuo in obsequio Regum liberam; atque ita præpostere questos, quorum ad hoc caput declaratio tam impudenter obstrepit: neque Catholicos ita queri solitos, si quando præfecti Catholicarum vrbium, fiunt Caluinistæ: Seneuierium olim, Chatillonium arcem, etiam mutata in peius fide retinuisse, iniquum ijsdem Rege & Regno, disparibus adeò legibus Gallos eosdem viuere. His abundè fiebat Sectariorum questubus; cùm Rex supra modum in eorum vota inclinans, Fontaralio arce cedere iusso, Bleinuillium ei Caluinistam substituit; quid vltra expostulas perduellis hæretice; Nondum parlamento Parisiorum ascripti Senatores Sectarij; negatæ Ministris, præsidiariisq; vrbiũ militibus stipendiariæ pecuniæ, quæ in annos singulos pendebantur? hîc vnum mihi exposcere liceat, qua lege in Gallia sancitum, vt præter edicti Cameras Semipartitas, quarum conniuentibus oculis debita Sectarijs iurisdictio, Senatores, eorum arbitrio parlamentis ascribantur? quo Senatusconsulto cautum, vt præsidiarijs Sectariarum vrbium, Ministrisque, genti in Regiæ auctoritatis excidium natæ, in annos singulos à Rege ipso stipendia numerentur? lege id nulla stabilitum, palàm est vni Regum liberalitati deberi. at ideóne reus, qui profuso olim in hostes citra modum ærario, legem sibi parsimoniæ dicit? ergo qui liberalis esse nequit, reus est? arguté dictum. sed minimum illud, nemo nescit centum abhinc

Seneuieres. Chatillon.

Bleinuille.

Bleinuillius Fontaralio succedit.

Obiectio.

Resp.

annis, aut circiter non alijs Galliã bellis implicitam, quàm quibus hæretica lues causam dedit: occubuisse miserè plusquàm centena Gallorũ millia obsidionibus, aut prælijs, quæ tibi omnia vni debeãtur perniciosa Secta. quid malùm adhuc sumptibus Regijs eos stipẽdiari flagitas, quorũ in Regem studia nouis identidem rebellionum incrementis rediuiua? ánnum illud portentum de publico ali, quorum exitiosa in publicum studia? vectigalem annonam Ministris à Rege præstari, qui non nisi concitando vbique in Regem populo, student? genti desidiosæ, infami, cui supremum apud suos religionis prætextu, imperium? pastoribus nefarijs qui gregem suum, ad lanienam trahunt?

Repetita Sectariorũ querela. Additum vltimò, negatã mortuis terram, effossa cadauera, infantes ab vlnis matrũ ad Monasteria à Monachis raptos, deusta templa. hîc calumniator infamis, hîc fige lassum pedem: negata tuis terra, scilicet apud Turones, quia Martini effossum cadauer. *Illis fit satis.* at memineris rudi alapa ita percussum à fraterculo quodam puerum Catholicum, vt in terram actus, dubitantibus diu, qui astabant viueret nécne, populum iusta commiseratione, in pompam funebrẽ concitarit. memineris ad rei nuntium Regem ipsum *Obiect.* præsentia sua tibi opitulatum, expiatam igne seditionem, deustos ad Martini rogum gladiatores *Resp.* quinque, quòd eius manes temerassent. at rapti pueri? quasi verò raptus sit, mutandæ in melius vitæ voluntas enixa: quasi rapiantur, qui in familias Religiosas vltrò admitti postulant? deusta templa: Regísne imperio? minimè. ergóne iusta perduellio, quia

quia effrenata populi in seditione licentia, in vnum aut duo templa exarsit. expiatur noxiorum vitâ seditio; patibulo affiguntur Catholici Sectariorum victimæ, & adhuc clamor. Verùm in consilium Regis, in Catholicos arma conuersa; in Regem, absit: ecquis adeò stolidus, cui non apertiùs innotescat proditio? iubet Rex Comitia solui, reddi sibi vrbes, quas ad tempus concesserat, in Benarnio, Catholicis orthodoxæ fidei libertatem restitui. negantur obsequia. Rex arma capere, castra in Sectarias vrbes mouere, adesse vbique armatus, inermis ex necessitate periculi, occidi ad ipsius latera milites, erumpere in illum perduelles acies; & imponetur adhuc impudenter, non in Regem, sed in Consilium mota bella? sed videant exteri fraudem; bellũ vobis cum Rege non est, quem negatis, quibus Comitia pro Rege imperant. Discussis ergo iã apertiùs nebulis, exsurgite principes, quorum hoc bello causa disceptatur; exsurgite populi principum imperijs assueti: & si vos armorum innocentia mouere potest, fauete votis vna Sectariorum frequenti rebellione Galliæ infelici, adeste illi suffragijs vestris: sat erit illud dum ditionẽ suam Hercules Gallicus, LVDOVICVS Iustus, armata abundè manu tuebitur. Túque immortalis Deus, protege alumnum tuum, Regem omnium quotquot Gallia vidit sanctissimum, protege Orthodoxam Ecclesiam Christi tui sponsam, quam supremo excutere solio, Sectarijs animus: ita pristino decori restitutum imperium in orthodoxa fide reflorebit, ita Rebellium in Regem machinationes in eorum caput resilient,

Obiect.

Respon.

Illusa Regis dignitas.

Inuocantur Reges populique externi.

ſeu quod vtilius Galliæ, ita faciliùs ſuaderi ſe de fide Catholica patientur, qui vno hodie Religionis prætextu bella in Regem mouent.

Ita frangebantur ad ſcopulum Rebellionis fluctus, qui vno oppreſſionis falſo obtenſæ prætextu, humiles populorum animos inundabant, nî obſtitiſſet dilucida veri explanatio, quam per idem tempus Regi addicta manus in eam formulam ſcripſit. Vos externi principes, rei diribitores eſte.

CAPVT IV.

EPITOME.

Poſt concluſam fani Ioannis Engeriacorũ obſidionem, tentatur à Comite à Sancto Paulo Gergobia; Bobiertus præfectus arcis fruſtra de officio à Comite interpellatus monetur à Rhotelinio, obſiſtit. flagitantur auxiliares copiæ, quæ dum moras nectunt ſequuta deditio, poſt datam deditionis fidem Vaauillius cum præſidio adeſt, plura inter obſeſſos hinc inde, præualet Bobierii ſententia, fidéſque data exoluitur. incidunt dehinc in caſſes plerique nobiles, qui diſsidii cauſa in ſyluam conuenerant. deditur Reinaudi Caſtrum. in Britanniam magnã Chaunæus miſſus. miſſus item in Galliam à Britãno Rege Baro Hayus, pactáque olim fœdera renouata. depromitur eorum mens qui multis ad ea tempora argumentis conuincebant ab Anglis hoc bello nihil timẽdum.

S. Iean d'Angely. Soubise.

REBVS eò iam positis, vt aut bellum Sectarijs apertè inferendum, aut eorum arbitrio Regi viuendum foret, designatur expeditio in Engeriacorum vrbem, quam per id tempus, circumferebatur Soubisius Rupellano recens firmasse præsidio: quia tamen interim, pleraque non indigna quæ referantur gesta alibi, priùs ea districtè expediamus, ad Engeriacos dehinc redituri.

Designatur obsidio in fanum sancti Ioannis Engeriacorum.

Comte de S. Paul. Gergeau. Boubieres.

Nuper Comes à Sancto Paulo Aurelianensis prosapiæ princeps, iussus à Rege Gergobiam Aurelianensium intercipere, tentato frustra dolo, palàm egit. Boubierius arcis præfectus dato commeatu vocatur; redditæ dehinc à Rege litteræ, quibus loco absistere iussus: ille, paratum se ad imperia dicere, si

Comes à sancto Paulo Gergobiã obsidere proponit. Bobierium euat.

Sully.

Suillij, cuius in arce legatus erat, mandato firmarentur Regij codicilli, de quibus iure addubitari poterat, essentne Regiæ voluntatis indices certi, quando, qui Regi à secretis sunt ad epistolas, eiusmodi scripta plerumque Rege inconsulto componunt; neque sinè causa dubitatum à se, qui sciat ex nupera Regis declaratione, in Rebelles hoc bello actum, non in Sectarios, neque in fide reformata Suillium ab ea quæ Regi debeatur alienum esse; quæ cùm ita sint nõ posse se sinè proditione, loco priùs absistere, quàm Suillius astrictam sibi sacramẽto fidem suam scripto liberasset. Ad hęc Comes, nihil hîc de Suillio agi; addictum & illum Regis imperio, non habere quod recuset sibi precariò datum, arcem quæ Regię ditionis sit, aut ad imperia aperiendam, aut moriendum quibuscumque obsistere animus. Nec mora

Eius responsum.

Instat Comes.

educi Aurelia tormenta quatuor. arduum opus masculam exigebat audaciam: Suillius enim præfectus arcis, versipellis homo, cui id prudentia indiderat sagacitatis, vt futura ex præsentibus non incerto sæpe augurio duceret, ab anno M. DC. XVI. ratus imminere in Sectarios bellum, adeò munimentis firmauerat arcem, vt ferè inexpugnabilis esset; nisi quòd breuiori spatio circumscripta præcisorij, quod aiũt, valli ex loci angustia incapax erat. Citati prouinciæ nobiles Proregis imperio adsunt. fortuitò interim Marescallus Vitrius, Baro Persanus, & Marchio Rhotelinius, in acies incidêre, dum se domum quisque suam à Regis curia, quæ tunc Salmuriæ erat, recipiebant; nec quæsita diu instructi exercitus caussa, proditum est in Gergobiam arcem parari obsidium: mutatur receptus propositum, quíque tam oportunè aderant, Comiti præstare operas statuunt: id enim nobilitati Gallicæ virtutis innatum, vt vltrò oblata pericula effugere opprobrio ducat. Postera die, Marchio Rhotelinius, cui Bobierius amicus erat, dato commeatu arcem ingreditur, renouatísque hinc inde vrbana comitate affectibus, de periculo dictum, cui se Bobierius si obsisteret implicabat, parata ad obsidionem omnia, tormenta in procinctu, prouinciæ nobilitatem, delectos legionarios, imperatorem ipsum in armis esse, tentaturum ad expugnationem extrema, prospiceret sibi, præsidiarijs, imò & ipsi arci, quam mox tormenta actura essent in puluerem quámque quò res cumque casura sit, præripiendam Suillio, si arma Regi obijciuntur, nemo neget: attendat quò res,

Arx valida. Sully.

Nobilitas prouinciæ coit. Vitry. Persan. Rhotelein. Saumur

Ger-geau.

Gallicæ nobilitatis elogium.

Marchio Rhotelinius Bobierium officii monet. Bobieres.

non tam audaci, quàm temerario ausu feratur; qui arcem Suillio vi armata conseruare contendit non aliud agere, quàm vt Suillius hoc vno Rebellionis indicio, præfecturis, quotquot in Gallia habet, destituatur. Ad hæc Bobierius sibi notiora hæc esse, quàm vt longiori sermone opus: nescium tamen quid Suillio de arce placeat, violatæ fidei futurum se reum, si eo inconsulto dedatur, malle vitæ iacturam pati, quàm fidei. Rem infectam Rhotelinius Proregi refert, nec mora, admoueri propiùs acies, sisti loco oportuno tormenta, delectibúsque nouis suppleri exercitum, actum à Regijs impigrè diebus aliquot, donec rarior in arce miles, vigilijs fractus, ferendóque iam impar labori, de deditione consilium capit: & subsequuta fuisset deditio, nisi Bobierius vir audax, spe copiarum auxiliarium, fractos labore minùs quàm ignauia animos restaurasset. Initur inter Bobierium, Dauidémque Ministrum Scotum, de mittendo ad vicinas circum Sectariorum vrbes Oratore, qui suppetias obsessis exposceret. missus Orator rem in extremum discrimen adductam monet, occisis præsidiariorum plerisque, & ijs qui supersint, aut vulneribus confectis, aut labore ita debilitatis, vt non solùm ad arma sustinenda, sed ne ad membra quidem regenda vires suppeditent: nisi auxiliares copiæ citò inducantur, nihil moræ esse quin hostis arce potiatur, & quos sors pugnæ reliquos fecerit, ad vnum omnes internecione cadât. vnam salutis expediendæ rationem in præsidiarijs copijs sitam, quæ si intra quatuor dies adfuerint, non tantùm non capiendam arcem, sed magna Regio-

Sully.

Bobieres.

Bobierius Rhotelinio pertinaciter obstat.

Initum ab obsessis de vocando præsidio cõsilium.

Dauid Escosfois.

Missus orator suppetias impetrat.

rum iactura soluendum obsidium. Habito ad hæc militum delectu, datum Vateuillio negotium, vt ducentos milites manum expeditam in arcem immitteret: at, quia inter longiores moras, assiduis Regiorum aggressionibus nocte & interdiu fatigati hostes, assidua verberatione grauiùs in dies diuexabantur; Bobierius in cuius consilio magnum apud obsessos rebus gerendis momentum erat, colloquij gratia ab imperatore impetrata, de deditione cum eo in has conditiones conuenit, vt sibi debita iamdiu stipendia soluerentur, forétque in municipio posthac vnicuique ex conscientiæ placito, vitæ, bonorúmque libertas. Quia tamen in noctem inclinabat dies, placitum differri ad primum crastini crepusculum deditionem: iámque tympana Regiorum gregarios colligebant in arcem; cùm Vateuillius liberiore iam somno laxatis excubijs, vulgatáque deditione, dilapsis huc illuc manipulis, tacitè in arcem obrepit. hîc studia obsessorum diuersa; oppidanis protelandæ obsidionis, Bobierio exsoluendæ fidei animus erat: Vateuillius ad hæc instare acriter, non alio, quàm charitatis motu eorum se vitam exposuisse periculo, quos secum duxisset: neque moratum diutius, quàm par erat: venisse auxiliares copias ad præscriptam diem. meminisset Bobierius scripti quo protrahi obsidionem posse asseuerabat ad eammet diē, qua manus auxiliaris tam oportunè aderat, negari non posse quod ab eomet obsignatum ad manum habebatur; in fide se data venisse bona fide, cuius parum intererat, quocumque fata Gergobiam verterent. His Bobierius

Vateuille.

Vrbs dedita.

Quibus cōditionibus.

Vateuillius Regios incautos intercipit, immittitque præsidium.

Varia inter oppidanos & milites sententia.

Instat Vateuillius.

Bobierium vrget.

opponere datam Proregi fidem, quæ nisi seruaretur futurum se iustè armati furoris victimam, imò nec pœnam deprecari si fidei datæ non statur, rem infectam non esse, eóque ventum, vt aut suprema supplicia omnibus, aut legitimæ deditionis conditiones subeundæ. *Bobierius datam fidem obiicit.*

Intereà missus à Comite fecialis; monet paratos esse Regios vt arcem subeant, Bobierius fidem exsoluere, obsistere Vateuillius, incertúmque hinc inde vulgus in contraria studia scindi: donec flagitatæ vsque ad redeuntem in proxima aurora diem induciæ, id efficiunt, vt vanis delusi terriculamentis, oppidani conditiones subscribant, quibus subsequuta deditio. Ingressus Comes, Marescallo Vitrio, Persano, & Rhotelinio comitibus, à clero excipitur, póstq; decantatum in Ecclesia Dei DD. Ambrosij & Augustini hymnum, pacatis iam omnibus postridie Aureliam ventum: ibi expeditio noua, in hunc modum. *Comes à sancto Paulo arcem ingreditur.* Orleãs.

Aureliæ sylua adiacet profunda satis, cui ab emporio nigro, ideò cognomentum: quia prædonum vulgò spelunca, oppidorum circumadiacentium adeò denigrat emporia, vt ab ijs penitus abstineant mercatores, aut non nisi leuioris precij merces inducant; huc Sectaria prouinciæ nobilitas dum obsidebatur Gergobia, conuenire, dubiísque diu prouincialibus quò se nimbus ater effunderet, adesse Comes, interclusísque arctè syluæ meatibus, feras intercipere, quas coniectus in syluam ignis absumebat, nisi victoris misericordiam experiri satius ductum. ita nullo dispendio actæ in retia feræ. per *De marché noir.* *In Syluam Emporii nigri expeditio noua.*

idem tempus interceptum eiusdem opera, eodémque solo Castellum cui à Rainaudo cognomentum, genio loci satis munitum, defunctæque principis Arausionum, quæ Gasparis Colignij progenies erat, opima ditio.

Deditum Castellum Reinaudi.

Cha-steau Renaud Orãge. Gaspar de Coligny.

Dum hæc ita Aureliam circa geruntur, Rex in Engeriacos moturus castra, confœderatis ex more principibus monitis, Marescallũ Chaunæum extra ordinem in Britanniam magnam delegat, qui fœderatum principem certum faceret, falsò obtensam à Sectarijs conscientiæ oppressionẽ; paratúmq; Regẽ vt edicta decessorum, quæ de eius libertate erant exequeretur; in Rebellionem, non in fidem armasi; vix credi posse, qua Sectarij proteruia in Gallicum diadema ferantur, multa impositiuros, falsa omnia, quorum sit testis Deus, Regum vnus in terra iudex. Nusquam splendidior delegatio: quippe Luynæi gratiæ inhiantibus auidè aulicis, sequuti æmulatoriè, primores, nobilésque Chaunæum Luynæi Comestabilis fratrem. exceptus per honorificè, legationis munus gloriosè, vtilitérque obijt: vndè postmodùm missus in Galliam à Iacobo Rege Legatus extraordinarius Baro Hayæ, renouato fœdere, non abdicauit modò Caluinistarum protectionem, sed & Regi quidquid Britannis virium erat vltrò obtulit. Vnde in Galliam vtilitas magna: timebatur quippe ne vano Religionis prætextu, concitaretur in Regem Britannus; eorum vulgò protector, quib⁹ in Apostolicam sedem odiũ est: quare dignus Iacobus hoc loci, cui nomen immortale nostris etiam monimentis paretur; Rex sapientia

In Britanniã magnã Chaunæus delegatus.

De Chaune

Splendida delegatio.

Luynes.

Excipitur perhonorificè.

Mittitur in Galliam ab Anglo Legatus.

Baron de Haye

Laus Iacobo Britannia Regi debita.

ſapientia & doctrina pollens, virtute illuſtris, quantacumque extra orthodoxam Eccleſiam in hominem cadere poteſt: inuenti tamen ad ea tempora pleriquе, qui nihil ab eo timendum multis nominibus conuincerent, his maximè, quòd Comitem Palatinum generum ſuum bello diu Bohemico fatigatum, militibus auróque iuuaſſet, vnde illi exhauſto ærario iuſtus timor, ſi Sectariorum opi nouus in Galliam inſtrueretur exercitus; ne renouarentur interim veteres Anglorum in ſe factiones, qui nouis vulgò rerum ſtudijs feruntur parum Regum amantes, quibus vix reſiſtere poterat, ſi delibato Germanica clade Britanniarum flore, conſumpto ærario, nouo delectu in Galliam miſiſſet exercitum: ita eo tempore plures de præſidio, quod ab Anglia ſperabant Sectarij, dum ſagaciores, quibus ſubſcribo lubens, virtuti Regis Britanniæ dabant, quod neceſſitatis alioquin eſſe placebat.

Cur nihil ad ea tempore à Britannia Rege timendũ.

CAPVT V.

EPITOME.

Indicitur à Rege, Condæo in Sacrocæſaream expeditio, Conſules de officio moniti, ſimulato in ſpeciem obſequio, de perduellione conſilium capiunt. colligi dehinc à Condæo copias, dedi Baugium Caſtrum, mitti à Rege ad Conſules nouos codicillos; negantibus obſequia illis, paratur obſidio, adeſt Vateuillius, pellitur ab arce Maranſius, eam incauto Vateuillio pro Rege occupat Brou-

chardus: commentis agit Condæus quibus decepti Consules, ipséque Vateuillius deditionis conditiones subscribunt. subit vrbem Condæus, mutatisque dehinc excubiis absistit.

Condæus iubetur Sacrocæsareã intercipere.

HIs ad Aurelianensem prouinciam virtute Comitis à Sancto Paulo ea temporis breuitate ita gestis; iubetur Condæus primarius Galliæ princeps Sacrocæsareã vrbem ad Ligerim munitissimam intercipere. iussi ea causa fuit, quòd properante in Aquitaniam Rege, vbi belli moles, timor erat ne trans Ligerim Rebellionis asylum fieret vrbs genio loci supra reliquas Galliæ fortis. Condæus magni animi, eiúsque prudentiæ princeps, quæ nihil Borbonium sanguinem mentiatur, dolo agendum ratus, oppidanos quorum in vrbe potentior factio, auri largitione, promissísque sibi ea felicitate promeretur, vt vrbani consilij quotidie per eos conscius fieret. monitus seditiosorum præualuisse factionem, cuius erat muniẽdæ vrbis, subsidijq; inducẽdi sententia, eò credidit rem deuenisse, vt maturè facto opus esset. mittere sinè mora ad Consules delegatum, monere rem sibi cum illis esse, quæ ad publicam municipij salutem spectabat, quam nec scripto, nec ipsa oratoris voce depromere ausus, nullo medio communicare auebat. adesse illicò Consules, excipi humanissimè, aperiri incautis secreta vrbis arctiora, spe allici in obsequiũ, proponi excidium, si in rebellionem trahi se patiuntur; ceterùm nihil esse oppidanis à Rege timen-

Condé. Sancerre.

Dolo oportune agit.

Vocantur à Condæo Sacrocæsarea Consules.

Monentur de officio.

dum, cuius ita ingenium est, vt vni clementiæ natus, videatur reliquas virtutes arte sibi parasse magis, quàm natura; neque si ex æquo disseritur, habere destitutam omni præsidio vrbem, quod venienti cum exercitu Regi opponat. ridiculum subire eorum animis Rebellionis cogitationem, quorum vrbs in Galliæ vmbilico sita, nihil habet ad circumiectas prouincias quod speret auxilij; irrita penitus munimenta, de quibus in vrbe postremo consilio actum, inutiles imò & libertati noxias copias auxiliares, quæ in eam induci parantur; facturum se vt nullis oppidanorum sumptibus, nullo periculo, libertas conscientiæ sarta tecta retineatur, neque aliam expeti collati beneficij remunerationem, quàm debitam Regi obedientiam. Ad hæc Cõsules habitis amico Principi gratijs, accusare calumniæ, qui falsò in se Rebellionis crimen coniecerant, deprecari iras Regis, quas falsa relatione concepisset, commenta esse quæcumque de munimentis, vocandóque in vrbẽ præsidio militum relata forent, nihil sibi publica salute, nihil auctoritate Regia carius. Condæus his abundè suasus, non dubitauit quin Rebellionis in eos postulatio calumnia esset: sed hæc inter vndequaque ad Regem nuntij monent, iam non ampliùs trahendam in dubium rebellionem, indictas Sacrocæsareæ ad munimenta operas, partitóque inter ciues iuxta rei familiaris commoda opere, paratum quemque, vt libertati tutelam in propugnaculis struat: quinetiam commissum Briquemauto minori, cuius frater natu maior ad Comitia Rupellana Orator, negotium, vt vr-

Consules falsò collatum in se Rebellionis crimen dicunt.

Monetur Rex de Sacrocæsareæ rebellione.

Briquemaut.

Mittitur ad Condæũ à Rege nuntius.

bis subsidio manum expeditam colligeret, factiosum eum, neque contemnendæ in vrbe auctoritatis. Rex ad hæc non differre Condæo principi nuntium, qui de his monitum quæ Sacrocæsareæ gererentur, iuberet extrema tentare; additi ad vrbis Consules codicilli, quibus Condæo parere iussi, eorum fusè monebantur, quæ relata sæpius sibi Rex nusquam credita simulabat. neque incautum intercepere literæ; nouis enim in dies ab ipsa vrbe monitionibus iam apertè agnouerat, vanis se nuper verborum aucupijs malè deceptum. Dubius ergo tentarétne prius oppidanorum animos, an rectà iret, accepit eò venisse proteruiæ factionem; vt nisi armata vi, sperandum nihil. neque diutius dubitatũ quin in omnem euentum arma capienda. dicto citiùs legi per manipulos centurias, cohortes dehinc, & legiones, agmina, equitum turmas, phalangem, vnde instructus breui exercitus, dehinc firmata armis potentiùs auctoritate, missi ad Consules, à Rege codicilli, hac mente, vt si arma ponerent, obsequióque dispositi Regias in vrbe sua excubias pati vellent, dimitteretur miles; sin minùs, esset Principi ad manum quò vi armata in obsequium Rebelles retraheret. Educi interim è turri Biturigum maioris modi tormenta duodecim, exarmari ad circumiectas vrbes Sectarios, quies periculum erat, ne Sacrocæsariensis rebellio animos adderet: dúmque nouis delectibus instruebantur acies, parari in Baugium Castrum expeditionem, minoris quidem illud momenti, sed quod Sacrocæsareæ adiacens, auxiliares in eam copias non ægrè postmodùm im-

Ad Consules codicilli à Rege.

Dubius Condæus quid agat.

Colligitur citè exercitus.

Tour de Bourges.

Leuis in Baugium expeditio.

Baugis.

Deditur Castrum.

mittere poterat. Arce dedita, pulsóque præfecto, qui Suillij Legatus erat, recenseri peditum legiones, & turmas equitum, inuentáque tria peditum millia, quingenti equites, quibus ad Sancti Saturi fanum prima metatio fuit. hinc missi ad Consules codicilli Regij, de quibus antè; adiectæ à Condæo monitiones amicæ, quibus in obsequium, si timore non poterant, spe saltem fortunæ melioris allicerentur. at, neglecta Regis imperia, habitáque contemptui Condæi monitio adegere inuitum, vt in vrbem castra moueret: succedunt mœnibus acies, admouentur non ægrè tormenta, quippe præsidiarijs vrbs destituta, nihil habebat virium, quod Regijs opponeret supra oppidanos aliquot, vulgò ad arma rudes, eneru es, militiæque inexpertes; finxerat etenim Condæus expeditioni in Aquitaniam, cui se Rex accingebat parari exercitum, reíque fama ad vrbem perlata oppidanos in segnitie, somnóque habuerat, vnde improuisa obsidione exterriti, sinè dilatione, ad obsequium ferebantur, nî Vateuillio duce, quadringentorum delecta cohors aduentasset: is ipse Vateuillius, quem Comitis nuper à Sancto Paulo prudentia Gergobiâ Aurelianensium depulerat, temerarium caput, fortunæque, quod aiunt, miles. Vix limen attigerat, cùm ex placito moderaturus omnia de pellendo Comite Maransio, Sacrocæsareæ domino cogitauit: quæritur in religione prætextus, non posse Catholicum in ea vrbe morari diutiùs, quam ipsi Catholici obsidebant; suspectam eius fidem quidquid promitteret, quando hosti peierasse gloriosum si iuuat, neque validè inter reli-

Sully. *Recensetur militum numerus.* *S. Satur.* *Commentum Condæi.* *Vateuille.* *Vateuillius Sacrocæsariesium auxilio aduolat.* *Marãs.* *De pellẽdo ab vrbe Maransio Comite cõsilium captum.*

gionis dissidia sacramento fidem firmari posse. Maransius obsistere acriter, auitáque possessione à subditis deturbari se posse negans, Condæum monere, qua in eum insolentia Vateuillius ageret; restitisse huc vsque se temerario homini, sed gliscente populi audacia timere, ne cogatur abcedere, aut mori; paratum se æquali in vtrumque constantia, prætérque iussa expectare nihil. His Condæus altiùs timēs Brouchardum veteranum in vrbe primipilum monet, si loco Comes absistere cogitur, lectis qui in vrbe Catholicis, Sectariisque, si quos Regi fidos Sacrocæsarea habebat, Castrum inuadat, adfuturum illicò delectum ex suis manipulum, neque abiturum sinè remuneratione, qui tam oportunè Regi militabit. Vateuillius instare Comiti, adactóque ad iugulum pugione cogere tandem vt loco cedat, redire dehinc ad arcem, nouo illam firmaturus præsidio, sed sclopis excipi: Brouchardus etenim, iussa Condæi exequutus, arce occupata, quadraginta hinc sclopis indesinenti verberatione in oppidanos displodebat. Vateuillius rei nouitate perculsus parare in arcem obsidium; at leuis eius conatus qui iam ipse obsidebatur: quamquam leuia Castri ad vrbem munimina, neque enim cogitatum anteà, de firmando in vrbē Castro; vnde non solùm hac parte propugnacula deerant, quin imò præcisæ, mutuo Castri ad vrbem cōmercio viam facilem aperiebant rupes, vnde subsequuta breui deditio, nî gregarios centum Condæus immisisset. Exhibitis dehinc à Maransio Consulum codicillis agnitum, immunes à proditione Consules vna Vateuillij tyrannide

Monetur Condæus.

Prospicit ex necessitate.

Brouchard.

Pellitur Maransius.

Arx à Brouchardo occupatur.

Immittitur in eam subsidium.

cogi ad arma, viribúſque & autoritate deſtitutos, quorum in obſequium animus. mitti ad hæc Oratorem, quò moneantur Conſules ex rei neceſſitate, quæ ſcripto mandari nequeat adeſſe quamprimùm; exhibiti, ſcripta, dictáque iam ſæpius repetunt; quibus Condæus, teſtatus primùm quo affectu, iure quaſi hęreditario, Sacrocæſarienſes oppidanos proſequatur, quámque ſibi chara eorum commoda, adiecit, quò magis vrbem amaret, eò acriùs odiſſe Vateuillium, qui perfidia incredibili, poſt violatam Regi ſuo fidem, nihil in rebellione ſectaretur aliud, quàm ſatiandæ auaritiæ modum; ſupra commoda propria ab eo quæſitum nihil, neque fabulas loqui, habere ſe ad manum vnde proditionis in Sacrocæſarienſes infame caput conuincatur, miſſos ad ſe recèns ab eo Legatos, quibus, ſi non deforet perfidiæ præmium, (conſtitutum illud in precio ſatis vili) traditurum ſe pollicebatur incautos oppidanos in vincula. negatas à ſe conditiones, qui homines quorum inęſtimabilis libertas vendi nolit. Ad ea Conſules habitis gratijs pedem referre in vrbem, tacitóque in Vateuillium murmure populum concitare, quem tyrannidis iam tædebat. neque hîc ſtetit dolus; excito enim in Vateuillij excidium populo, ſupererat ſubire Vateuillij animum parem malè affecti oppidanorum erga ſe animi ſuſpicionem; actum & illud. conductus gregarius, qui ſe transfugam mentiretur, corámque Vateuillio iam inter ſpem & metum anxio, oppidanos proditionis poſtularet: vocatos recèns à Condæo

Iterum vocati Conſules adſunt.

Condæus comminiſcitur tentatā in oppidanos à Vateuillio proditionē.

Vateuillij odium in oppidanos excitat.

agendi in vincula Vateuillij accepisse modum, vrbem dehinc Condæi arbitrio subijciendam, mittendum eum in vinculis ad Regem, captóque illudendi animus. Ratus ille vera loquutum militem, legere fidos ex militibus suis stipatores, qui quocumque iret circumstarent; illud ipsum augere diffidentiam ciuium, instare ad hæc acriùs Condæus princeps, fecialem mittere, qui Vateuilliũ de deditione moneret: monitus, paratum se ad imperia dixit, si iustis conditionibus abcedere datum. datur illud, conditionibúsque demum in hanc formam subscriptum.

Mutua inter ciues & Vateuilliũ diffidentia.

Subsequuta deditio, eius cõditiones.

I. Nulla posthàc cõscientijs ad Religionẽ vis fiet.

II. Vita, bona, magistraturæ, & munia ex Regis placito salua cuilibet sunto.

III. Quod petunt oppidani ne exarmentur, néue in eorum vrbem Regium introducatur præsidium, id, si videbitur, à Rege impetrabũt, vtrumque alioquin subituri.

IV. Milites conductitij intra tres dies tutò abcedent, neque posthàc de perduellione exacta deferentur illi, nec oppidani.

V. Data Vateuillio eiúsque cohorti, quò lubuerit abeundi facultas, impedimenta, & sarcinas trãsferendi, ductandi equos, quóque sinè tumultu abcedatur, dabitur illi debitus commeatus.

VI. Idem facultatis erit Sacrocæsareæ oppidanis, queis sequi Vateuillium animus.

VII. Præsidiarij veteres, si qui sunt, quibus Nucæus præfectus, eodem si lubuerit, iure vtentur. La Noix

VIII.

VIII. Non improbanda, quæ ad hanc diem eius anni Consules gesserint; nota illa, nécne.

HENRICVS BORBONIVS.

VATEVILLIVS.

His conditionibus dedita vrbs, vna Condæi prudentia, & animo; vrbs illa eadem, quæ Regiam passa obsidionem, de Rege olim triumphasse perhibetur, situ, genióque loci fortissima, instructa armis, subsidio potens, Sectariarum vrbium in Gallia, si Rupellam eximis, validissima, Sectæ trans Ligerim asylum Rebellionisque ea parte caput; illa eadem Sacrocæsarea, quod iure mirari liceat, sinè sanguine capitur. Inclinante in vesperam die, egressis præsidiarijs, præscribitur nouus in vrbe ordo, disponuntur dehinc excubiæ; quo facto Condæus ad fanum Sancti Saturi, vbi metatio erat, se recipit, in prætorio, cum exercitu noctem exacturus. Fertur dum vrbe cederet Vateuillius, obortis ad eius aspectum lacrymis exclamasse. prô Deus immortalis! quâ hodie Vateuillius fortuna cadit, vna oppidanorum perfidia; quam sibi hodie gloriam promeretur Condæus! qui puerorum inani terriculamento, Sacrocæsaream sinè prælio expugnauit. Mirabuntur procul dubio retrò venturi nepotes arcem Galliæ munitissimam, sinè armis, vno verborum aucupio captam.

Nouus in vrbe ordo cōstituitur.

S. Satur.

Vateuillii mœror.

Postera die, quâ Pentecostes solemne celebrabat Ecclesia, inter applausus militares in triumpho

Condæus vrbem ſubit. ad veſperam interceptus explorator militari iudicio ſiſtitur; nec diu rogatus, reſpondit; Suilliæ imperio veniſſe ſe iam tardiùs, ſpe promptioris auxilij quod illa parabat, obſeſſis additurum animos. Dehinc exarmari ciues, cenſeri milites; inuentáque peditum ſeptem millia, octingenti equites: ſolui equitum agmina, dimitti legiones, ne extero prouincia milite laboraret: niſi quòd placitum delectam cohortem, quæ quingentorum Legionariorum foret, Sacrocæſaream firmare præſidio, donec æquata ſola propugnacula.

La Dame de Sully.

Relictum in vrbe præſidium.

Dum pertinaci opere quingenti quotidie ruſtici diruendis Sacrocæſareæ munimentis incumbent, redeamus ad Regem, cui præter ſpem omnia ex voto interim cadunt.

CAPVT VI.

EPITOME.

Rupellani de intercipiendis Salmuria, Lodunóque conſilium capiunt. re agnita Salmuriam Rex, Lodunúmque properat, illic à Pleſſio, hic à Parabello excipitur: illi Comitem Sauteſium ſubſtitui placet, huic præfectura conſeruata. de Sectariis exarmandis initur conſilium, Condæo, Comiti à Sancto Paulo, Longouillano & Niuerno Ducibus id negotii datum. Salmuriâ Thoarſium, Parteniacum, Fontoniacum, ad fanum Sancti Maixentii, Maleacum, Chiſaium denique ventum. pa-

ratur in fanum Engeriacorum obſidio. vnde Sectarii plures extra Galliam fugiunt. habentur crudeliter in Gallia Narbonenſi Catholici, in templa réſque Deo ſacras ſæuitum. occiſus à Montiſpeſſulani populo, Souffremio impellente, Præſes Ducroſſius Caluiniſta, quem Rex ipſe pacandis diſſidiis in vrbem miſerat. Sicarii tres autore Robanæo patibulo ſuffiguntur.

Blois. Amboiſe. Tours.

AD Kalen. Maias anni poſt M. DC. XXI. Aureliâ Rex Blæſas venerat, Blæſis ſecundo flumine Ambaſiam; Ambaſiâ Turones, vbi mulctati Catholici factioſi, vt ſuprà fuſiùs. accepti hîc nuntij plures, quibus compertum parata Rupellæ ſex hominum millia, quæ incauto Pleſſio Salmuriam ſubirent, Armaniacúmque ſimul Loduni præfectum, dum licebat interciperent: is animus erat perduellibus, vt prouecto vlteriùs in Pictonum prouinciam Regi intercluderetur omne commercium cum Lutetia, quam belli eſſe promptuarium neceſſum erat, vehendis hinc poſtmodùm ex neceſſitate in ſtipendiariam annonam vectigalibus; neque deſtituebat propoſitum ratio; vnum enim Pariſios hàc iter quà tormenta bellica, ipſæq; belli neruus pecuniæ traherẽtur; quod ſi Salmuria intercepta obductũ fuiſſet, aut longiori obſidione frangebatur exercitus; aut vrbe intacta ſiſtebatur commercium, quo vno ſubſiſtebãt acies. Placitum ergo Salmuriam pergere; ea vrbs eſt ad Ligerim magni nominis, quam Henricus olim III. poſt initum cum Henrico IV. in factionem Catholicam fœdus, Caluiniſtis minùs quàm

Sex hominum millia Rupellæ in procinctu vt Salmuriã ſubeant.

Dupleſſis. Armaniac. Saumur Poictou

Rebellium via Regi intercludẽda animus.

Saumur

Qua ratione in Sectariorum manus incidetit olim Salmuria.

Henrico concesserat, hoc colore, vt facilior redeunti in Aquitaniam iter pateret: ab eo illam Sectarij tempore non alio, quàm possessionis titulo detentabant. Vrbs loci genio placida, minúsque commercio florens, quàm Academia, illustri illa inter Sectarias, cui præfuit diu Plessius Mornæus, vir in vtrumque paratus, libris tueri Sectam, seu armis, magni animi eques, &, si ausim dicere, vnus inter Sectarios eruditus, quem aiunt hodie consultum meliùs, post pręstitam Regi fidem, in fide Orthodoxa obsequium Deo meditari, rem faxit Deus. Nec mora mitti ad Plessium, qui moneret adfuturum postridie Regem: Plessius præter multorum spem parare Regiam, disponere vrbem: ad VI. Id. Maij Regij mensores, quibus prætorij cura, Salmuriense Castrũ ingressi, ex arce bellica, peristromatibus auro distinctis & serico componere Regiam; ad vesperã Pretorianæ cohortis, quam vulgò regiarũ excubiarũ vocant, ordines sex in vrbem introducti, dehinc Heluetij vigiles, à quibus Mornæus Regem instare monitus, arcem aperire, iturus obuiam. Laudatur ab ipso Rege fides viri illustris sinè conditione parata ad obsequium, adijcitúrque non abiturum sinè remuneratione, quandò eò ventum per æui labantis miseriam, vt functus officio laudem mereatur, & præmium. In vrbem admissus gratissimo applausu excipitur, personat vndique suauissimum illud, VIVAT REX, ipséque salutata gratulabundè plebe aperto capite in hæc verba applausus excipere; VIVE ET TV PLEBS MEI AMANTISSIMA, AFFECTV RECIPROCO, NEC DISPARI A REGE TVO

Duplessis Mornay.

Qua in ditionem Regiam redierit recèns.

Regii milites in vrbẽ admissi.

Regimẽt des Gardes.

Plessius se Regi obuiũ sistit.

Regis erga populum suum beneuolentia.

REDAMATA, his arcem ſubit. Habitóq; dehinc concilio viſum ex publica neceſſitate, exarmari circumiectarum prouinciarum Sectarios; ne, progreſſo in Aquitaniam Rege, trans Ligerim diſſidia renouarent: iuſſi ergo Condæus princeps, Comes à ſancto Paulo, Longouillanus, Duces Vindocinenſis, & Niuernus, deſtituere Sectarios armis in prouincijs Bituricenſi, Aurelianenſi, Picardia, Normannia, & Campania, quarum illi prædicto ordine proreges. Ad XVI. Kal. Iunij Rege abituro, remuneratus abundè Pleſſius Mornæus, Comiti Saultæo, Leſdiguerij nepoti præfecturâ cedit, qui & ipſe Caluiniſta palàm in primo belli exordio oſtendit nullatenus in Sectam arma conuerſa, cuius tam gratè remunerati alumni: vnam à Rege rebellionem peti.

De Sectariis exarmandis cōſilium captum.

Condé. S. Paul. Lógueuille. Védoſme. De Neuers. Berry. La Beauſſe. Picardie. Normãdie. Champagne. Le Cõte de Sault Leſdiguieres

Pleſſio Comes Saultæus ſubſtituitur.

Poſtera die Salmuriâ Thoarſium itur, ea arx muniti ſſima, inſtructa armis, commodóque Rupellanorum excurſionibus loco, ex ditione Tremollij ad cuius abſentiam præſidiarij milites, non ignari Tremollium Rupellam abdicaſſe, portas vltrò aperiunt; neque Rex abiturus cautionis aliud in loci tutelam expetiuit, quàm fidem Tremolliæ, quæ tunc fortaſſis aderat. Hinc Parteniacum ventum, vbi quatuor dies exacti, apparatus bellici expectandi gratia, quem morabantur in ſolo aſpero tracta ægrè tormenta. Neque mora inutilis; ad famam quippe tormentorum, quæ aduentabant, circumiecta Sectariorum oppida, de deditione cogitare; Fontoniacíque, & fani Sancti Maixentij præfecti, imminenti Regi adeſſe in obſequio. Parteniaco Coulongium, itur, hinc Fontoniacum, vbi prouolutum ad genua

Thoars. La Trimouille

Rex Thoarſium ingreditur.

La Dame de la Trimouille

Parthenay.

Partheniacum item.

Fontenay. S. Maixant. Coulõges.

Deditæ illi Sectariorũ pleraque in tranſitu arces.

Regis Consistorium Ministro proloquente, libertatem religionis non ægrè impetrauit, quam à se Rex prohibitam nullibi, neque posthàc prohibendam palàm professus est: Præfecto dehinc, qui nondum adoleuerat, substitui veteranum, emeritum illum à Regis excubijs, quia intererat publicæ vtilitatis, vrbem quæ Rupellæ adiacebat, non retrahi in Rebellium seruitutem; actum illud rogãte ipsomet præfecto, quẽ conscientia imparem oneri arguebat.

Fontoniaci præfecto quare emeritus à custodia substituitus.

Exempt des Gardes.

Oblatæ vltrò hîc Maleaci & Marani claues: Boullæo Marani præfecto illicò redduntur, quamquam Sectario, ea arx momenti maximi viam Rupellanis in Pictones intercludebat. Inde Rex venire Niortium, à Parabello gratè excipi, abdicari ab oppidanis perduellia Rupellæ consilia, Niortio Chisaium, quod & Sectæ oppidum quindecim circa milliaribus à fano Engeriacorum disiunctum: frequentes hîc nuntij de rebellione Engeriacorum prohibendo Regi, ferendæque obsidioni parata; instrui ergo à Rege acies, recenseri militum in quolibet ordine, ordinum in qualibet legione, legionum in exercitu numerum, iniri bellici apparatus rationem, tormentorum, pulueris, pilarum, funium, aliorúmque id genus; parari sudes, corbes, vimina, palas, postes, quorum in obsidionibus frequentior vsus, vbi metari, valláque cauare necessum est.

Maranum & Maleacum Regi patent.

Niortium & Chisaium item.

Parentur ad obsidionem omnia.

Maillefay. Maran. Boullé. Poictou Niort. Parabel. Chisay. S. Jean d'Angely. Picardie. S. Quẽtin. Champagne.

Intereà ex Regis mandato trans Ligerim destituuntur Sectarij armis: in Picardia, Sancti Quintini oppidani: in Campania, Vitriacenses: ad Ligerim Blæsenses, & Turonenses, ídque Condæi, Comitis à Sancto Paulo, Longouillani & Niuerni principum

Exarmantur trans Ligerim Sectarii.

Vitry. Blois. Tours. Condé. S. Paul. Lõgueuille. Neuers.

Lion. Roüen. Diepe. Lóguc-uille. Caën. Mosny. Chatil-lon. Vitry en Van-delais. Le Duc de Van-dosme. Belin. Rohan. Iossclin

ope. Lugduni cum Catholicis promiscuè excubias agunt. Rhotomagi, & Diepæ à Longouillano, Cadomi à Marchione Monio: apud Chatilhonios & Vitriacenses in Vandelesio à Vindocinensi exarmantur; ídque oportunè: iam enim in obsequio nutabant earum vrbium oppidani magna ex parte Caluinistæ; eodem iure vsus Vindocinensis in oppidanos Belini, Rohani, Iossellini, quæ omnes Regio firmatæ imperio: vnde trans Ligerim laudatus ille, cui ad Galliam Narbonensem parat infelices expeditiones fortuna malignior. Lutetiæ nihil immutatum; quamuis enim plerique inter oppidanos Sectarij forent; ea tamen est in numero Catholicorum frequentiore, eorum impotentia, vt in censu publico pro non scriptis habeantur; neque ideò minùs timore diffidij, vbique de fuga cogitatum. abiere Sectariorum plures, quà in Britanniam magnam, quà in Batauiam, Geneuam, & Sedanum quod illis asylo oportunè fuit: vnde fertur Buillionius Sedani Princeps noua colonia auxisse vrbem, auróque & supellectile Lutetiâ in eam deuectis ditasse oppidanos, domúmque suam.

Vindocinensis trans & cis Ligerim varia fortuna actus.

Lutetia mutatum nihil.

Angle-terre. Holãde. Geneue Sedan. Bouil-lon.

Sectarii transfugæ.

Vrbs Sedani diuitiis aucta.

Intereà dum hæc ita trans Ligerim geruntur, ad Galliam Narbonensem Sectarij perduelles exercere in Catholicos omne scelus, in eos maximè, quos regularis vitę vinculum Deo, in Monasterijs arctiùs astringebat; mitti in vincula Sacerdotes, pudet reliqua addere; nudari Monachos, pudenda viraginibus ludibrio esse, altaria vbi solitum olim haberi sacrum, præsepia fieri; auenam eò loci præberi equis, vbi residere olim panis Angelorum, stabu-

Lãgue-doc.

In Gallia Narbonensi crudeliter sæuitum in Catholicos.

Templa di repta. lari in Ecclesia Dei armenta & greges, flagellari Sacerdotes, diripi vasa aurea, Calices sacros, eósque magni precij, vbi sanguis olim, qui sinè precio. nihil demum seu impietatis in Deum, seu in homines crudelitatis fuit, quod ad ea tempora non exercitum apud Montipessulanenses, à Catarinotis, quos vocabant; apud Nemausios à lanæ carminatoribus. Neque hîc impositus finis, crudeli⁹ in ipsosmet Sectarios sæuitum dehinc, si qui Regem agnouerant, maximè apud Montempessulanum, vbi ad finem eius anni commissum scelus, ne quidem ipsis expiabile flammis, de quo hîc paucis, præter seriem temporum. Mõpelier. Catarinots. Nismes Catdeursde laine.

Præses Ducrossius Montempessulanum missus à Rege. Du-Crossius Semipartitę Camerę in Delphinatu, apud Gratianopolitanos Pręses Sectarius, Montempessulanum pacandis dissidijs missus: Rohanæum quocum illi res, exanthemate morbo, qui ad ea tempora grassabatur, laborantem inuenit: at quia *Rohanæus æger.* periculum, ne habito apud ægrum de rebus magnis cõcilio ingrauesceret malignitas febris, prohi- *Ducrossius Regi fidus.* btuis à colloquio Du-Crossius, donec conualuisset Rhoanæus opperiebatur ergo tractando negotio diem oportunum, tacitéque interim auctoritate, & consilio oppidanorum animis fidem in obsequio insinuabat: quando Suffreinius Minister, flagitiosum caput, habito triginta Catarinotarum delectu, *Suffreinius parricidiũ meditatur.* proditionem, quam solus conceperat, aperire: & primùm, ne deforet auctoritas parricidio, prætexere sceleri Rohanæi iussa; mandatum sibi, legeret floridam vrbis iuuentutem, cuius ope Du-Crossius proditor intercideret: his adijci, conferendum in Sectam Ducros preſidét en la Chãbre mipartie de Dauphiné eſtablie à Grenoble. Suffrein. Catarinots. Rohan.

tam beneficium, Ecclesiarum remunerationem, prædam immensam quæ ex Præsidis supellectile sperari debeat; neque ferendum diutius in vrbe, religioni reformatæ supra modū addicta, ESCARLAMBATVM. ita Sectarios Regios popinaria voce appellitabant, hinc ducta formula, quòd, ESCARLAMBAT, vernacula apud illos voce, eum significat, qui dissitas hinc inde tibias in latum distendit; vnde Sectarij, si qui Regi seruauerant fidē ESCARLAMBATI dicti, quasi sinistrū hîc in religione pedem, dextrum illic in obsequio Regis firmarent. Suffreinius ergo, ne sicarij rem inconsulto Rohanæo gestam suspicarentur, eos in eius ædes ducere, iubere in area moras, donec ille ægrum in strato alloquutus habuisset patrandi facinoris ordinem: inductus, simulare colloquia, morari penès stratum diutius, redire postmodùm ad parricidas, vultúque placido in hæc verba prorumpere; Expectatum diu rei gerendę ordinem, ab Imperatore præscriptum, en vobis commilitones: gladiatores ad hæc sequi ducem. Ille inclinata iam in vesperam die Du-Crossij ædes ingressus, Præsésne ad foret quærere, postquam relatum adesse, pergere in eius aulam, sistit se obuium in maiestate Præses, rogatísque quid secum rerum esset, offerre vrbana comitate obsequium; consternari, Pręses vrgere denuò, hærere in vestigio gladiatores horrore facinoris, an seuera Præsidis grauitate incertum: donec peristromatibus illustris aula, scriniáque auro mixtim, & supellectile preciosa, torpentem in timore audaciam excitant, vnde in momento ea crudelitate sæuitum, vt confossus vul-

Escarlambat.

Qui & vnde dicti Escarlambati.

Suffreinius.

Auctorem sceleris Rohanæum Suffreinius simulat.

Ad ædes Præsidis veniunt.

Consternati ad eius præsentiam sicarii.

Spe prædæ excitantur.

Occiditur Præses. neribus plusquàm centum infelix Præses, animam in aula posuerit. à patre, in filium conuerti ferrum, *Dilabitur eius filius.* qui & ipse non dispari fato peribat, nisi inter sicariorum tumultum, arctiore forsan excitum loco, candelabra simul ac faces fortuitò excidissent, quò factum vt frustra quæsitus in camera, qui sensim inter tenebras dilapsus erat: adactus dehinc ad iugulum *Nobilis ex præsidis familia è fenestra se præcipitem agit.* nobili, ex familia Præsidis pugio, qui cùm nulla expediendæ salutis via esset, seipsum è fenestra altiùs sita in terram egit, vbi quia colliso femore immobilis diu, non dubitauere sicarij, quin collisus expirasset, quare nec vltra sequitum; leuiori tamen iactura vitam ille redemit, refectis postmodùm in quadraginta dierum mora immobili, ossibus. Rohanæus. re agnita, ne parricidij auctor haberetur, qui reuera innocens erat, stipatoribus suis imperare sicarios in vincula ageret, acti tres elapso Ministro confractis, *Rohanæus sceleris vltor.* postridie in rota ossibus, proditionis pœnas luere. Dum efferebatur Præsidis funus, ferunt incidisse cadauer cum funebri apparatu in patibulum, parricidásque in transitu raptatos ad mortem; consultò gestum, quò testis ipsemet filius, immunes à scelere esse quorum in vrbem imperium erat. at non ea probatio victrix: magnatum enim victimæ plebeij homines, eorúmque odij, aut vindictæ sæpius in- *Plebeii homines sæpe pro magnatibus pœnas luunt.* strumenta, pro ijs vulgò pœnas luunt. Attamen innoxius habitus Rohanæus, vir genio nobiliore, quàm vt in eum cadat tantum scelus. Gestum illud ineunte eius anni Decembre, quo inhorruit Gallia, Regísque violentiùs commotæ iræ: quid enim de Catholicis sperandum, sicubi in eorum manus in-

ciderent, quando ipſimet Caluiniſtæ, Legati ipſi quorum ſanctiſſimum caput, ea crudelitate habiti? Redeamus ad Regem, qui iam in procinctu erat vt fanum Engeriacum obſideret. S. Iean d'Angely.

CAPVT VII.

EPITOME.

Chiſaï Rex ad ſacram ſynaxim accedit, hinc ſtrumoſos tangit : tactus ordo & formula: Regibus Galliæ ſupra Principes quoſlibet quare id priuilegii datum. Rupellani ad Engeriacos ſubſidium mittunt. vrbi præficitur Soubiſius. Auriacus armato milite circumſtat. Praſlinius vrbe propiùs agnita, viſa refert, habitóque militari concilio plures ſuper relatis hinc inde ſententiæ. pontes duo ab Auriaco occupati. pugnatum ad ſuburbii Mathæ clauſtra, vnde pulſi Rebelles. mittit ad Auriacum codicillos Rohanæus, reſcribit ille, tormenta muris ſuccedunt. Monreuelus ſtrenuè agit. deſcribitur Engeriacum, tria paſſum à Galliæ Regibus obſidia, ex munimentis multùm laudatur, ex fide parum.

Chiſai.



VM Chiſaï, quindecim circa à fano Ioannis milliaribus proximæ obſidioni bellicus apparatus inſtruitur, Rex pridie Kal. Iunij quæ in Dominicam incidebat, ea pietate ad ſacram ſynaxim accedit, vt Aulici quibus vulgò in venere vnus Deus Amor, eius exemplo *Rex ad ſacram ſynaxim accedit.*

Regem omnibus exemplo esse. plo ferè omnes veterem in ſacramento penitentiæ, hominem abdicarint: vbi in tranſitu notari par eſt, Regem, primum imperij ſui mobile, omnia ſecum motu violento abripere ſurſum aut deorſum, pietate aut vitio. Euchariſtiæ Sacramento munitus, ex *Strumoſos a ſacra ſynaxi tāgit.* veteri Regum Galliæ priuilegio ſtruma laborantes tetigit mille circa quingentos. At ne res quæ notetur digniſſima exteros lateat, quibus ſcribo, ex occaſione eam expedio. Regum Galliæ priuilegium eſt, quo nihil reliquis ſimile Regibus, ſtruma languidos non alijs ſanare remedijs, quàm voce & tactu. poſi-*Formula tactus.*tus Rex in ſtatu gratiæ, loco vaſtiſſimo ſiſtitur, ibi ſtrumoſos exhibitos ex omnibus mundi plagis, maximè ab Hiſpania, in hanc formulam manu eorum capiti ſuperimpoſita tangit, A REGE TANGERIS, SANARIS A DEO. Subſequitur dehinc, magnus Eleemoſynarius, qui ægros (ſi & paupertate laborant) nummo dimittit. ne tamen, rei ſeriæ intercedat illuſio, lege ſancitum ne officiorum magiſtri ægros ad Regem inducant, niſi quos medici ſtrumoſos eſſe retulerint, quíque poſuiſſe prodentur in ſacramento penitentiæ noxas. dimitti dehinc magna ex parte ſanos.

Res miraculo plena. Hærere neceſſum eſt ad hanc metam impios, qui aut Deum negant, aut nulla rebus humanis cura diſtentum aiunt; quas enim accommodet phyſica tam inſigni miraculo cauſas? vbi Hippocrates artis terminum habet in morbo, cui remediũ natura negauit, ibi ſupra fidem Galli triumphant Reges, neque Galliæ Regibus, vni Deo debetur rei gloria quæ captum hominum ſuperat. At, quid iſtud eſt, quòd

prouidentia Dei non aliud miraculo instrumentum accommodat, quàm Regum Galliæ manum, qui summum Pontificem, qui tot habet in orbe Sacerdotes sanctitate claros, quorum manus nobilior sacrosanctum quotidie tractat redemptionis nostræ pignus? arcana hîc Dei iudicia, qui in Galliæ Rege primogenitum Ecclesiæ suæ elegit, in quem liberali manu gratiam ad mensuram amoris effundat. priuilegia quæ Reges, restitutis sæpius in sedem Apostolicam Dei vicarijs sibi promeruerunt. sed de his satis.

Regũ Galliæ priuilegium.

Intereà Rupellani operam dabant, ne quid Engeriacis deforet propulsandæ obsidioni: mitti subsidiarias copias, puluerem tormentarium, globos, cæteráq; id genus propugnationi necessaria: initóque dehinc cõsilio, cui danda armorũ in vrbe directio, inclinare in Rohanæũ omniũ vota, is vrbis iamdiu rector erat, quando à veterano dictum contra militarem disciplinam, imperatorem, cuius est huc illuc discurrere, immittendo oportunè subsidio, muris tuendis destinari', gregariorum esse id munus, feréque inauditum, imperatorem arcem aliquando obsidioni sustinendæ subijsse. Placitum ergo Soubisium eligi Rohanæi fratrem, quamquam & ipse imperator renuntiatus nuper, vt supra ad Comitiorum regulas fusiùs: minoris tamen momenti eius imperium, quàm vt eum à celeberrimæ vrbis tutela inhiberet. Proclamatus in arce præfectus, legem sancit, qua iussi abcedere quicumque obsidionem in vrbe pati nollent: recensitus dehinc præsidiariorum numerus, qui duorum circa millium erat, no-

Rupellani de propulsanda Engeriaca obsidione cogitant.

Rohan. *Rohanæus Engeriaci rector.*

Soubise *Soubisius vrbi præficitur.*

Numerũ militum qui in vrbe erant.

bilium qui sinè stipendio Sectæ militabant ducentorum, his oppidani adiuncti quatuor hominum millia superauerant, quibus ad propulsandam obsidionem plus æquo.

Auriacus vrbē cingit. Ex aduerso Comes Auriacus, cui cingendæ vrbis incubuerat munus, ad fanum Iuliani tertio ab vrbe lapide venerat, sequebantur ducem cohortes quinque, Campaniæ, Ramburij, Pedemontij, Picardiæ & Bellimontis, ordines equitum duo. His ille copijs quæ quatuor hominum millibus cōstabant, in currus duos fortuitò incidit, qui leuiori militum præsidio, puluerem tormentarium globósque ferreos à fano sancti Maixentij Engeriacum aduehebant; nec diu pugnatum, cùm actus in fugam hostis prædâ cessit. *Meatus occupat.* Auriacus instare acriter, vrbíque aciebus admotis meatus occludere, quáque facile in vrbem iter armato milite occupare. Prassinius inter hæc, qui indagandi munimina hostium, iussum à Rege acceperat, officio functus in prætorium redit, rogatúsque à Rege districtè, quid ex visis colligeret, respondit, fortem loci genio vrbem, adeò vallis, propugnaculis, hemicyclis, solitísque ex militari regula munimentis circumuallatam, vt opus Regium sit eius expugnatio; in ea se tamen sententia, lepores his latibulis tegi, qui aduolutum propiùs cum leui equitum turma, nihil cominùs hastis aut ensibus ausi, eminùs tormentis aut sclopis exceperint, vnde leuior iactura, nisi quòd ad tibiam Dux Ellebouius vulnus exceperat, cùm in hostes vltrò prosiliret. His addidit aggressionum ex animo ordinem, faciliores accessus, loca vrbis minùs mu-

Praslinius indagatis vrbis munimentis ad Regē redit.

Eius relatio.

Ellebonius ad tibiam vulneratus.

Auriac.

Les Regimens de Chāpaigne, de Rābures, de Piedmont, de Picardie, de Beaumont.

S. Maixant.

Praslin.

D'Elbœuf.

nita, metandi modum ea ſagacitate, vt omnium iudicio non indignus habitus fuerit, in cuius ſententiam ſinè trepidatione iretur. Variæ tamen hîc præfectorum conſilio militari ſententiæ; trahebant in obſeſſos plerique infelix augurium, quòd propiùs à leui manipulo agnoſci vrbem ſuam ſinè prælio paſſi eſſent; ex militari vt plurimùm diſciplina, hoſti præripiendam metiendorum oculis muniminum facultatem, quod ſi fieri penitùs nequit, rorarios ſæpius emittendos, qui commiſſa identidem pugna, indagatores procul à munimentis arceant: ab Engeriacis tentatum nihil, niſi quòd eminùs à muris tormenta diſploſa. non deerant contrà, qui non alia mente obſeſſos, à prælio abſtinuiſſe dicerent, quàm vt ſuorum ſanguini parceretur, obſeſſis id vulgò pręcipuum, ſi militiam norunt, vt dubio numquam marte manum conſerant, niſi vrbi alioquin periculum imminens; trahendum hinc certum oppidanorum animi, qui in protelanda obſidione ſit, argumentum; neque ſperandam deditionem eò loci, quò florida prouinciarum circumadiacentium nobilitas Soubiſium virum audacem ſequuta fuiſſet. His aut ſimilibus ſcindebantur in conſilio Regis ſtudia præfectorum militiæ, quando nuncius adfuit muris iam admotas ab Auriaco acies, vnum Regis opperiri imperium; res ita habuerat.

Variæ præfectorum consilio militari sententiæ.

Trahi in Engeriacos infelix augurium.

Auriac. Auriacus fugato qui currus ductabat cõmeatu, difficillimi acceſſus pontes duos, vnde diu propelli poterat, pugnâ ſuis propemodum incruentâ occuparat, & ne iterum in hoſtium manus inciderent,

Auriacus pontes magno regiorũ commodo occupat.

claustro triplici muniuerat aditus: re impræuisa perculsi oppidani defigi ad rei nuntium, præfectósque quibus muniminum extimorum cura, accusare, quòd ea segnitie loca circumadiacentia firmassent, vt nulla sic Regiorum iactura occupentur. enim verò, si claustris ad pontes extructis oppidani, loco oportuno stationem iustam collocassent, non erat Regi quà muris tormenta admoueret. liberis tamen vrbis duabus portis Aulnixij & Talliaburgi, fuit & liberum ciuibus hac parte commercium, donec cum exercitu Rex ipse aduenit. Aulnix. Taillebourg.

Postera die ad Mathæ suburbium indicta pugna, vbi claustris passim muniti aditus, dispositíque sclopetarij frequentiore numero, periculosum opus induxere. Regij ergo aggredi strenuè, hostes repagulis suis hærere pertinaciter, dum indesinenti interim ab vrbe verberatione agebatur. Iam pugna per quatuor horas semper recrudescens durarat cùm hostes viribus magè quàm animis defecti, retrò pedem referre. Ad hæc Auriacus instare acriùs, quando illi, desperatâ salute, ne suburbia postmodũ vrbi impedimento forent, Regiísque ad tabernacula commodo, ignem subijciunt, quò factum vt afflante opportunè vento, tria pomœria Aulnixij, sancti Eutropij & Mathæ exarserint; vnde ducta non incerta longioris obsidionis argumenta, quando oppidani fouendæ diutiùs rebellioni bona sic ipsi sua parati essent disperdere. Matha. *Pugnatur ad claustra suburbii Mathæ.* *Pelluntur Sectarii.*

Rohanæus ad Auriacum scribit. Rohanęus, qui nondum vrbe cesserat, ratus profuturas quid preces amicas, ad Auriacum quo cum olim amicè vixerat scribit; rogare exactæ amicitiæ

tiæ daret, vt mitiùs ageretur, mirari se quòd tam arcta sibi olim necessitudine iunctus, amici hodie excidio extrema tentet. subijsse animo sibi, vt in oliua amicum adiret, quando armis occlusi aditus: nihil se, quidquid inuidia garriat, nihil penitus in Regem cogitasse; quæsitam à se quidem munitam vrbem, cuius propugnaculis tegeretur, quia aduersæ sibi gentis agmina Regem circumstant. vnum esse quo de Comestabilem monitum cupit, detur nobili misso via ad eum facilis, futurum se in gratiam accepti beneficij Auriaco addictissimum. Lectis Auriacus codicillis fraudem agnoscere; quamquam ne officio defuisse videretur, non distulit in hæc verba responsum. nihil esse quod miretur si Auriacus quidquid hostem sapit in Engeriacorum ruinam gnauiter moliatur; datũ id sibi à Rege muneris, nec posse sinè perduellione manifesta contrà ire; optatum à se quidem, re adhuc infecta, vt in alium caderet expeditio; neque se debiti amico obsequij adeò immemorem esse, vt illi salua fide consultum nolit. Verùm quando eò res venerat, vt etiam inuito munus delatum, mirari se æquiùs, quòd Rohanæi animum subierit admiratio, qui si Auriacum in cute nouerit, non ignorabit, violatæ fidei inexpertem. Ceterùm, optare se in posterum credat, nihil omissum iri, quod in Engeriacorum ruinam ire videbitur, imò nec parciturum vllatenus ei, quem nuper antè dissidia impensiùs coluisset, & colet quamdiu Regis imperia non obstabunt. facturum se tamen vt propediem nobilis ad Comestabilem missus, debito ei commeatu, sistatur.

Responsum Auriaci.

Litera Rohanæi ad Comestabilem.

Eò lubentiùs ad ea tempora Rohanæus Comestabilem literis compellabat, quòd nuper Rohanææ stirpis Mombasoniam sibi ex Regia destinatione in uxorem sorte impari iunxerat: codicillorum ea summa fuit. *De Mõbason.* Numquam se ab vrbe Engeriacorum prohibuisse Regem, seditiosis oppidanis debitum omne malum, qui nescio quam libertatis vmbram excusso potestatis legitimæ iugo sectantur. incubuisse impensiùs se ad ea tempora sopiendis dissidijs, neque penitus irritum conatum; eò enim iam venisse oppidanos, vt de obsequio Regi debito non ægrè suaderi se patiantur. coactum se multis nominibus vt vrbe quamprimùm cedat, grauitérque dolere quòd prærepta sibi ante discessum Regis salutandi ex officio, facultas; imputandum illud non sibi qui vni Regis obsequio viueret; sed nomini suo & Religioni reformatæ infensis, qui nimis quã multi eius rectã ad Regis latera indolẽ in praua torquere conantur. effecturum se quocumq; ierit, vt debita maiestati Regiæ præstentur obsequia; & si quid valet, Rebellionem, quæ vana oppressionis imagine gliscit, extirpaturum. Ad hæc Comestabilis, ipséque Rex: Mirari eò prouectum impudentiæ hominem, vt qui ferè vn⁹ inter primores Rebellionis fautor erat; se tamen eius extirpatorem mentiretur: neque enim latebat Regem, cui conducti apud arctiora Sectariorum concilia indagatores erant, quin Rohanæus Rebellioni animos adderet; seu eò illum Religionis amor, Regis odium, fortunæve spes inter dissidia melioris agebant: prodita erant apertiùs arcana Comitiorum quàm vt hominis perfidia in

Rohanæi audaciam miratur Rex.

dubium traheretur; atenim nihil causæ erat quòd adeò præceps abiret, quàm quia Aquitaniæ & Galliæ Narbonensis vlteriorum nuper à Comitijs imperator renuntiatus, illis adesse auebat. Iter ergo, in eas prouincias ex necessitate designans, non posse se apud Engeriacos perduelles morari diutius scribit; quasi vnus inter tot coniuratos Regem agnosceret: at quia obijci nec immeritò poterat quòd Rege insalutato abiret, qui iam ad quatuor ab vrbe milliaria venerat; respondebat, non ausum aduersariorum furori exponere innocentiam suam. *Cur Rohanaus vrbe cesserit.* Haute Guiéne. Haut Lãguedoc.

Post euulgatam Rohanæi fugam Rex propiùs adesse, succedere muris legiones, inclinatóque ad occasum sole tormenta duodecim admoueri. iussi dehinc Montreuelus, & Fõtenayus Castrametatores, Campaniæ & Pedemontij cohortes in Talliaburgi suburbium immittere, castráque ibi si pedem hostis referret, metari. illi iussis parere, positísque primùm ad quinquaginta ab hoste passus castris; claustrísque, & repagulis circumuallata statione, designare aggressionis ordinem; cui antequàm accingor, hîc de vrbis situ & origine quædam. *Tormenta admonentur.* Montreuel. Fontenay. *Montreuelus vltrò in hostem pergit.*

S. Ioannis Engeriacorum vrbs, nomẽ ab antiquo cœnobio mutuata, origine ignobilis, sita est ad Botonam fluuium, qui alueo angusto, sed profundo fossas vrbis magna ex parte circum alluit, suburbiúmque sanctæ Crucis ab ea diuidit: loci genius in accliui colle, mira prospectus amœnitate patentes hinc, inde plagas aperit, neque facilis ad vrbem aditus, nisi quà porta Aulnixij prostat: tria sunt ad radices collis Botonæ amnis brachia; hoc fossas alluit, S. Iean d'Angely. *Sancti Ioãnis descriptio.* Aulnix.

illo ad primum ab vrbe lapidẽ pomœrium Talliaburgense ab vrbe dirimit; tertio, à muris longiùs in meandrum serpens, se demum alueo suo recipit. parte alia accessus difficilis, quia monticellorum supercilia planitiem asperant. Regũ Galliæ castellum olim, hodie vrbs nobilis, vbi Pipinũ, Caroli Martelli progeniem, morari olim solitum referunt antiqua Galliæ monimenta, quo tempore Gaifero Aquitaniæ duci bellum cum Gallis erat. Engeriũ antiquis, post illatum diui Ioannis caput, fanum Ioannis dictum est. vrbs iam anteà tribus obsidionibus clara, nescio quo fato in Reges suos omnibus; primam passa est à LVDOVICO Rege, Philippi Augusti filio; secundam à Ioanne Gallorum item Rege, pro Anglis vtramque; tertiam à Carolo IX. pro Sectarijs, quarum hic exitus fuit, vt honestis conditionibus subierit Galliæ Regum imperia.

Vnde Engeriacum fanũ Ioannis dictum.

Rarescentibus ad crepusculum vmbris, indagandis Rex propiùs muniminibus, agnoscendísque propugnaculis equo insilit; nobilitas æmulatoriè sequi, Regis exemplo dedignata periculum, quando ad primum ab vrbe milliare exauditus tubarum clangor, tympanorum & scloporum strepitus reboans, monuere initã acriùs pugnam. Ad hæc Rex, quò virtus heroïca impellebat laxis habenis ire. obstare circumstantes, irritóque conatu opponere imbelles magno animo preces; cùm missi, qui præirent excursores referunt, confectum prælium, Regiósque victoria lætos depulisse procul à suburbio hostes. hîc ergo Rex sistere, habitísque in cespite exercituum Deo gratijs, redire ad metationem.

Exauditus tubarum clangor Regem moratur.

At ne debito fraudentur honore, quorum virtute victoriæ partũ decus, rem paucis expedio, ex relatione Modenæi capitalium in Gallia præfecti, de prima Regis ad Montalbanum vſque expeditione, quem ſæpius dehinc ſequar vera referentem, vt aliunde comperi; niſi cum Luynæo applaudit ſæpe, cui & præfecturæ ſuæ debitor erat, & fortunę, quam ad ea tempora vſque ad inuidiam poſſidebat.

Modenæ.

CAPVT VIII.

EPITOME.

Indicta in Talliaburgenſe ſuburbium oppugnatione, Crequius ad ſclopi ab illo iactum caſtrametatur. in murum adiacentem continua diſploſione agitur. Pigeoleto primum agmen commiſſum: ſequuti ad pugnam principes duo, Mareſcallus, nobileſque permulti. perrumpuntur clauſtra hoſtium tria. lethaliter vulneratus Mõtreuelus Regis in extremis ſolatio gaudet. ad hoſtium clauſtra Rex intrepidè ire. laudatur felix ſupra fidem, eius memoria & ſagacitas. concilio militari præſtituitur militiæ ordo. erumpunt à falſa porta obſeſſi. Sanlucanus ſtrenuè agit. erumpunt iterum. Redit à delegatione in Hiſpaniam ſua Baſſompetrus. ex occaſione de Valtolina quædam; eius deſcriptio, Hiſpanorum in eam factio. Valtolinorum in Rhætos queſtus. Catholicorum prouincialium audax facinus. Rhætorum fuga. Hiſpani occupantis animus. parata Gallorum in ſubſidium arma. Baſſompetri vltimò virtus commendatur.



Pomœrium Talliaburgense.

Taillebourg.

POMOERIVM Talliaburgense Engeriacorum vrbi munimento erat, magni illud nominis ab obsidione, quam ann. circa post M. D. LXIX. Carolo IX. oppugnante mense integro sustinuisse ferebatur: ab eo tempore adeò munitum fuerat, vt in pomœrio arx, in arce pomœrium esset. munimentis accedebat delectus militum, qui ad stationem frequentiores, indesinenter à claustris suburbanis in Regios displodebant: addebãt gregarijs animos plerique nobilium, qui renouatis in dies singulos stationibus aderant vbique ad valla, munia quælibet, officiosa manu subeuntes. Crequius prætorianę cohortis pręfectus, ad orã quidem suburbij castra posuerat: at quia seu diruto põte via in pomœrium interclusa; seu ad vlteriorem fluminis ripam congestis ingenti mole palis, & tignis, superstructa quà patebat aditus claustra triplicẽ vbique munitionẽ opponebant, arduum opus videbatur suburbij expugnatio: donec, inclinato iã in meridiem sole, Lesdiguerio magno exercitus Castrametatori ex necessitate visum oppugnari illud: claustra ad latus firmabat, murus lapideus, qui in propugnaculi formam ad ripam productus, prohibebat procul accessum dispositis loco oportuno gregarijs, qui displosione continua regios infestabant. Nec mora, admoueri propiùs tormenta quatuor, quati indesinenter murum, tuguriáque demum, vnde à tormentarijs fenestris Regij petebantur, diu quassata, ruere. diruto muro, iussus Pigeoletus L. Campaniæ cohortis militibus amnem vado

Crequius ad oram suburbii castrametatur. — *Crequi Maistre de Câp du Regiment des gardes.*

Lesdiguerius in illud oppugnationem indicit.

Pigeoletus hostes aggreditur. — *Pigeolet.*

transire, ille ad ripam vlteriorem, muri iam ope destitutam, ducto manipulo manum conserere, nouis identidem delectibus suppleto Regiorum agmine, indefesso hîc labore pugnari; quando Ioinuillius Princeps, qui hodie Dux Cheureusius, Cardinalis Guisius, Marescallus Chaunius, Marchio Theminius, quem manipulus nobilium sequebatur ducem, facto agmine feruntur in hostem, qui retrusis iam sæpius Regijs non claustra modò tuebatur, sed inferebat prælium vltrò. Restauratis ad hæc gregarij viribus, nouo impetu irruere; pedem referre hostis, desertóque claustri munimine, ad secundum confugere; instare principes, virtutéque nobiliore magnates Chaunius, Theminius, Montreuelus, perrumpi & illud; donec retruso in claustrum tertium hoste, re iam ad triarios deducta, renouatur acerrima pugna; perennari hîc vulnera nouis identidem incrementis rediuiua, pluere sclopis impellentibus glandes, hæc Ioinuillij Principis pileum fortunatè traijcere, illa Chaunæi capillicij extrema delibare: hinc Regios honor, illinc salus Rebelles: hinc maiestas Regis, illinc Reipublicæ liberæ libido impotens, vtrimque vitæ discrimen longiori iam labore fatigatos agebant ad prælium: atenim vergente ad vesperam sole, refectis sæpius nouo delectu Regiorum agminibus, tertio claustro deiectus hostis. Rebellium plures hoc prælio desiderati, quamquam gregarij omnes, quorum iactura leuior; Regiorum pauci, sed in quorum consilio maxima erant ad res gerendas momenta, Boisuerdunus, & Montreuelus, ille in momento ex-

Duc de Cheureuse. Cardinal de Guise. De Chaune Theminès. *Primores in hostem feruntur.*

Perrumpũtur claustra duo.

Montreuel.

Ioinuille. *Ioinuillio Chaunæoque periculum imminet.*

Tertio claustro excussi Rebelles.

Boisuerdun. *Necatus Boisuerdunus.*

Lethaliter vulneratus Montreuelus.

tinctus, hic prelio superstes quantũ fuit sat à vulnere tẽporis salutando Regi. Pugnatum acriter à Theminio Marchione, Bressio, Chaudebonæo, Chelino, Montenaco, Marignano, Crasauezo, Descrisio Nobilibus; à Cardinali Guisio, & Ioinuillio principibus Lotharingis, Marescallo Chaunio, & Montreuelo Castrametatore: intereà dum Crequius, & Thermesius, lectis tumultuariò manipulis, quà timebatur ab vrbe eruptio, stabant in armis, quod dimicantibus cõmodo vertit; dum nihil à tergo reformidatum. Montreuelus lethali vulnere saucius, Regi à prælio obuius humanissimè exceptus fuit. ferunt Regem statim à primo, quem vocant, vulneris apparatu, morientis tabernaculum subijsse; rogatóque quid ipse speraret à vulnere, dum positam in vno Deo spem omnem respondit, adiecisse dolere se quòd vna hac iactura luctuosa victoria, sanguini viri illustris deberetur; nec defutura tantæ virtuti præmia; quinimò si quid erga morientis progeniem Regia liberalitas valet, futuram illam exemplo posteris paternæ virtutis in filio remuneratæ: pateretur tamen, quando nec adhuc desperata salus, medicamenta vulneri applicari, excepere supremæ hæ voces spiritum inter Regios sensim amplexus dilapsum leniter; quis ita mori nolit? Regi vni viuere, magnum est & amabile; at sic mori gloriosum, imò & supra humanas vices exoptabile. Extincto Rex Mõtreuelo, vrbi propiùs agnoscendæ, equo iterum insiliens, claustra in leui comitatu subit, quæ ad pontem sancti Iuliani firmauerat hostis: sequitur Luynæus gloriosum ducens cum Rege occumbere. notatum

Themines. Bresseus Chaudebone Chelin. Montenac. Marignan. Crasauez. Descris. Guise. Ioinuille. Chaune Montreuel. Crequi. Termes.

Rex Mõtreuelum inuisit.

Moritur Montreuelus.

Rex ad claustra ire.

Luynes.

tatum ad ea tempora memini, secúdùm viam, dum à castris ad claustra hostilia itum, prætereuntem Regem, seu memoriæ experimentum faciendi animus, seu erat conciliandæ sibi exercitus gratiæ, præfectos, centuriones, legatos, signiferos, primipilos, quin & legionarios ipsos nomine quemque proprio compellatos amicè salutasse; vnde is acclamantium strepitus, vt ipse hostis, qui longiùs aberat, rei nouitate perculsus, signum oppugnationis datum crediderit, vnde duplicata ad muros statio. Habet Rex (vt hoc ex occasione eius virtutibus astruamus) supra magnitudinem animi, qua Henrico magno maior ipse; supra mansuetudinem, qua Ludouico pio clementior; supra iustitiam, qua vnus ille inter Galliæ Reges denominatione IVSTVS, habet id singulare, vt in exercitu suo nō modò præfectos quoslibet agnomine nouerit; sed & ipsos magna ex parte gregarios: neque illud solum, quod leue videatur, quia vni memoriæ debitum; habet & id sagacitatis innatum, vt ex quadraginta millibus hominum, quibus vulgò exercitus constat, hunc sciat verberationi aptissimum, illum facto violenter impetu oppugnationi: hunc prælio cominus, illum eminus ineundo; hunc immittendis in fossam inimicam vallis, illum tuendis ab hostium eruptione tormentis, quæ Imperatorem vna virtus supra reliquas decet: notum illud quibus id gloriæ fortuna parauit, vt tanto aliquando Regi stipendia meruerint. Vidi ego cultu illum leui, capite intecto, in agmine, in laboribus frequentem adesse, laudem strenuis, solatium inualidis, exemplum omni-

Felix supra fidem Regis memoria.

Laus Regi debita.

Hēry le Grand.

Louis le Debōnaire

Non milites nomine modò, sed & virtute nouit.

bus ostendere. Huc etiam pertinet quòd magistratus Galliæ, rectores vrbium, nobiles quoslibet, imò & ex fece plebeios mira item memoriæ facilitate nouit, si quando negotium cum illis vel minimi momenti fuit.

Rex agnitis hostium munimentis, ad castra redit, vbi in proximā displosionem parata torméta rarioribus militum excubijs seruata questus, iussit suppleri numerum: periculum quippe ne eruptione hostis tentata, aut traheret in vrbem tormenta, aut corrumperet. Hinc ad ædes Lesdiguerij ventum, vbi militare concilium haberi placuit; accersiti Marescalli, Castrametatores, tormentorum præfectus, quibúsque in acies præter hos imperium erat, ordine suo quisque sententiam dixere. erat Regi ad manum descriptio vrbis, vbi, cum munimentis omnibus, exaratus circumadiacentis genius plagæ; primùm alarios ad vias, quibus in vrbem accessus facilis, excubias agere placitum tribus circa ab vrbe milliaribus; tormenta dehinc illata recèns, donec reliquus verberationis apparatus adesset, ad patibularias furcas disponi, vnde alba turris in ruinam verberaretur. à Marchione dehinc Rosnio tormentorum adhuc præfecto quæsitum, quæ Pictauio, Niortio & Santonibus inferebantur murales machinæ breuíne adfuturæ? demum quia terra vrbi circumadiacens gracilis, ægrè vallum passura credebatur, dolia viminea humo dehinc opplenda contexi iussa: indicti metationi cuilibet stato numero chirurgi, qui stipendiaria annona gratis curarent milites. His ita gestis in prætorium se

Habetur militare concilium.

Statuitur obsidionis ordo.

Iussus Rosnius tormēta aduehere.

Rosny. Poictiers. Niort. Xaintes

Rex indefessus recepit.

Postridie tentata ab hoste eruptio in hunc modum. Inter turrim Caniotam, & portam Talliaburgensem porta erat, quam falsam dicunt, ab hoste ducto nuper muro occlusam. quò ergo interciperentur incautæ Regiorum excubiæ diruitur murus, hinc delecta ducentorum manus erumpere, tegentibúsque exusti nuper suburbij Mathæ ruinis, ad valla, bellicáque tormenta eò silentio serpere vt incauti vigiles, ferro priùs transfossi, quàm senserint adesse hostem: quin vsque ad tormenta penetrabat victoria, nisi Sanlucanus Castrametator, cui ad hanc diem incubuerat excubiarum munus, diffugientes colligens, ense nudo, reliqua inermis, valla, bellicúmque apparatum, pulueremi, globos, ipsásque machinas murales, sarta tecta conseruasset. Retrusus ergo leuiori Regiorum iactura in vrbem hostis, desiderati ex obsessis quinque, inter quos Lachenaius Brito nobilis, vir magni animi, bellóque expertus, qui nescio quo fato cum Catholicus esset Sectarijs se perduellibus immiscuerat. ex Regijs occisi octo, gregarij illi, si Neaumoursium eximis, præfecti cohortis legatum.

Caniot. Taille-bourg. — Mathæ. — Lachef-naye. — Neau-mours.

Erumpit hostis à porta falsa. — *Sanlucani virtus extollitur.* — *Lachenaius occisus.*

Secundùm obsidionem extructa pleraque tuendis vallis, & castris munimina, quibus nomen à Castrametatoribus inditum est, prout in eorum excubias coïncidebat opus: sic dicta Bassompetri, Marchionis Theminij, Sanlucani, Thermesij, aliorúmque munimina, seu admouẽdis propiùs in hostium propugnacula tormentis, seu immittendis in fossam hostilem vallis.

Bassõpierre. Themines. S.Luc. Termes

Munimina à Castrametatoribus nomen mutuantur.

Pridie Kalen. Iunij indesinenti displosione concussa rotunda turris, ingénsque propugnaculum, quo Niortij porta tegebatur. Ad vesperam ab alba turri erumpit hostis, machinísque muralibus, quibus hac parte turris pulsabatur tractis in fossam, pulueri tormentario, magna Regiorum iactura ignem immiserat, nî Crequius prætoriæ cohortis præfectus, quatuor legionariorum ordinibus validè obstitisset; retractus in vrbem hostis, Regiorúmque non alia iactura, quàm Baronis Chatelesij, qui glande traiectus occubuit.

Erumpit in Regios hostis. Niort. Crequi. *Chatelerensis occumbit.* Chatelieres.

Per idem tempus Bassompetrus nuper à Rege, in Hispaniam pacandis Valtolinæ dissidijs missus re infecta redijt. Verùm quando se Rex Galliæ bello huic extero consilijs primùm, dehinc armis immiscuit, districtè hîc de illo quædam, præter propositum nostrum, quod in vna Gallicæ Rebellionis descriptione versatur.

Bassompetrus à delegatione sua redit.

Vallis Tolina, vulgo Valtolina, regio est ad CANINOS, à valle dicta; quia loco accliui sita est; sexaginta milliarium eius longitudo, à lacu Comensi, qui in Italia, ad Teriolensem Comitatum, qui in Rhætia: vallem Aduas fluuius alluit, qui in Rhæticis iugis ortus, lacum Comẽsem, qui Larius olim, ad Italiam subit; circumstant montes asperi vt plurimum inaccessi. Circa Kal. Quint. ann. M. DC. XX. tacita Hispanorum factione, iugulati à Catholicis penè ad internecionem indigenæ in Caluini secta nouatores: opitulatus Dux à Feria vallis maximam partem ditioni Hispanorum subiecit, is ad ea tempora pro Philippo Rege Mediolani præfectum age-

Valtolinæ descriptio. Valtoline. Grisons Come en Italie Cõté de Tirol au pays des Grisons. Ada, riuiere. *Hispani in eam factio.* Duc de Ferie. Milan.

bat. Hinc postulati proditionis in patriam suam Catholici, quòd iam antè cum Hispano in eius ruinam ad ann. M. DC. XVII. fœdus iniјssent. Catholici contrà, malè habitos à Rhætibus Valtolinos querebantur, confœderatos eorum esse, non subditos; Ioannem Episcopum Curiēsem à Sectarijs destitutum, Archipresbyterum Sondrianum, Plantanos fratres, nobiléſque Catholicorum plures, vno confœderationis cum Hispano prætextu patibulo affixos; prouinciam ab omni æuo Catholicam esse, neque posse sinè tyrannide, veterem indigenarum interuerti religionem. His moti Catholici, Robustello duce, vrbibus magna ex parte occupatis Sectarios iugulant. Ad hæc Rhæti arma capere, Venetorúmque ope exercitum in vallem inducere, committi plura hinc inde prælia, tentari obsidiones, Hispanus ad Mediolanensem ducatum valli adiacens opem inferre Catholicis, Senatus Venetus Caluinistis, illinc octo hominum, hinc quinque millia; illinc pro religione Catholica, hinc pro libertate depugnari. donec seu Catholicorum numerus, seu Dei, quod malim, prouidentia Rhætos vltra montes in pagos suos retrusit; libertas dehinc Hispano vendita, qui seu vallem transitui in Italiam, Germaniámque sibi commodam ratus, seu occludendi hàc Galliarum Regi in auitas Italiæ possessiones itineris animus, protectionis specie, prouinciam liberam occupauit; quasi satis non esset diuisam Italiam cum summo Pontifice, Venetis, Hetruriæ Duce, Sabaudo, minutulísque principibus alijs, possidere; nisi & in illam sibi facillimum prætextu religionis iter, hac parte

Grisons Valtolins. Coire. Sódrio. Planta. Robustel. Grisons

Valtolinorū in Rhætos questus.

Se prouinciales Catholici in libertatem asserunt.

Victores Valtolini Rhætos pellunt.

Hispani Valtolinā occupantis animus.

sterneret. structa olim ad oram vallis, quà Mediolanum prospectabat arx validissima, quæ nomen à Fidentio exstruente mutuata, prodidit tunc primùm pręcharam Hispano ditionem; capta dehinc potentioribus noui orbis aucupijs auara indigenarũ ingenia: per cuniculos diutiùs actum, donec aperto marte licuit affectare tyrannidem: neque improbatum Catholicorum facinus, qui non iniusto religionis motu armati, excussere præpotens Sectariorum iugum; dignum laude propositum hominibus liberis, nî Hispanus, qui se religionis prætextu vbique insinuat, liberam sibi adscripsisset prouinciam, quod vsqueadeò iniustum est, vt Rex Galliarum, quamquam duplici nomine Hispano fœderatus, asserendæ in libertatem prouinciæ exercitum iam inde instruxerit, qui Venetorum copijs accedentibus, longiora rerum alienarum occupatori diludia parat. at illud post confectam Sectariorum Rebellionem memorabimus infra, si progredimur.

Milan. Fuétes.

In Hispanum pro Vatelinis armata Gallia.

Bassompetrus ergò, quo tempore obsidebatur Engeriacum, legatione sua defunctus gloriosè quidẽ at infeliciter, redijt; nec diu cùm castrametatoris pręfectura donatus prodidit, non se minùs bello aptum, quàm amori, quæ fuerat vna olim in eius comitatem eorum postulatio, qui Martem Veneri amicum negant. plura de eo postmodùm, quibus bellica virtute, sibi Galliæ Marescalli promerebitur gloriam.

Laudatur Bassompetri virtus.

Bassompierre.

CAPVT IX.

EPITOME.

Tremollius fidei ſacramentum ad Regis præſentiam renouat. humaniter à Rege excipitur. ab Aquitaniæ inferioris vrbibus delegatus ad Regem Maleretus, multa de obſequio adiicit. Boiſſæi, & Forcæi mutuum odium Regi perutile. breuis apud Aquitanos Rebelles obedientia. Rex fanum Iuliani ſubit. Fecialis ad Soubiſium mittitur. Soubiſii reſponſum. irrita verberatio in ædium ruinam. præſcriptus ordo excubiarum. Schombergus rem tormentariam feliciùs, quàm pecuniariam tractat. militum pietas ſupra fidem magna. Monachorum ad valla animus, & feruor. ſuppletur nouis delectibus acies. Crequius glande ad caput vulneratur.

La Trimoüille



OCTE iam appetente, Tremollius, in cuius diuitijs, illuſtríque proſapia, labantis Sectę ſpes vna recumbebat, in prętorium admiſſus, abdicata Rupella, in hæc verba ſacramento ſolemni fidem firmauit; Non adeò ſe à proauorum virtute degenerem eſſe, vt poſthabita Regum maieſtate, fullonum imperijs ſubiacere velit, quorum libido impotens ſupremum hodie in Gallia affectat imperiũ; primorum non parum intereſſe, nec non Gallicæ nobilitatis opprimi in exordio naſcentis

Tremollius Regi exhibitus fidei ſacramentũ renouat.

Reipublicæ fastum, quæ si quando legem dixisse Regi (quod absit) fata inimica permiserint; nihil esse nobiliori sanguini sperandum, suprà æqualem cum lixis, seruísque conditionem: rem à se, nobilibúsque magna ex parte Gallis pleniùs agnitam, id efficere vt proscripta Sectariorum Rebellio in ipsis Sectarijs habeat hostes, eò infensos quò nota illis magè perduellia Comitiorum secreta. Ad hæc Rex, lætari se quòd Sectariorum in Gallia nobilissimus adforet; visurum eum, qua feritate subditi Regem, qua Rex clementia subditos habeat, non actum in Sectarios, neque religionem eorum impetitam, quando cogi nemo potest vt credat; argumentis adhuc in eam Sectam, non armis actum, liberos in exercitu suo vtriusque religionis modos, Lesdiguerij qui Sectarius sit consilio omnia geri, tertiámque ferè exercitus partem constare Sectarijs, quorum nemo, quam imponit Rupella oppressionem expostulet. His abundè suasus Tremollius, sacramento solemniùs firmauit fidem, nec peierauit postmodùm.

Regis responsum.

Tremollius Regi fidus.

La Trimouille

His ita ex Regis animo gestis, Maléretus Burdigalensis prouinciæ nobilis postridie venit, eum fide & prudentia inter Sectarios clarum, pleraque Aquitaniæ inferioris municipia, impellente Pardaliano Boissæo, abdicandæ omnium nomine Rebellioni ad Regem miserant. non displicuit Regi delegatio; at quò factum tot Sectarias vrbes, Regis eodem tempore imperia gratis subijsse districtè memoremus.

Maleretus ad Regem delegatus ab vrbibus Aquitaniæ.

Malleret Bourdelois.

Pardaillan de Boisse.

Dictum supra ad Comitiorum regulas, inferiorem

Basse Guiéne Boisse. rem Aquitaniam, Comitiali rescripto fuisse cum omni imperio Forcæo delatam. Boissæus vir sanguine illustris & animo, eius Legatus, quod supra omissum, renuntiatus vix potuit concoquere iniuriam, quam sibi nihil Forcæo inferiori illatam primùm questus, prodidit demùm in prouincia fortiorem se, quàm vt Benarnij proprætori Arpinati in Aquitania nouo postponi debuisset. Obortis appositè Imperatorem inter & Legatum tacitis odijs iniri secreta inter Comestabilem & Boissæum pacta de vrbibus Aquitaniæ in obsequiū reuocandis, stipulanti fidem ille dare, numerata pecunia an vltrò impellente obsequio, incertum. nihil moratus Boissæus quò nihil auctoritatis Forcæo in prouincia esset, prouincialem Synodum ad Fanum Fidei indicit (ea vrbs munitissima, cuius ipse præfectus erat) coïre Sectariarum vrbium Oratores, proponi illis Regi debitam fidem, commercij, conscientiarum, vitæ in obsequio libertatem, iniqua Comitiorum imperia, nutantem eorum ad Engeriacos in primo conatu potētiam, Edictum quo libertas conscientiæ data, in fide remanentibus, nihil hoc bello in religionem, vnam peti Rebellionis audaciam. His plura addita, quibus pridie Kal. Iun. solemni sacramento, sancita Oratorum, vrbium nomine fide, Maleretus ad Regem delegatur, qui eius genibus prouolutus obsequium Aquitaniæ inferioris obtulit, his ferme verbis.

Boissæus Forcai se Legatum indignatur.

Saincte Foy.

Prouincialem Synodum ad Fanum Fidei indicit.

S. Iean d'Angely.

Suadet præsidium Regi obsequium.

Maleretus ad Regem delegatur.

Eos qui in Aquitania inferiori Religionem profitentur, quam reformatam aiunt, ad Fanum Fidei à Boissæo conuocatos recèns, adhibito iureiurando

Malereti ad Regem oratio supplex

in id communibus votis conueniſſe, vt proſcripta illegitima Comitiorum auctoritas Regiæ locum daret; lectum ſe, qui omnium nomine ad ſacram Regis ſui præſentiam, Rebellionem in obſequio poneret. optatum vehementiùs ab ijs, quorum nomine aderat, Regi qui Dei imago ſit, id eſſe poſſe cum Deo commune, vt ad cordis intima tacito mẽtis intellectu penetraret; videndus tunc liliorum ea puritate in reformatorum cordibus refloreſcens candor, vt etiamnum ad gloriam ſpectare videatur Rebelles eos aliquando fuiſſe; Rebellio felix, quam tanta fides diluat: Verùm quando id ſibi Deus peculiare adſcripſit, neque hominibus datum vt penetratione intima, cordis conſcij fiant; lectum ſe qui ſinè dolo ſecretum aperiret. nihil habere Aquitanos reformatos in mente, quàm cæcam ad Regis imperia obedientiam; lætos ſupra quàm credi poſſit, ſi datur ptoprio ſanguine fidem obſignare: æmulatoriè apud eos actum, colerénе ſatius foret, an adamare; pro LVDOVICO amorem, qui deliciæ orbis Gallici; pro Rege cultum, glorioſa in eorum animis altercatione dimicaſſe. non improbanda ſi quæ ad id temporis ex æquo ab illis geſta, excuſanda ad quæ Comitiorum factio præpotens incautos adhuc adegiſſet. Si manſuetè agitur, Rebellionem Galliæ vniuerſam, Aquitanicarum vrbium exemplo, poſituram in obſequio arma, ſeculíque amœnitatem aurei, ad LVDOVICI tempora redituram. Id ſperare à manſuetiſſimo Rege, vrbes religionis reformatæ Aquitanicas, eius ſinè conditione imperijs addictas. viueret, triumpharet, & par-

ceret, felix, victor, & clemens.

Ad ea Rex diffusus lętitia, grata sibi Sectariorum Aquitaniæ vota, neque futurum se exactæ posthàc Rebellionis memorem, si promissis stetur; vno ordine habendos à se Catholicos, & Sectarios, nî perniciosa Rebellio intercedit. His Maleretus dimissus est. maior ea sinè prælio victoria quàm ●edi possit, vrbes quippe viginti, aut circa, munitæ omnes, nobilissimo sanguini pepercerant, qui earum dehinc obsidionibus effundetur: at breuior victoria fuit, studijs enim popularibus parta citè, ni vis maior obsistit, ijsdem studijs citiùs dilabuntur. sed hæc postmodum. redeamus ad Engeriacos.

Regis Malereto responsum.

Maleret.

Breuis vrbiũ Aquitanicarum obedientia.

Iam in medium inclinabat dies, cùm Rex, quamquam cœlo intolerandis æstiui solis caloribus infesto, ad fanum Iuliani, quarto circa ab vrbe lapide venit: ibi mittendi ad Soubisium Fecialis, qui deditionem à Rege iuberet, consiliũ initum. ille in sago violaceo, lilijs auro distinctis variato, pileolóq; ad ritus antiquos serico, nobilibus quindecim stipatus prçmisso tubicine muris succedit: rogatus ab hoste quid vellet? sibi rem cum Soubisio dixit, adforet expeditè; Soubisius accurrere dicto citiùs, sequi nobilium expedita manus, cùm ad eius præsentiam Fecialis; TE BENIAMIN ROHANÆE COMPELLO: REX TIBI, MIHIQVE SVPREMVS DOMINVS, IVBET DEDI VRBEM, QVAM NVLLA CAVSA DETINES. SI NEGAS, TE MAIESTATIS REVM DENVNTIO, STIRPEM IGNOBILEM, BONA FISCO ADDICTA, DOMOS SOLO ÆQVATAS. Ad hæc Soubisius militem se in vrbe

Sainct Iulien. Soubise

Rex ad Fanum Iuliani venit.

Missus à Rege ad Soubisium Fecialis.

Districtè de officio monet. libera dicere, non præfectum; plura parantem, sistere iubet Fecialis, & ; Quæ te, inquit, superbia habet homuncio impudens, qui operto sic capite Regem *Increpat impudentiā* compellas. exhibe te officio tuo, si quid habes ingenui.

Eum Altifontanus excusat. Ad hæc Altifontanus, cohortis præsidiariæ in Hautefontaine. vrbe præfectus, excusandum dicere Soubisium, si nullam passus à Rege obsidionem, ritum ignorabat, quo excipiendus Regius Fecialis. Habito dehinc districtè consilio Soubisius aperto in hæc verba capite respondere: Se à Comitijs Rupellanis præfectum vrbi, non posse parere imperio, nec minùs ideò Regem colere, cui sit ad reliqua omnia addictissimus: his dictis, rogatus Fecialis sisteret, intereà dum scripto respõsum Soubisius exarabat, in hæc verba. *Exaratum scripto Soubisii responsum.* EGO BENIAMIN ROHANÆVS ME SVBDITVM REGIS, SERVVMQVE PROFITEOR: ET, SI IVSSVS NON APERIO VRBIS PORTAS POTESTATIS DEFECTVS EST NON VOLVNTATIS. Ad vesperam, petitis à verberatione inducijs, nox hinc inde in quiete exacta est. donec ad primam lucem redintegrata à Regijs verberatio, loco editiori tormentis sitis, vnde minùs sternebantur munimina extra vrbem, quàm vrbana *Verberatio in ædium ruinam.* ædificia, vt nihil quieti, ne intra quidem triclinia, aut cubicula interiora superesset: neque propterеà obsessi animum despondebant, aut frangebantur quò minùs seu sponte, seu exemplo, quæ sui muneris erant quisque impigrè obirent: aiunt quippe qui *Parum vtilis illa.* militiam ex arte norunt, terrori magè id verberationum genus, quàm damno esse, quò fit vt terricu-

lamentis eiuſmodi aſſueti obſeſſi, ſi diu ſic verberantur, ludibrio habeant, quod timuere. ſecùs cùm munimenta primùm diſijciuntur, dehinc enim denudati obſeſſi aut oppugnantur facilè, aut vulneribus miſerè intereunt.

Quia tamen ſpe deditionis, quæ ſperabatur in dies, nondum diſtributa fuerant militiæ munia; iuſſus à Rege Comeſtabilis, quò ex arte omnia fierent verberationum indicere modos, vallorum lineas quà tutò ducerentur deſignare, ſtationes diuidere, ceteráque id genus, quæ eius muneris erant. dehinc, militiæ præſcriptus ordo in hanc formam.

Datur omnium directio Comeſtabili.

Briſſac. Praſlin. La tour blăche & griſe.

Ordo in obſidione ſeruandus.

Ad verberationem in turrem albam.

Trenel. Crequi. Baſſom pierre. S.Luc. Themines Mareſchaux de Cāp. Leſtelle Fuguieres.

Briſſacus, & Praſlinius vallis, quæ in turres Albā, & Cinericiam ducentur, vt & verberationibus, hac parte præerunt.

Trenellius, Crequius, Baſſompetrus, Sanlucanus, Theminius, ad eas verberationes, & valla Caſtrametatores erunt. Leſtellus, illis & Fuguierus in ſubſidium erunt.

Ad valla S.Eutropii.

Aides. Ioinuille. Chaune S.Eutrope. Caniot. Termes Dauriac Rochefoucaud. Contenant Mareſc. de Cāp. Le maine. Machaud.

Princeps Ioinuillius, & Mareſcallus Chaunius ad verberationes & valla Sancti Eutropij, turríſque Caniotæ ſucceſſiuè imperabunt, Caſtrametatoribus Termeſio, Auriaco, Rupefulcaudio, Contenantio; quibus Maynius, & Machaudus viciſſim aderunt. Caſtrametatores exactis ad ſolis ortum excubijs, valla ſua diligenter obibunt; Regi vbi primùm à ſomno experrectus renuntiaturi, quid ſecundùm eorum excubias tentatum ab hoſte, quid à Regijs geſtum, quò progreſſus labor.

Agendarũ excubiarũ ordo.

Aides.

Regiæ cohors cuſtodiæ, Nauarræáque, ad Albæ turris valla excubias viciſſim agent, hoc ordine, vt

prætoriæ, quæ numerosior est, duodecim ordines, post exactas ad valla excubias, ordinibus totidem succedent, quos demùm post XXIV. horas cohors Nauarræa dimittet. Regimẽt des Gardes, & de Nauarre.

Cohortes Pedemontij, Campaniæ, Normanniæ, Bellimontis ad aliam aggressionem se inuicem alleuabunt. Piedmont. Champaigne. Normãdie. Beaumont.

Magnus rei tormentariæ Magister verberationibus præerit, nullo obstante.

Sæpius de omnibus monendum Regem. Quater in die monebitur Rex, quæ gesta, quæ gerenda à suis, quæ tentata, quæ timenda ab obsessis; scilicet summo mane, circa prandij horam, tertia, & decima à meridie.

Ad verberationes singulas, tormentorum præfectus Legatos statuet, quibus Marescalli Galliæ, & Castrametatores legem dicent.

Bassompetrus vasis vimineis terra cumulandis, robustiores Heluetiorum eliget, qui numerato pretio, munimentis hostium tormenta admouebunt. Suisses

Legionarij, quibus cauandi valli munus incubuerit supra militare stipendium, iuxta periculi aleã, quam ad laborem præscriptum subierint, minori vel maiori ex periculo pecunia dimittentur.

At quia deficiente ære pessum ire militiæ leges necessum est, neque præfectis milites vi cohibere datur, nisi post venditam stipendio libertatem; iussus Schombergus Comes ad ea tempora quæstor, eam diligentiam ærario adhibere, quæ alendo corpori exercitus immenso satis esset: ille bello magis, quàm rationibus aptus, munia duo dispari fato obijt: rationes tractauit infeliciter, hinc militum Schomberg.

Schombergus rem pecuniariam & tormentariam dispari fato tractauit.

questus; præfecturam tormentorum maiorem gloriosè,hinc decus illi, & salus; compensata, vt aiunt, malè habiti ærarij pœna, cum ea, quam bello sibi promeruerat Regis gratia. Indictæ denium preces publicæ, quæ ad singulas excubiarum mutationes ab ijs,qui se ad valla proximo iam applicabant periculo haberentur. digna res est, quam posteritas sciat; valla subituri stationarij, ne incautos mors interciperet,prouoluti per manipulos ad Sacerdotum genua abdicabant in Sacramento penitentiæ noxas, hinc loco vastissimo sistebantur, vnde habitis districtè precibus, signis expansis tympanísque sonantibus ibant ad periculum alacres, vbi neque solatia deerant, contubernalibus ipsis in vallo Monachis, Iesuitis maximè, quorum hoc bello zelus supra fidem magnus,dignus est qui laudetur. *Militum Regiorum hoc bello pietas.*

Intereà nouis delectibus augebatur exercitus,supráque nobiles plerosque, qui vndique aduentabant, Lousierij, Chatelieri-bourloti, San-Viuiani cohortes, quæ tribus hominum millibus constabant exercitui in supplementum ascriptu. his copijs exercitus fortior,muris sensim sinè iactura succedebat, dum opere assiduo valla ad munimenta hostium ducta tegebant militem. nec deerat interim officio Rhonius, magnus ad eam obsidionem tormentorum præfectus; quinimò disiectis à turri rotunda ad portam Niortij munimentis omnibus, indesinèti displosione apertas vrbis domos sinè obstaculo quatiebat, vnde ruina breui vastissima: at quassata oppidani reficere,patefacta munimina aggeribus obstruere,nouúmq; asseribus, trabibúsque *Nouis delectibus suppletur exercitus.* Lousieres. Chatelier-bourlot S. Viuien. La tour ronde. Porte de Niort

inter se compactis murum ducere, quem palea & limo refierciebat agmen feminarum, reparandis ruinis incumbens. Crequius dum vallis producendis, vimineísque dolijs statuendis intentus huc illuc discurrit, sclopeti ictu ad caput vulneratur, vnde diu vitam in periculo habuit, donec maximo omnium applausu cicatrice vulnus obductum. Crequi.

CAPVT X.

EPITOME.

Ad Sancti Eutropii valla Villandrius glande traiicitur. Baro Valiacus vulneratur. Cohortem magnis facinoribus debitam Stissacus ducit. sibi Rex inter æstus incommoda medio prato tabernaculum statuit. producuntur valla. Lousierius erumpentem hostem retrudit strenuè. infelix in turrem Caniotam cuniculus; occisi hic plures, plures vulnerati. occupatur à Regiis agger vnde antè deiecti. Altifontani iactura obsessis grauis deuoluuntur in fossæ imum Lencherus & Rochus vulnerantur Valeta & Paluaüs. Rex se vltrò periculo obiicit. Puibernierum inter & Chatelierum amicos colloquia. præbentur à Soubisio Comestabili literæ. proditoriè in Zametum & alios actum. Mommartinus ire & redire deditionis causa. Regis omnia placito linqui. in formulam sacramento adigi nobiles, per turmas. adiecta dehinc eorum nomina. præscriptus egressus & ingressus ordo in plura capita. Soubisius Regi exhibitus paucis agit; Rex item paucis. Cardinalis Guisius apud Santones

Santones exanthemate obit. de eo, Guisiorúmque virtute pleraque. recensitus occisorum secundùm obsidionem hinc inde numerus.

NOBILIBVS ad valla Sancti Eutropij æmulatoriè secundùm excubias, dimicantibus sæpius sauciati, aut cæsi plerique, quorum iactura grauior; inter eos Villandrius tractandis olim peritissimus armis lethali glande traiectus magno sui desiderio relicto occubuit, Baro Valiacus ducendo vallo distentus, ad brachium vulneratur, quamquam leuiter, glande vix pellem extimam delibante. Nec parcebat labori Stissacus, cui ea parte producendi valli munus datum; floridam ille cohortem duxerat, quæ æstus, laborísque patiens, plura dehinc gloriosè patrabit vt in tempore memorabimus. Quia tamen seu frequentibus hostium eruptionibus, seu Regiorum ignauiâ protelabatur in dies deditio: Rex, quò lubentior miles æstus subiret incommoda, sibi medio prato tabernaculum statuit, vbi infestum sole ardentiore cœlum passus diu, vltrò legionarios impulit ad laborem: orbem sol vnus illustrat, exercitum vnus imperator: nobiles, ipsíque, mirabile dictu, Principes, vbi Regem sub dio ad munia militaria distentum vident, accurrere turmatim ad valla, gloriosáque æmulatione palis, & ligonibus agere; terra vbique pertinaci labore effossa, cumulata humo viminea vasa, gesta demum ab ijs quæcumque conductitiam operam sapiunt, neque conatus irritus; ea enim

Villandry. Barō de Valiac. Stissac.

Villādrius occiditur. Baro Valiācus vulneratur. Stissacus cohortem ducit. Regis in prato tabernaculū. Nobiles, ipsique Principes valla cauant. Productum opus.

diligentia productum vallum, vt medio circiter Iunio, in fossam hostium inductus miles muro successerit. Lousierij ad Talliaburgi metationem laudatus animus, qui erumpentes in vasa viminea, quæ propiùs induxerat hostes, ense vno, reliqua inermis retrusit in fossam, vnde grauiori damno affecti, nihil postmodùm extra muros quod gloriam saperet tentare ausi sunt. Actum diu hinc inde verberationibus, leuiori damno: donec in turris Caniotæ munimen extimum, indictus, quo nec maior, nec profundior antè cuniculus; nec mora subterraneos specus assiduis operibus fodi: iámque ignis in proximo erat vt submitteretur, cùm turmatim accurrère nobiles ad OCCASIONEM; ita tunc appellitabant quælibet belli pericula. Rex nobilioris sanguinis innata sibi humanitate parcus, iubere abcederent à vallis procul primores, nobiléśque; delectu dehinc habito vocari, præstitutóque aggressionis ordine post immissum cuniculo ignem, præmitti primipilum, qui in leuiori manipulo agnouit propiùs ruinam editam, illi à tergo aderat Guitautus centurio, quem sequuti acriter Baro Crius, Lauardinus, Fuxensis Rabatus, Marchio Roulliacus, Sanchomondius, Valancæus eques, Estiorsius, Desplanus, Meynius, Boyerus; ibi conatu irrito pugnatum acriter diúq; ducta quippe interiùs, fossa, aggeribúsque obstructa via, indefesso ab obsessis labore pugnatum; Regijs infesta omnia erant, præruptus agger, vbi dolia ex arte disposita præcisorium munimentum extruxerant, terra item sabulosa, quæ recèns interiecta dissiliens ponebat in lubrico vesti-

Lousierius strennè agit

Lousieres.

Indicitur in turrem Caniotam cuniculus.

Pulueri ad cuniculum inditus ignis.

Præmissus in ruinam primipilus.

Sequuti plerique nobilium.

Guitaut. De Cry. Lauardin. Rabat. Roüillac. Sainct Chomond. Valâcé. Destiors. Desplá. Le Maine. Boyer.

Illis infesta omnia.

gia dimicantium, hostium numerus qui ad eam aggressionem is fuit, vt distentos oppugnationi Regios, trecenti hastati miro ordine vltrò adorti magna iactura in fugam egerint. desiderati hoc prælio Baro Crius & Lauardinus, sauciati Estiorsius, qui infortunatè proiectam in Regios ollam, resina, pice, oleóque confertam vultu excepit, quem inter cruciatus Græca luctuosè flamma depasta est, San-Chaumondus, Roüillacus, Rabatus quamquam hi leuiter: nusquam maiore vi oppugnatio facta, nusquam maiore defensorum virtute repulsa: crudele imprimis fuit artificiosorũ igniũ ab hoste missorum spectaculum, vt totus ille locus in quo pugnabatur è lõginquo ardere videretur; luctuosa erat varia peste pereuntium facies, cùm alij igne correpti, horribili mortis genere conflagrarent, alij ex alto deiecti capite illiso comminuerentur, alij sclopetorum ac tormentorum ictibus discerperentur, quorum capita, ac membra à corpore diuulsa toto aëre circumuolare cernebantur.

Regii in fugam acti.

De Cry. Lauardin. Estiors.

Vulnerati nobiles plerique.

Sainct-Chomond.

Artificiosi ignes magna ab hostibus copia emissi.

Post prandium repulsam passi nobiles statuunt, noua in aggerem oppugnatione, sibi eo loco stationem parare quo deiecti, Pigeoleto Campanicæ cohortis Legato primario, viro experti negotium datum, ille delectu suorum habito, admissis, qui se vltrò offerebant Rabato, & Roüillaco, in hostem proruit; firmandæ nobiles stationi dolia conferunt, pugnáque adortus hostis improuisa, post prælium leue in fugam rapitur: hîc magno sectariorum mœrore occubuere Altifontanus Castrametator, & Nieulius centurio, quorum ille consilio potens, &

Pigeolet Lieutenant Coronel.

Fugati à claustris suis Rebelles.

Rabat. Rouillac. Hautefontaine. Nieulieu.

Occisi Altifontanus & Nieulius.

auctoritate regebat oppidanorum animos; vnde nemo ambigebat, quin subsequuta statim deditio; nisi inter obscura noctis illi parentatum, communique dehinc rumore sparsum leuiter ad tibiam vulneratum, stare non posse in vestigio. vbi mirari liceat, quid vnius etiam capitis euulgata fama iure vel iniuriâ possit, cuius opinione plerumque citra virtutem, ducitur vulgus. Exin gesta segniùs ab hoste omnia, dimicatum ignauiùs, extruendisque intùs nouis aggeribus, intereà dum veteres occupabantur lentiùs incubatum: iam frangebatur vigilijs, dato vix noctis vnius in quietem diludio, rarescebat crebris oppugnationibus miles, aëréque ad æstiuum solem exasperato, pars siti languebat, pars, haustâ affatim gelidâ, profluuium ventris patiebatur, vnde communis lues. Eò itaque deductis rebus, vt neque vltrò aggredi animus, nec propulsandi diutiùs strenuos aggressores facultas esset, de deditione cogitari cœpit, inque eam breui conclusum, nî postridie Rupellâ auxilium adforet.

Altifontanus in vrbe præpotens.

Frasli belli incommodis obsessi.

De deditione cogitatur.

Ducto ad fossam hostium vallo supererat in eam deuolui milites, stationi parandæ: atenim difficile opus, quippe fossa vt profundissima erat, ita præstabat descensum difficilem & periculosum. Espernonius, qui tunc fortè ab expeditione Rupellana aduenerat, eius sententiæ fuit, vt dispositis in accliue fossarum postibus, sensim miles in imum dilapsus dolia secum, saccósque humo refertos traheret, claustro iuxta murum struendo. assensere Praslinus, Bassompetrus, Sanlucanus, & Theminius ad eam oppugnationem. Castrametatores, quorum

Immittendi in fossam vrbis militis consiliũ capitur Espernonio auctore.

Esper-non.

Praslin. Bassõpierre. S.Luc. Themines.

auctoritate rem geri par erat. nusquam periculosiùs composita statio. inducta in pluteum manus armata Lenchero duce, colligatis ad machinam funibus in imum deuoluitur, sclopetarij decem, hastati totidem, primipili duo, cunicularij duodecim, palis & ligonibus fossam subiere; sequutus iisdem ordine & numero Rochus primipilus maior. Stabant hinc turris Alba, illinc Cinericia, vnde displosione continua infestabantur Regij; neque tormentis disiici poterant, nisi obruerentur ruina ad earum radices manipuli; impigrè stationibus parandis vtrimque actum, ibi Lencherus, hîc Rochus ducebant cespite tignísque murum, cùm eo demum glande traiecto lethaliter, quod residui erat muneris soli Lenchero incubuit. Fauolesius Castrametatorum Legatus, Brillemontius, & Fontanus desiderati, Valeta Espernonij filius, primus in Gallia legionum tribunus, vt & Baro Paluäus primus item Regis tricliniarius sauciati, ille leuiùs, hic periculosè ad caput.

Descensus in fossam forma.

Lenchere.

Lencherus & Rochus descendunt.

Roc Sergent maiour. La tour bläche. Grise. Fauoles Brillemont. Fötaine La Valete. Paluäü.

Rochus occiditur.

Marchio Valeta, Baroque Paluäus vulnerati.

Intereà Rex huc illuc ad imperia discurrebat, propiúsque hostium munimentis aduoluebatur, cùm traiectus illi ad latus miles monuit præsentis periculi; at neque minùs ideò progrediebatur, nisi obstitissent præfecti militiæ; precibus primùm, dehinc vbi irritæ illæ, amica vi carissimum Galliæ caput periculo eximentes. Abiturus, turrim Albam diutiùs verberari inhibuit, quia ægrè iam fundamentis consistens ruinam minabatur, quæ sitam in fossa suorum stationem obruebat, vt supra dictum.

Rex vltrò ad periculũ pergit.

Verberationem in turrim Albam quare inhibuerit.

Vix hastę longitudo dirimebat obsessos à Regijs, cùm Puibernierus cohortis in vrbe præfectus, dato

Puibernier.

Puibernierus Chatelierii rogat. habendi colloquij signo, sibi rem esse cum Chatelierο-bourloto dixit; is illi notus, viciniáque prædiorum multis abhinc annis præcarus erat. adesse Chatelierus, & num se intercessore in Regis gratiam redire vellet vltrò flagitare? Puibernierus nihil dum sibi cum Rege, vnum ab amico esse, quod rogaret: ad hæc Chatelierus salua fide, polliceri vltrò quæcumque peterentur: Puibernierus orare, vt exactæ, viuentísque etiamnùm inter arma amicitiæ memor, vxorem, & natos, quos non longè ab vrbe in Castro habet, protegat ab armorum iniurijs, futurum se in gratiam accepti beneficij mancipatum ad omnia. Chatelierus ad hæc dare fidem, neque aliam collatæ gratiæ remunerationem reposcere ab amico, quàm vt reuocata ruinæ præsentis memoria eximat ab imminenti periculo carum sibi caput, dolere se, quòd cui multis nominibus deuinctus est, quémque præcarum habet, certissimo excidio implicitum, videat Rebellioni victimam cadere: quò protelabatur deditio magis, eò acriùs Regis iracundiam concitari, spémque salutis effugere. Puibernierus tentaturum se ad deditionem omnia, si quid in vrbe valet.

Chastelieres Bourlot.

Habentur inter eos colloquia.

Chatelierus Puibernierum hortatur.

Egreditur tubicen prabendis Luynao literis.

Inter hæc, audito ad munimenta hostium tubæ clangore, quęsitum à Zameto Castrametatore, quid peteretur? tubicē ad hæc se ad ruinam exhibēs, commissas sibi à Soubisio literas, quas Luinæo redderet; si commeatus dabatur paratum se iussa exequi. acceptæ literæ Comestabili dehinc redditæ sunt, tractandæ deditionis caussa, an dolo actum id, incertum: quippe dum proloquebatur tubicē egressis ad oram

Zamet.

valli Zameto, Roüillaco, Chatelieró, præfectísque cohortis Picardiæ pluribus, collimatur in eum locum machina, cui statim à re confecta inditus ignis parum abfuit, quin certo ictu discerperet incautos, quos excussus agger operuit humo.

In Zametū ab obcessis perfide actum.

Ad diui Ioannis peruigilium, qui dies est toto orbe celebris, excitati à Regijs in fossa Fani Ioannis lætitiæ ignes, solemníque cantu loco gratissimo festum celebratum. Redditæ dehinc Comestabili à Soubisio litteræ, quibus si Oratori liberè commeare dabatur, submonebat habere se, quod Regi communicaret. re in consilium deducta, placuit commeatum dari. Soubisius Mommartinum mittere, qui de deditione cum Luynæo pacisceretur; at irrita delegatio, quippe Comitiorum auctoritate rem geri petens Regiæ dignitatis Orator expers, hoc responso, dimissus est; NOLLE REGEM SVBDITOS SECVM HABERE PACIS AVT BELLI DIRIBITORES. Ad hæc Soubisius vnam in deditione salutem statuens, remittere Mommartinum: verùm quia indecoras Regi conditiones proponebat, iterum dimissus, hoc addito, si protelaretur extra crastinum deditio, nullam superesse salutis expediendæ rationem. Postera die, paciscendi facultate ad libitum cōcessa, adfuit Mōmartinus quem nobiles duo, municipiíq; rectores stipabant: at neque minùs ideò propositæ conditiones negatæ in pactum deducendæ, salutem subditorum in Regis clementia sitam, dedant se totos illi, aut patiantur penitus expugnari, fossis iam, muris, ipsísque propugnaculis occupatis; nihil noxijs grauius est, quàm eorum arbitrio lin-

Commeatū Soubisius ad deditionem petit.

Mommartin.

Mommartinus ab eo missus remittitur.

Soubise

Negatur in conditiones deducenda deditio.

Omnia Regis arbitrio linquuntur. qui, in quos deliquerunt, nullo tamen inter spem & metum, vna Regis misericordia medio, in eam tandem laxis habenis itum: quamquam diutina fuit Mommartini, Laudrierij Rupellæ Senescalli, Consulúmque altercatio. petebantur conditiones iustæ, quibus tot nobiles obsessa vrbe cederent, neque desperatam adeò salutem, quin protelari adhuc vltra mensem obsidio posset. Regi interim timenda dissidia, quæ in Pictonibus, Aquitania, Narbonensi Gallia, alibíque passim tacitis Secta odijs fouere poterat. constare caro iacturam temporis, Regi maximè, cuius vna præsentia omnia pacat; neque nouum esse Gallo Regi deditas pactis condicionibus à subditis vrbes, reuocanda in memoriam vetera, nouáque Galliæ monimenta, quibus toties cum subditis Reges deditionum pacta subscripsisse feruntur, quoties bello ciuili actum. Luïnæus contrà. Reges inter reliquos mortales, solos esse qui exemplis non viuant: visum olim ex necessitate salutis in conditiones ire, quas salus eadem hodie neget, ita rerum habere vices, quas continua syderum cœlíque mutatio volvit, vt mutentur & ipsæ ex nouis. primam hanc à bello denuntiato obsidionem, futuram reliquarum typum; si propulsando obsidio præsidij satis in vrbe sua statuebant, patêre regressum, rebúsque in integro adhuc, posse eos abcedere. at si contrà (quod nemo ambigat, nisi insipiens, aut vltrò perire volens) eò Regia arma virtus, fortunáque prouexit, vt post triduum aut oppugnatio violenta, aut reste ad collum deditio sperari debeat, quid malùm! deditionis ab ijs pacta posci, qui si hodie

Mommartin. Laudriere Seneschal de la Rochelle.

Conditiones deditionis petentium rationes.

Eas negantium argumenta.

ſi hodie fugiunt, cras non effugient? Regem vti fortunâ ſuâ, imò & iure, dum arbitrio ſuo ſinè cõditione ſubditos ſubeſſe iubet, non aliàs ſubditos, obſeſſos ex re infortunio ſuo vſuros, ſi ad eius genua prouoluti iras deprecētur. Vno verbo vnam hîc de honore controuerſiam eſſe, ſaluis alioquin, ſi quid ipſe apud Regem precibus valet, oppidanorum vita, bonis, & libertate. non poſſe ſinè iniuria ſubditos cum Rege ſuo de gloria diſceptare. His aut ſimilibus perſuaſi Oratores, paratos ſe ad iuſſa dicunt, quando res cum Rege, qui IVSTI hinc ſibi nomen promereatur, quòd omnibus ex æquo ius reddat; ſperare ſe iuſtis conditionibus abituros, qui profligato gratis honore ſuo, Regijs vltrò trophæis adijciant munitiſſimæ vrbis ſpolia, & manubias. Conuocatum dehinc arctius Conſilium, quo Regis ſuper deditione placitum ſcripto exaratum, in hanc formulam.

Subeunt ſinè conditione imperia.

SVPER DEDITIONE FANI Ioannis Engeriacorum Regis placitum.

Nón ea Regi mens, vt pacta hîc cum ſubditis ineat: obſeſſis tamen, precibus enixis eius iras deprecantibus, ea conditione parcit, vt venia exactæ Rebellionis humiliter petita, ſacramento ſolemni in obſequium adigantur, fidémque aſtringant, numquam ſe in Regem prætextu quolibet caſtra deinceps moturos: quæ ſi ita habuerint, vitæ, bonorum, conſcientiæque libertas promiſſa toties, noua ſi opus pollicitatione renouabitur. ſi cui abcedendi

Condiciones deditionis à Rege iuxta placitum conceſſa.

animus, dabitur illi commeatus; reliqua Regis arbitrio ſtabunt.

Poſtera die Laudrierus Regi exhibitus, ad genua prouoluitur ſupplex, eiúſque clementiam inuocans, non dubitare ſe, inquit, quin Engeriaci, ſi cum illis ex æquo agitur, ſuffigi patibulo debeant, qui officij parum memores Dei viuētis imagini Regi maximo reſiſtere auſi. Plura præfatum, Rex compoſito ad manſuetudinem vultu gratè excipit, futurúmque ſe poſthàc rebellionis Engeriacorū immemorem, ſi proniori dehinc obſequio diluetur crimen, vnóque habendos ordine Engeriacos cum reliquis Gallis, ſi promiſſis ſtatur.

Regis reſponſum.

Iuratum dehinc omnium nomine ab Oratoribus in hæc verba.

Formula præſtiti ab Oratoribus ſacramenti.

Nos ſubſcripti Oratores coram Deo in fide promittimus perpetuum Regi obſequium, abdicatíſque quibuſlibet vnionibus, ſocietatibus, confœderationibus, quæ factionem ſapiunt, numquam nos arma in eum conuerſuros, actum in caſtris, ante Engeriaci fanum 25. Iun. 1621. OBSIGNATI.

MONS-MARTINVS.	*Nobiles.*	Mon-martin.
LAVDRIERVS.		Laudriere.
LABAGAVDIERVS.		Labagaudiere.
MASVRÆVS.	*Municipales.*	Mazure.
GRENONVS.		Grenō.

Adacta dehinc ſacramento nobilium fides, per turmas, quo in vrbe militauerant ordine: Laudrierus qui pleroſque ſecum nobiles in vrbem induxe-

rat prædictum cum ijs ſacramentum renouauit, obſignati dehinc.

Laudrierus.	*Laudriere.*
Renatus Talanſacus.	*René de Talanſac.*
Ludou. Regnordus.	*Louys Regnort.*
Carol. Rabionus.	*Charles Rabion.*
Carol. Boufflancus.	*Charles Boufflanc.*
Iacob. Bernardus.	*Iacques Bernard.*
Iacob. Sallignæus.	*Iac. de Saligné.*
Ioan. Gueſdonus.	*Iean Gueſdon.*
Ioan. Artiganouæus.	*Iean Artiganoue.*
Frouartus.	*Frouart.*
Briſſinus.	*Briſsin.*
F. Girardierus.	*Girardiere.*
I. Mercator.	*I. Marchant.*
Loudelierus.	*Loudeliere.*
Viaillius.	*Viaille.*
Veterouineus.	*Vieille-vigne.*
Ægidius Couortus.	*Gilles Couort.*
Gabr. Michotus.	*Gabriel Michot.*
A Stipite.	*De Souche.*
Marcaderæus.	*Marcadere.*
Marmandus.	*Marmande.*
Iarrounierus.	*Iarrouniere.*
Dubelleryus.	*Dubellerye.*

Mon-marin Lau-driere. Lab-gaudie-re. Marre-re. Grand

Creſſonierus dehinc cum manipulo Nobilium ſuo. OBSIGNATI.

Creſſonierus.	*Creſſoniere.*
Boublanus.	*Boublan.*

Buſcouillanus.	*La Ville de Bois.*
Gardæus.	*La Garde.*
Præpoſitus.	*Preuoſt.*
Caſtrarſæus.	*Chaſteau-brulé.*
Crucigalerus.	*Croix-Chapeau.*
A Sancto Fulgentio.	*Sainct Fulgent.*
Soulletæus.	*Soullete.*
Cacaudierus.	*Cacaudiere.*
Campiflorus.	*Champ Fleuri.*
Coutebieræus.	*Coutebiere.*
Richardierus.	*La Richardiere.*
Breullius.	*Breuil.*
Paruifeudius.	*Le petit fief.*
Robertierus.	*Larobertiere.*
Trignius.	*Le Treigny.*
Boirragonus.	*Boirragon.*
Courradæus.	*La Courrade.*
Belliviſus.	*Belle veuë.*
Valadus.	*Lavalade.*
Sognonus.	*Sognon.*
Seudræus.	*Seudre.*
Siluæbraſſanus.	*Boisbraſſes.*
Vallæus pro me & tribus filijs.	*Lavalee pour moy & mes trois enfans.*
Rollieteus.	*Rolliere.*
A Sancto Hilario.	*S. Hilaire.*
Grollierus.	*Grolliere.*
Cultræus.	*Des Couſteaux.*
Pleſſius.	*Le Pleßis.*
Bignonus.	*Le Bignon.*
Pouſſayrius.	*Le Pouſſayre.*

Clouſtus.	*Clouſt.*
Cultriportus.	*Couteauport.*
Anuilius.	*Anuille.*
Venourſius.	*Venours.*
Siſtrierus.	*Siſtriere.*
Begaudierus.	*Begaudieres.*
Pigrerius.	*La Pigrerie.*
Preuillius.	*Preuilly.*
A Sancto Germano.	*Sainct Germain.*
Delhaumæus.	*Delhaume.*
Ferrerius.	*De Ferrieres.*
Santalbinus.	*Sainct Aulbin.*
Iſaacus.	*Iſac.*
Inſulanus.	*Iſle.*
Bucæus.	*Le Bois.*
A ſancto Martino.	*Sainct Martin.*
Vergierius.	*Le Verger.*
A placido nemore.	*Le Bois plaiſant.*
Rupæus.	*La Roche.*
Breuiletus.	*Breuilet.*
Lud. Vouſſardus.	*Louys Vouſſart.*
Romefortus.	*Romefort.*
Nucæus.	*Du Noyer.*
Prato-nouanus.	*Pré-noüueau.*
Sammartinus.	*Sainct Martin.*
Grollæus.	*La Grolle.*
Groiſſardierus.	*Groiſſardiere.*
Rapinierus.	*Rapiniere.*

Viguerius poſtmodùm pro ſe, Legato cohortis ſuæ, ſignifero primario, & nobilibus quos ſecum in vrbem ductarat.

OBSIGNATI.

Viguerius.	*La Viguerie.*
Pandarchiacus.	*Le Pandarchiac.*
Cardonierus.	*Cardoniere.*
Vauræus.	*La Vaure.*
Sauignacus.	*Sauignac.*
Renaudius.	*La Renaudie.*
Lauſſouyoſus.	*Lauſſouyoſe.*
Herſautus.	*Herſaut.*
Cheuillardierus.	*Cheuillardiere.*
Breſſiſus præfectus.	*Le Breßis Capitaine.*
Pleſſius præfectus.	*Le Pleßis Capitaine.*
Mouchæus.	*Mouchée.*
Grangæus præf.	*La Grange Cap.*
Luſerchius Legatus.	*Luſerche Lieutenant.*
Puibernierus, Præf.	*Puybernier Cap.*
Sinus.	*Du Sin.*
Laualæus, Puibernieri Legatus.	*Laualée Lieutenant de Puybernier.*
Fremierus.	*Fremiere.*
Clemencæus.	*Clemenceau.*
Petrarius.	*La Perriere.*
Pourtautius.	*Le Pourtaut.*
Breüllius.	*Le Breüil.*
Marenus præf.	*Marenes Cap.*
Candidus.	*Cande.*
Brechetierus.	*Brechetiere.*
Puichenius.	*Puichenein.*
Crouſillius, Præf.	*La Crouſille Capitaine.*
Pourtautius Crouſillij Legatus.	*Pourtaut Lieutenant de la Crouſille.*
Paruicaſtrius.	*Petit Chaſteau.*

Verdæus.	*De la Verdee.*
Sabinus.	*Sabin.*
Coudrayus.	*Coudray.*
Paillardius.	*Paillardy.*
Cressonierus.	*Cressoniere.*
Poncæus præf.	*Ponce Cap.*
Bregionus.	*Bregion.*
Cheualerius præf.	*Cheualerie Cap.*
Feudocourtetus.	*De fief Courtet.*
Pinus.	*Le Pin.*
Romengonus.	*Romengon.*

Le Cõte de Marinel. Sainct Surin. His Comes Marinellus, Baro Sansurinus, centúmque circa nobiles ascripti, qui prædicto sacramento adacti id omnes, dehinc penè ad vnum peierarunt, adeò parum tuta perduellium fides. Inauditum, quod sciam, tot illustribus viris defensam aliquando in Gallia vrbem, quæ tamen breuiori tempore, supra spem dedita. At quia periculum erat, ne miles in prædam abriperetur, iacturæque memoriâ, quam passus erat, crudeliùs, quod sæpe fit, in abeuntes sæuiret, sne reliquis postmodùm Rebellium vrbibus prauo exemplo foret Engeriacum, placuit præscribi ordinem egressus, ingressúsque in hunc modum. *Adacti sacramento penè omnes peierarunt.* *Præscriptus egressus ordo.*

Ad VI. Kal. Quint. appetente ad crepusculum Modene grãd Preuost die, Modenæus capitalium in Gallia præfectus vrbem subit, vbi locatis ad murorum ruinam portásque, iam ab Engeriacis priùs quàm par esset desertas, stationibus, Lesdiguerium magnũ Regij exercitus Castrametatorem, Espernoniúmque excipit.

Lesdiguerius & Espernonius egressus formam præscribũt.

indagatis illi attentiùs omnibus, lectóque quà præscribendus egressus loco, reliqua in hanc formam edixere.

Prætoriæ cohortis ordines duo subibunt vrbem, portas, ruinásque murorum firmaturi, quà nemini transitum esse placet.

Leges ab us latæ.

Picardiæ, Chatelieri, à sancto Vincentio, & Brissaci cohortes à Niortij porta, ad pomœrij Aulnixij extrema facient ex hastis sepes imperuias, quò in vicum medium nemo prorumpat.

Picardie. Chatelier. S.Vincent. Brissac. Niort. Aulnix.

Extra pomœrium committet se in acies ordinatas exercitus, à dextra hinc in cornu militare, illinc à sinistra in quadrum.

Capitalium interim Præfectus huc illuc discurret, compescendæ Regiorum libidini, violentiæque in egressos inhibendæ.

Præfectis cohortium, Legatis, primipilis, necnon centurionibus idem muneris erit.

Octuaginta plaustra impedimentis, sauciisque militibus efferendis subministrabuntur, quorum si quis adeò malè habet, vt à vulnere plaustrũ pati nequeat, assignabitur illi tutus in vrbe locus, vbi donec vulnus cicatricem obduxerit, in fide publica diuersari possit.

Lesdiguerius in præsidio ducentorum equitum, loco tuto Soubisium sistet.

Lesdiguieres Soubise

Nobilibus, præfectis, Legatis, signiferis, primipilis, quibuscumque demum quid in vrbe fuerit imperij, præbebuntur priuata à Rege diplomata, quibus & tutum esse possit in domum cuique suam effugium & mansio, nullis posthàc Regiorum excursionibus.

ſionibus vexata, ſaucijs exeuntibus præfectus capitalium ſolus anteibit; ſequentur eius legati, & viatores, dehincimpedimenta; & ſarcinæ, quorum iiſdem cura.

Eo demùm ordine ſuccedent obſeſſorum agmina, quem ſibi tuendæ vrbi indixerant.

Vbi ad Regis, exercitúſque præſentiam ventum erit, proiecta in terram cuſpide haſtas trahent, ſclopóſque ſub humeris gerent.

Agmina claudet Soubiſius cum domeſtico apparatu, nobilibúſque, quos in vrbem ſecum duxerat.

Ordinatus in eam formulam diſceſſus prædam inhibuit. Soubiſius legionariorum acies leui phalange claudens, Regiæ ſibi præſentiæ copiam fieri poſtulat: addubitatum diu, quaſi parum dignus, qui Regi exhiberetur; annuente tamen Principis elemẽtia ſiſtitur Regiæ perduellis præſentiæ, vbi poſito enſe, ſacris genibus prouoluitur veniam petens. paucis hîc actum, quaſi eò veniſſet deformitas criminis, vt ſilentio fateri ſe noxium, magis diluendæ noxæ prodeſſet, quàm inani verborum apparatu excuſare. Rex placido ſupra modum vultu proſcribendam à ſe exactæ memoriam perduellionis ſi vita meliore crimen expiabitur.

Soubiſius Regi exhibetur.

Soubiſius paucis cum Rege agit.

Rex item paucis.

Inito prçſidiariorum numero inuenti ſupra octingentos mille ducenti nobiles, non aſcriptis, qui ſecundùm obſidionem vitam inter arma poſuerant: his totidem oppidanorum adiuncti; delecta militum manus, quæ ad ineuntem Autumnum, moratura Regem credebatur. Fuit maxima omnium iactura in Cardinali Guiſio, qui contracto inter mi-

Numerus obſeſſorum.

Mors Cardinalis Guiſij.

litares excubias morbo pestilenti apud Santones fato functus est. Cardinalis ille Diaconus nondum initiatus sacris, vir magni animi, vnóque hoc indicio parum natus ad Regularem vitam, quòd obortam nuper de Charitatis prioratu inter se & Niuernum controuersiam singulari certamine dirimere parabat, nisi obstitisset sagacitas Regis, qui eum in Niuernum Principem debacchatum audaciùs, in arcem regiam misit, donec pacatum dissidium.

Saintes.

De la Charité

Multa ille secundùm obsidionem gloriosè patrauit, Marescallo Galliæ magis debita, quàm Cardinali: quamquam circumferebatur ad ea tempora in procinctu esse, vt rubeum Collegij pileum cum Hierosolymitana cruce mutaret, quod omnium tunc iudicio, Lotharingæ familiæ decori, Ecclesiæ honori, ipsíque Cardinali commodo vertisset. At contrà ordinantibus fatis, qui purpuram Cardinalatus sibi parùm honori duxerat, in purpura moritur: quippe venenum inter militares excubias pestilenter contractum, post depastos infortunati Principis artus, ita in extimam cutem erupit, vt in purpureo corpore, exanthemate quod vocant, finierit. Fertur magno anteactæ vitæ dolore, commendasse Ioinuillio fratri sibi veniam à Niuerno deposceret, memórque charissimi fratris, precibus sequeretur. Sic Christianè obijt, qui si quid magnitudo animi fatis exorandis valuisset, longiori decursu feliciorem vitam egisset: quę illi reditus annui centena aureorum millia erãt, Fecano adhuc puero Guisij filio ex Regis munificentia delata, qui Ioüsæ item nuper Cardinali successęrat; vnde ditissimorum Cardinalium spolia

Cardinalis Guisius in procinctu ante obitum vt eques Hierosolymitanus fieret.

in pueri caput vnum collata, quanta sint, fidem superant: neque id iniuriâ Guisiorum virtuti paratum, Ecclesiæ, Regísque munificentia, quos illa olim zelo feruentiore habuit acerrimos defensores, hic hodie tutissima coronæ suæ præsidia.

Guisiorum laus.

Desiderati ad hanc obsidionem Regiorum suprà nobiles, de quibus antè, ducenti Gregarij, oppidanorum totidem: tormentorum bellicorum ictus ad decem mille numerati; vnde æquatis solo munimentis, exiguus Chateliero, & Atisio supplicum libellorum in Regia magistro, ijs diruendis labor incubuit.

Numerus in obsidio desideratorum hinc inde.


Munimenta diruta.

Chateslieres. Aty.

Omissum suprà ad Engeriacæ obsidionis exordium, Ducem Luxemburgẽsem alariorum regij ordinis præfectum, cùm in phalange instructa, ad Rupellæ agros discurreret, vastaturus rebelle solum, incidisse in oppidanos hinc inde plerosque, qui ad prędia rustica minùs prouidè legendæ messi agebãt, qui demùm à Rege clementer vsque adeò habiti, vt redditis armis & supellectile, dato commeatu Rupellam redierint. Hæc de Engeriaca obsidione.

Dum, expeditione in Engeriacos cõfecta, in Pontios castra mouebuntur, obeamus leuiter Aquitaniam, in quam belli pondus omne per id tempus incumbebat.

Pons.



HISTORIA PROSTRATÆ A LVDOVICO XIII. SECTARIORVM IN GALLIA REBELLIONIS,

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

EPITOME.

Rohaneus, & Forceus Neracum veniunt. de vrbe quadam. de pellendo Senatu consilium captum. Monetur à Pichono Mayennius. Ministri suadent perniciosè populum depulsi vrbe Catholici. Nullo belli apparatu Mayennius Burdigala Cadilhacum venit. Roquelaurus & Albeterra Marescalli copias legunt. inducit cohortem Vigniolius. missus ad vrbem Fecialis magno vitæ periculo sclopis excipitur. Rohaneus & Forceus vrbe absistunt. admouentur muris legiones. inter agnoscendam vrbem Mayēnius, periculo se maximo implicat. Belebati prudens factum. Marchio Forceus Caumontium intercipit. pergit in eum Mayennius. Vignolio obsidii

munus commissum. describitur Caumontium. subsidia in castrum Cheuerrius & Doudiasus vicissim inducunt. datur oppugnationi signũ. adsunt oportunè Barrautius & Ornanus. verba Mayennius hinc, illinc Forceus ad milites faciunt. Mayennius primus irrumpit: vltra fluuium Forceus pater suos accendit ad pugnam. retruditur in vrbem Marchio. immissus in Ecclesiam forte improuisa ignis excidio hostibus vertit. vrbe absistit Forceus. luctuosum editæ ruinæ spectaculum. Neraco erumpit in Regios hostis, laudatur Vignolii virtus. Neracum Mayennius redit. deditur vrbs. Belebati prudentiâ prohibetur præda & incendium.

S. Iean d'Angely. Rohan. cuiĕne. La Force. Nerac. Albret. Bourbō



CIRCA Kal. Iunij Engeriaco Rohanæus in Aquitaniam venit, vbi à Forcæo gratulabundè exceptus, communi voto Neracum ire statuũt. ea vrbs Labretani ducatus, ex antiqua Borboniorũ ditione, Henrico olim IV. præcara fuit, seu quòd ea educatrice adoleuerat, seu quòd genio loci placida est: Senescalli primùm sedes, ex alumni dehinc munificentia supremam Edicti Cameram sortita est; vnde breui in eam amplitudinem creuit, vt non iniuriâ tunc primarijs Aquitaniæ vrbibus adscriberetur, hodie pagus est. Vix subeunt vrbem duo hæc Rebellionis columina, cùm populi degener animus rerum nouarum studijs agitur. Quia tamen nonnihil adhuc auctoritatis Regiæ in Senatu vigebat, initur de pellendo eo consilium; quod neque arduum fuit, vbi vis maior, tyrannicáque potestas vmbratile Regis in

Rohanæus & Forceus Neracum veniunt.

Vrbs Senescalli sedes dehinc Cameræ, fuit.

De pellĕda Camera consilium capitur.

Sectarios imperium iam antè depulerat; adiacebat vrbi castellum, olim Borboniorum Regia, palatium tunc vbi Senatus haberi solitus, in eo Præsidis Catholici domus, cuius tunc Portæus præfectus erat: is à Pichono Præside rogatus, subscriberétne ipse Rohanæorum factioni? respondit, nihil in arce Regia timendum Regijs, eâdem se cum Senatu fortuna victurum, eodem fato moriturum. His se Pichonus suasum simulans, nihil differre nuntium ad Mayennium ducem (is tunc Burdigalæ quartana laborabat) venisse Neracum, stipante Forcæo Rohanæum, vnde sibi, sociísque periculum imminens, nî fortiori potentia firmetur auctoritas Regis, violatam illam, oppresúmque in purpura magistratum, datam sibi quidē à præfecto Castri Portæo, solemniter fidem, sed nec ideò minùs timendum, vbi solemniùs data fides eadem Regi, violatur.

Portæus Castri Neracei præfectus fidem pacto firmat. La Porte. Pichon.

A Pichono ad Mayennium nuntius mittitur. Du Maine. Bourdeaus. Nerac.

Venisse Rohanæum, Forcæo stipante. La Force. Rohan.

Indicta ad crastinū concione, populi conuentus in templo habitus est, vbi Minister, fusè in genere demonstratiuo proloquutus, in ea demum verba conclusit; Maiorem esse libertatis oppressionem, quàm vt silentio tegi debeat, tot fratrum animas adhuc in sanguine palpitantes, tot oppressas contra fidem datam conscientias, tot virginum in prima pubertatis innocentia flores militum libidine temeratos, tot effossa cadauera, vltorem expectare. Adesse zelo plusquàm Machabæo, duos reformatæ libertatis vindices, Rohanæum, in delatam sibi à Comitijs prouinciam progressurum, & Forcæum, cuius hæc Aquitania legem subitura sit, si quid valet: pellendos vrbe procul Papistas, his additæ lacry-

Ministri ad populum oratio.

mæ, quaſi oculis perduellionis gloriam æmulantibus. Commota ad hæc concione, inſtare violentiùs ille, donec populum, Sectarióſque Magiſtratus, ſacramento adegit, renuntiando imperatori Forcæo, ſubeundíſque Comitiorum legibus: nec ipſe quidem Portæus Caſtri præfectus, quem ſupra memorauimus Pichono fidem obſtrinxiſſe, populare crimen euaſit; nam ſuaſus & ille Forcæum in Caſtrum admiſit; depulſi demum Senatores Catholici.

Sacramento adigitur populus, ſectariique Magiſtratus.

Portaus Forceum in Caſtrum admittit vnde depulſi Catholici.

La Porte. Pichõ.

Pichoni Præſidis codicilli, Mayennium quartana laborantem in ſtrato intercipiunt nullo belli apparatu; nihil tamen cunctatus ille, aduerſo ſe Garumnæ commiſit, vndè breui reciprocãtibus Oceani vndis Cadilhacum, vbi tunc Eſpernonius, appulit; ibi iuſſi Barrautius, Ornanúſque à Sancta Cruce manipulatim cohortes legere: at neque illud ita in promptu erat, vt properantem aſſequeretur legio; neque ſolus progredi ſinè dedecore; imò nec ſinè periculo poterat. Placuit conſilium audax in quod ille rebus dubijs vulgò inclinabat. Marmandam poſtridie ventum, vbi cum Senatu Catholico Pichonus ſe obuium ſiſtit; plura de rebellione parantem, modum verbis imponere rogat Mayennius, proditionis iam certior in quam ferebatur; nihílque moratus, Senatum ſequi rogat: atenim præmiſſo qui de deditione moneret Feciali, Roquelaurum & Albeterram Mareſcallos legere interim copias iubet, qui citiùs quàm ſperatum mille & ducentos legionarios, cataphractos trecentos, duo maioris modi tormenta in hoſtem inducunt. Ex aduerſo Vignolius, mille quingentos legionarios armat; cõfluunt-

Du Maine. Garõne. Cadilhac. Eſpernon. Barraut. Sainçte Croix. Marmande. Roquelaure. Aubeterre. Vignoles.

Mayẽnius Cadilhacũ appellit nullo belli apparatu.

Illi ſe Pichonus Marmãda obuiũ ſiſtit.

Iuſſi Roquelaurus & Albeterra copias legere.

Vignolius cohortem floridam legit.

que interim ea frequentia nobiles, vt intra paucos dies composita penè dignitatis Regiæ phalanx, vbi octingenti nobiles, totidem conductitij equites merebant. At neque satis illud obsidio: vasta vrbs cuiúsque propugnacula vix decem hominum millia circumcingere poterant. audax tamen supra modum Mayennius, quatuor peditum millibus obsidionem tentat, non dubitantibus quibus notæ Rebellium in vrbe vires, quin instructa cum Regijs acie prælij aleam experiri possent. redire inter hæc Fecialis, queri se, qui in publicæ fidei sanctitate officio fungi debeat, sclopis exceptum, dum Regio nomine proloquebatur; concitare acriùs Mayennij iras violatum ius gentium: at cùm in procinctu erant acies, vt muris succederent, Rohanæus, & Forcæus firmatis præsidiariorum animis vrbe cedunt, ille delatas sibi prouincias subiturus, hic, in cuius prouinciam agebatur, opitulaturus obsessis. relicti qui pari vrbem imperio regerēt Mōpoulianus Forcæo natus, Castelsiúsq; Vicecomes Fauasij filius. Nec mora succedere vrbi legiones, cauari haud segniter valla, admotísque propiùs vimineorum vasorum præsidio tormentis verberationem iniri: Mayennius indagandis hostium propugnaculis, lecto leuis armaturæ manipulo in fossas vrbis vltrò prosilit, erumpere ad hæc phalanx instructa, lentóque passu progredi: ille viribus impar, quia aggredi temerarium, pedem referre inglorium ducebat, agnitis iam ex voto muniminibus, hærere in vestigio, cùm loricatus eques, ignotus ille, rotulato ad manum sclopeto generosum equum in Mayennij turmam

Adsunt prouinciæ nobiles.

Tentata quatuor peditum millibus obsidio.

Fecialis sclopis ab oppidanis exceptus.

Rohanæus & Forcæus vrbe absistunt.

Admonentur acies muris.

Cauantur valla.

Agnoscendæ vrbi Mayennius propiùs ad eam accedit.

Audax in eum facinus.

Mompoulian Fils de la Force. Castets Vicôte de Fauas.

turmam concitat, lectóque duce, quem non incerto ictu transfoderet, ea audacia admotum capiti sclopetum displodit, vt misso in comam igne vix reliqua dux saluus euaserit: fugientem Mayennius insequi, adactóque iam ad renes vbi lorica deficiebat mucrone, transfodere, nî se promptiùs in suam ille aciem recepisset.

Protelabatur obsidio. Protelabatur obsidio, quia si vnam eximis imperatoris audaciam, deficiebant reliqua: enimuero parum præuisam obsidionem destituebant puluis tormentarius, pilæ, parati arte ignes, & alia id genus; *Belli apparatus deficit.* vnde verberatio diutius intermissa; imò, quod mali caput, deficiente stipendio dilabebatur impunè miles, nullâ in eum ex lege seueritate, nisi post venditam ære libertatem. & (nî Belebatus Huraultius dicendo exercitibus Aquitaniæ iuri præfectus, non expectato Regis diplomate, vectigalem Aginni pecuniam auctoritate propria exegisset, quâ stipendiatus miles) periculum erat, ne desertis à milite signis, incruenta hostis victoria, Regiorum tormenta sibi addiceret: quo facto, quamuis aliàs capitale pecuniam vectigalem sinè diplomate Regio exegisse, habuit & Regis auctoramentum, & publicum liberatæ dehinc prouinciæ applausum, qui tam opportunè eius vtilitati consuluerat.

Belebat Hurault. *Belebati prudens factum.* Agen.

Marchio Forcaus vrbi opitulaturus duo hominum millia colligit. Marchio Forcæus, apud quem nondum planè constabat eò prouectum audaciæ ducem, vt quatuor hominum millibus, vastam, munitámque vrbem inuaderet; monitus extrema iam pati obsessos, in agro Petragorico duobus hominum millibus collectis, quò moueret castra dubius, diu

Perigord.

Forceo Mayennius occurrit. Garumnæ ripam præterlegit, nihil hæres, quin Mayennius prælij æstu, soluta obsidione vltrò occurreret: neque spem omninò fefellit euentus: quippe ad primum rei nuntium Mayennius alas equitum paratas esse iubet Roquelauro, & Albeterræ Marescallis ductantibus, hos mille hastati, sclopigeri totidem sequuti; nec propterea solutum obsidium: Vignolio etenim primo Castrametatori, id à Mayennio impetij datum, vt etiam viribus hosti impar valla tueretur, & machinas. Properanti adest nuntius, interceptam à Marchione Forceo Caumontij vrbem, & nî properè aduenirent subsidia, supremum iminere periculum: arcem non præuiso obsidio destitutam annonâ, & milite. Ad hæc Mayennius, etiam inter ipsa febris incommoda, indefesso labore noctu, & interdiu pergere. Nos intereà qua proditione vrbs intercepta, districtè memoremus.

Roquelaure. Aubeterre.

Vignolio obsidionis incumbit munus.

Nuntius intercepti Caumontii ad Mayennium missus

Caumont.

Du Maine.

Descriptio Caumontii. Caumontium ad Garumnæ ripam quà Aquitania patet, vrbs est magni nominis, Sectarijs æquè ac Catholicis eo tempore habitata, in ea Magistratus municipales Catholicæ mixtim & Sectariæ Religionis quatuor, opima & nobilis Comitissæ à Sancto Paulo Principis illustrissimæ ditio: vrbi supereminebat Castrum genio loci instructum, vbi Comitissa Catholicam religionem professa, imò (vt hoc obiter dicam) penè ad miraculum pia, non nisi Catholicum præsidium patiebatur. Sectarijs Rebellibus ad transitum commodissima statio, eiúsque momenti, vt illius possessores sectarij, nulla fictione Aquitaniam possidere dici possent. At arduum eius expugnatio opus aperto quippe marte tentare

La Cõtesse de S. Pol.

Caumontii Castrum munitum Catholicoque præsidio firmatum.

ridiculum, dolo arduũ & periculoſum: atenim oppidanorum excubiæ quamqãu mixtæ, Regi tamen in ſpeciem militabant, neque Sectarijs eſſe quid in cõſilio poterat, niſi conſcijs Catholicis ex lege municipali. non ita tamen difficile fuit Sectarium corrumpere Conſulem, cui ea die agendi ad vrbis portam excubias munus; numerato item precio coëmpta fides eius qui è ſpecula proſpectans, numeratis procul quæ in vrbem aduentabant capitibus, campanæ prodebat indicio: at quia fruſtraneum erat vrbem ſinè Caſtro intercipi; ſimulatur portandi ad ſalutare Baptiſmi lauacrum infantis, in vrbe pompa; inuitatus arcis præfectus Eſtouruilius nihil nectere moras, quò minùs in vrbem deſcenderet. adeſſe intereà Forcæus ad primum ab vrbe lapidis iactum, quando admonitione intima, corde repentino motu palpitante, Eſtouruilius monitum ſe deſuper credit, nihílque moratus quin pareret deo Geniali, vix ſe colli in arcem applicuerat, cùm auditus ad vrbis portam fragor ingens, cómmiſſo ab ignaris Sectariorum, Catholicorúmque excubijs prælio; at leue illud, conſpirantibus præcipuis oppidanorum in vrbem. Ad hæc Catholici quibus ſuperando colli vires ſuppetebant, in Caſtrum ſe laxa fuga proripere, ſed infrequentior fugientium numerus, vrbe priùs occupatâ, quàm detecta proditio. mutuis inter ſe vulneribus transfoſſi Sectariorum plures, quamquam eiuſdem factionis, quod ideò inconſultò geſtum, quia milites exteri quos ſecum Forcæus ductabat, loci, hominúmque ignari, obuios quoſque non habito delectu aggredieban-

Qua fraude vrbs intercepta.

Corruptus Conſul vigilque ad ſpeculam.

Accerſitus in vrbem Caſtri præfectus.

Eſtouruile.

Ad portã vrbis committitur prælium.

Vulnerãtur mutuis vulneribus Sectarii.

tur vnde necati Rebellium plerique, obſeſſa dehinc arx, vbi omnium penuria erat, maximè commeatus; ſolito in dies ſingulas præfecto, victum ſibi ab vrbe quærere.

Cheuerrius in arcem ſubſidium ducit.

Doudiaſius Caſtrum ſubit.

Nihil ergo moratus Mayennius, præmittit citatis equis Cheuerrium, qui triginta ſecum ſclopetarios in arcem induceret; at neque ſolatio erat frequentia militum penuriâ laborantibus, nî Doudiaſus poſtridie, quinquaginta ſecum militibus, eam obſeſſis annonæ præſidiiíque copiam feciſſet, quæ plus æquo foret propulſandæ donec aduenisſet Mayennius obſidioni. Cheuerry. Doudias.

Adeſt Mayénius.

Adeſt intereà Mayennius, in phalange florida, cuius tamen ſubſidium deficiente legionario in obſidijs leue. Forcæus hæc inter partiri in vrbe excubias, ſummáque contentione in opere aſſiduus, patefacta aggeribus obſtruere, foſſas ducere profundiores, quáque acceſſus in vrbem facilis, aſſeribus doliiſque, compactis clauſtris, paleâ & limo refercire. Tormentum intereà ab arce in eam partem collimatum, vbi conglobati manipuli hoſtium, certis ictibus ſternebat obuios, donec obſcura iam luce incerta verberatio fuit. Immiſſa dehinc à Forcæo patre, qui aduerſa fluminis ripa ſtabat in armis, viginti quatuor plauſtra, vbi commeatus, pulueris tormentarij, globorúmque copia ingens, quibus fortior Marchio, erumpit ab vrbe, compactíſque procul repagulis loca adiacentia munit duobus circiter, præter oppidanos, gregariorum millibus.

Forcæus pater filio Marchioni opitulatur.

Mayennius dubius, opperiretúrne legionarios, quos nô longè abeſſe ſciebat, an alarijs quibus præ-

potens erat vltrò in hostem pergeret, inclinantibus licèt præfectorum in moram sententijs, signa repentè conferri iubet, daríq; oppugnationi signum. sed neque hîc prætereundum quòd noctem, in frigore quartanæ asperrimo ad fluminis ripam, vnâ indutus loricâ exegerat, primóque quo pugnam indicebat crepusculo, exardescebat, eo æstu quem vulgò à corde in partes extimas reciprocans natura emittit. Iam classicum sonabat, cùm nuntius monet adesse Barrautij, & Ornani à Sancta Cruce cohortes, quæ Burdigalâ Neracum ibant: ad hæc satiùs ductum legionarios expectare quò & minor nobilium iactura foret, & æquior pugna. nec mora duo legionariorum millia Barrautio, & Ornano pręfectis adesse, præire Mayennius in hasta nuda, Barrautius à dextra, quà defluit amnis ad accliue collis in quadrum agmen cohortem suam disponere, Castronouanus lectis tumultuariò locis circumadiacentibus copijs collem occupare, hærere in vestigio non procul Ornanus coaceruati agminis ductor. Ortum adhæc nobiles inter dissidium penè excidio vertit: ad primum cornu conglobati omnes, æmulatoriè pugnam primus capessere auebat quisque, seu Gallico ad pugnam æstu, seu natalium splendoris conscientia; imò iam in se mutuò vertebant ferrum, nî Mayennij intercessisset prudentia, qui non habito nominis delectu, hastatos illos, sclopetarijs passim immiscuit. Exin collimata, in claustra hostium tormenta duo, quæ post editam continua displosione ruinam, procul hinc propulsabant obsessos, aut si quem impellebat ad ruinam

Mayenius signum oppugnationi dari iubet.

Barrau. Saincte Croix. Bourdeaus. Nerac.

Barrautius & Ornanus cum cohortibus suis opportunè adsunt.

Ordo oppugnationis.

Castelnau.

Ortum inter nobiles dissidium à Mayennio pacatur.

Tormenta in hostium claustra displodun-tur.

temeritas discerpebant: ex aduerso ad flumen, nauiculis in plutei modum fatigabatur hostis, ne aut hac parte erumperet, aut subsidio ab vlteriori ripa subleuaretur, quærente vadum Forcæo patre, quo transmearet. His ita gestis, Mayennius ad milites verba facturus conscenderat cespitem: at exercitus loquentem exaudire non poterat, vsu aurium ad fremitus duorum agminum intercepto: equo itaque insiliens in conspectu omnium duces, & proximum quemque interequitans alloquebatur, his auitę gloriæ memoriam reuocans, prædam illis, causam Dei omnibus: nec postulare se vt fortiter capesserent prælium, nî omnibus ipse fuisset exemplo; imò nisi & ipse ad primum cornu dimicaret, laxa vbique fuga desererentur signa; quot cicatrices, totidem corporis decora habiturum quemque, immortale decus, gloriam quæ cœlum æquet, futura victorię præmia; hæc se strenuis dicere, qui & proloquenti fortassis crimini vertent, quòd vana oratione moratus pugnę auidos, de eorum animo addubitasse visus sit; hîc veniam petere, quòd temerario ausu tot heroës accendisset ad bellum. Ex aduerso Marchio Forcæus claustra, quibus occluserat ad vrbem aditus, nouis repagulis obstruebat, factóque limo mixtim & palea aggere, reparabat ruinam; consternatis dehinc ad vnum Mayennij nomen militibus suis, temeritaté esse clamabat, quam adhuc pro virtute coluissent: hærerent in vestigio intrepidi, primósque conatus propulsarent, sibi rem hodie cum eo esse, qui vbi primum impetum effudit, amisso velut aculeo torpet; Mayennium quan-

Mayēnius ad milites verba facit.

Marchionis Forcai ad milites oratio.

Du Maine.

tuſcumque ignauis & timidis videri poteſt vnum animal eſſe temerarium,& væcors,hoſtiúmque magis pauore, quàm ſua virtute felicius.vanas illi & exhauſtas,maximè legionarijs acies,raros ordines, extenta cornua, ridiculum eſſe conatum, vbi æquali numero, virtute,animóque maioribus firmantur, quos clauſtra tot,tot munimenta tegunt. Plura parabat, cùm Mayennius dato irrumpendi ſigno, in hoſtium clauſtra primus euadit; haſta illi ad manum, qua in procero corpore, immenſis viribus diſiiciebat dolia humo conferta, & ſi quando conatus haſtæ irritus, periculi immemor, appræhenſum manibus aggerem diſturbabat giganteo conamine. ſequutum acriter nobilium agmen, vallem adiacentem clamore impleuerat, vt reboantibus concauis,millia hominum in ſpeciem exaudirentur,vbi vix legio erat. Hæc inter artificioſi è caſtro ignes in clauſtra iactati damno erant obſeſſis, dum ad vlteriorem ripam Forcæus clangore tubæ,vnde vox exaudiri non poterat, accendebat ad prælium ſuos, adeſſe ſubſidium indicans,vado in præſens aut nauigijs peruehendum: quingenti circa equites erant, quibus ſi tranſitus ad manum fuiſſet, irrita Mayennij virtus illa, quæ portento nobis, nepotibus miraculo futura eſt: enimuerò nihil duxerat potius, quàm vt nauigia quælibet, quæ Garumna defluens habebat, ſecundis, aduersíſque aquis hinc inde longiùs aut agerentur in imum, aut häberentur ab amne procul: imò ne quid ſuorum tutelæ deeſſet vada circumquaque patentia,vbi facile littus, cauatis in profundum arenis obſtruxerat; quò factum vt nulla

Mayennius primus in hoſtem euadit.

Forcæus pater vltra flumen ſuos accendit ad prælium.

Regiorum formidine, spe obsessorum inani, pugna processerit. vnde, vt hoc obiter dicam, imprudens habitus Forcęus pater, qui tempore periculoso, solóque inimico flumen traiecturus, prouidisse debuerat firmando transitui, conuectis secum nauiculis; quô factô, vix prohiberi poterat, quin phalagem suam filij cohortibus iungeret. Barrautius superatis strenuè claustris, quæ viam ad Castrum intercluserant, sternit sibi hàc facile iter, quod ne denuò hostis occuparet, aggere munit. Ex aduerso grauior pugna: iam quatuor horis æquo Marte pugnatum, dubiáque diu fortuna in hostes inclinabat, cùm Mayennius, qui inter æstus incommoda, pulucre affatim hausto, gelidâ fortassis reparauerat vires, pugnam inire acriùs, sequi nouo furore nobiles; nec diu cùm in vrbem retrusus hostis claustra deseruit; indicta dehinc repagula quibus ab eruptione tegeretur miles. Iámque prouecta nox erat, cùm Mayennius qui febre, pugnáque fatigatum corpus, medijs castris somno concesserat, subito fragore discussus, ratus cuniculo euersam arcem, hastam arripit collectóque leui manipulo in subsidium ibat, nî quem præmiserat nuntius retulisset integram arcem, excîtúmque in vrbe tumultum, incertâ adhuc causâ. mitti placuit exploratorem, qui dilapsus sensim in muros euadit, hinc nemine obuio, ad interna munimina penetrat, agnitóque demum effugio hostium, clamat intentiùs: nec defuere quibus hostem insequi placebat, at obscura nox, parum tuta Catholicis regio adiacens, exhaustæque hesterno prælio militum vires, inhibuere facinus. Appetente iam luce agnitum

Parum prouidus Forcæus pater.

Barrautius superatis claustris in Castrum pergit.

Barraut

Retruditur in vrbem à Mayennio hostis.

Implacida fragoris imago Mayennio somni ocium horrore submouet.

Fugiunt hostes.

agnitum, corruisse magnâ ruinâ Ecclesiam; quam ingenti fragore disiecerat pulueris tormentarij copia ingens, loco augusto cum equis impedimentísque coaceruata, quò factum, vt vnâ ruinâ perierit hostibus cum bellico apparatu Ecclesiarum supellex omnis, quam ex rapina malè partam ipsa sibi iure meliori vindicauit Ecclesia. Quo fato id gestum, non apud omnes conuenit, sunt qui miraculo imputent quòd inditus repentè pulueri tormentario ignis, nullo impellente. vltorem Deum, Ecclesiarum prædones in ipsa Ecclesia multare voluisse (nam & supra supellectilem, ruinâ collisi sectariorum plures.) Non abnegabãt alij vindicem Dei manum; rem tamen citra miraculum gestam, defluente scilicet è fune tormentario inter manus soporati militis accenso, ignis scintilla in puluerẽ, quod non ægrè fiat: sed veracior sententia ea fuit, periculo adeò imminente vt effugi mors sinè fuga nō posset, tormentarium ea mensura funem igne indito, pulueri admotum, qui præberet temporis satis ductandis equis, parandóq; effugio, quem demum aduentante Mayennio, qui non dubitabatur quin statim habendis Deo gratijs subiret Ecclesiam, depastus ignis in puluerem tormentarium ageret. At quare tamdiu dilatum effugium, incertum; nisi quòd caligine Deus obduxerat proditorum acies, quo factum vt paratus in hostes dolus in eorúmmet capita resilierit. Triste ipsis victoribus spectaculum fuit, dum discusso aggere, qui operuerat stragem, eruebantur corpora, quibus adhuc in extremis cor palpitabat, plura illa, balteísque auro distinctis illustria, vnde

Disiecta puluere tormentario Ecclesia.

Quo fato id contigerit.

Spectaculũ triste.

Magna hostium strages.

grauioris hostium iacturæ non incerta auguria ducebantur; equi etiam plures educti quorum inflatæ adhuc nares generoso in speciem conamine eluctari velle videbantur; spolia item ampla, nisi quòd ea pulueris copia ingens, lapidésque collisi corruperant. Ita seu Mayennij virtute, seu arte propria, occubuere sectarij, qui munitissimam Aquitaniæ vrbem nullâ iacturâ inuaserant; vnde nî Mayennium vltorem inuenisset proditio, vnâ Regis obsidione arceri poterat, eáque diutinâ & difficili. Plerisq; portentum visum est, tria hominum millia postridie quàm aduenissent, arce instructissimâ depulisse viginti duo peditum signa, vbi supra ducentos bis mille legionarij numerabantur: Regiorum quinquaginta desiderati, Rebellium quadringenti; inter quos Nauarræus præfectus veteranus magnum sui desiderium reliquit: turbatis agminibus laxâ se hostis proripiens fugâ, manipulo equitum leui sternebatur; imò nec deerat Mayennio animus patrando facinori; nî parum præuisum effugium, fatigatus à prælio eques insomnis adhuc, & quod teterrimum erat, nî nox obscura supra modum locorum ignaros solo inimico terruissent. Prouectus ergo non sinè timore Forcæus Marchio postera die Castroialousium venit.

Victoria Mayennii insignis.

Nauarræ.

Marchio Forcæus Castroialousium fugit.

Mayennius inter hæc non ignarus Neraceæ obsidioni pernecessarium se, aciésque suas, appetente ad crastinum luce, iussis præire legionarijs, Neracum iter dirigit. Mompolianus & Castesius vrbis æquâ potestate rectores, fortunâ vtendum rati, quæ se, raro ad obsidiũ hoste tam opportunè offerebat,

Nerac. Mompouillá. Castets.

de eruptione consilium capiunt. habito sexcentorum delectu, feminæ in plateam circa CC. collectæ quibus, dum acriùs pugnaretur ad valla, trahendorum in vrbem tormentorum ordo præscriptus. erumpere dehinc ad primum diluculum, quo fractus à nocturnis vigilijs miles, vulgò laxus agit excubias. neque dum arma capta, cùm occiso exploratore, acti in fugam vigiles. Blagniacus adhæc ordinis in ea cohorte præfectus, qui post exactam ad valla noctem, rarescentibus iam ad solis radios vmbris sacrum audiebat, ratus dimicare adhuc, quos ipse in valli tutelam statuerat, nihil cunctatus, in hasta nuda quò exauditus fragor abripitur, lectóque fugientium hinc inde manipulo, in valla euectus, suorum præsidio destituta videt. non dum hostis nisi cum fugientibus dimicauerat, adsunt recepturi desertum à milite vallum, Blagniacus, & Laterrassius præfectus ille, hic signifer: sequuti ex cohorte plerique manum strenuè conserunt; donec quinque vulneribus saucio præfecto, sclopeti glande ad caput, hastæ ictibus ad brachium manumq; quâ & ipse hastam iactabat, Laterrassio item eò vulneribus, tabo, saniéque posito, vt inferendo, prohibendóque vulneri inutilis foret; de fuga iterum cogitabatur, ni Vignolius primus castrametator, leuem præceps duxisset manipulum quò impellebat prælij moles; redire dehinc fugaces ad prælium, viríque exemplo maximi, qui communi omnibus timore fugiebant restaurare pugnam. Nullo interim obstaculo feminæ, maritis ad valla dimicantibus disturbabāt vasa viminea, quibus tectę murales machinę;

Erumpit in Regios obsessus hostis.

Blagniac.

Blagniacus strenuè agit.

Vulneratur Blagniacus. Laterrasius item.

Laterrasse.

Vignoles.

Adest auxilio Vignolius.

A feminis strenuè actum.

dirumpebant dolia, aggeréſque, quibus compoſita clauſtra, trahebant in foſſam tormenta, miſſóque in puluerem igne, vbi vires labori impares erant, corruptis tormentorum fiſtulis, axes, rotáſque igne abſumebant, tentatis nullo obſtante omnibus; donec Vignolius, retracto in foſſam hoſte Regios ſummo vitæ periculo vallis reſtituit, vnde laus in eum immortalis.

Vignolij virtus.

Ferunt ſuppletas identidem nouis delectibus obſeſſorum acies, dum Vignolius numero impar obſtare non poterat, potuiſſe ad libitum ſæpius inſtructâ cum Regijs acie decernere. Mirabuntur retrò ventura ſecula obſeſſos magni animi viros (nemo enim de Mompouliani & Caſteſij virtute addubitet) valentiores milite, non potuiſſe obſidium ſoluere, vbi fracti vigilijs Regij numero impares vix arma ſuſtinebant. Ad Mayennij reditum deſpondent animos obſeſſi; neque Duci ſatis erat Caumontium retraxiſſe in ditionem Regiam, nî pari quoque celeritate in Neracum ageretur: dicto citiùs colliſa reſtitui, effracta reparari, produci vallum, admoueri propiùs tormenta bellica; cùm obſeſſi, deficiente ſubſidij ſpe, poſitáq; in deditione ſalute, colloquij veniam petunt, datur Oratori commeatus, multa hinc inde irritè in pactum deducta, Mōpoliano & Caſteſio conditiones ſibi indecoras negantibus; donec poſtquā eò ventum vt aut oppugnationis alea, aut ſubeundæ propoſitæ à Mayennio deditionis leges, in id conuentū eſt: Vt præfectura vrbis Catholico cederet, octingentíque Regiorum eius tutelæ excubarent, vſque dum æquata ſolo mu-

Mompolian. Caſtelſ.

Mayenius ab expeditione Caumontij Neracum redit.

Deditionis præſcriptæ obſeſſis leges.

nimina, ipsíque muri, quatriduo de publico alendos milites, vitam, conſcientiæ libertatem, & bona, ſarta tecta oppidanis habenda. his conditionibus illuſtre opibus municipium Regi deditum eſt.

Poſtridie, prid. ſcilicet Non. Iul. ęgreſſis Rebellibus, vrbem ſubijt victor; vbi Legionarij Regij, tacito inter ſe pacto vrbem ditiſſimã prædabantur, nî Belebati obſtitiſſet prudentia, qui re agnitâ, militem in furcam agi iuſſit, quòd poma quæ proſtabant ad forum vęnalia, proteruiâ militari abripuiſſet, ſeuerâ iudicij formulâ, niſi quòd vrbem à præda, & incendio eximebat. Tranſlata dehinc Edicti Camera, quæ diutius illuſtrauerat vrbem, Aginnum Catholicum ad Garumnam municipium, vbi etiamnum hodie perſtat. *Belebati prudentia.* en Garonne.

CAPVT II.

EPITOME.

Neraco Mayennius Caſtroialouſium pergit. vltrò vrbs Regis imperia ſubit. æquantur ſolo munimina. vrbis ſitus. dedita Sectariorum vrbes pleraque. paratur in Poncios à Rege expeditio. Caſtronouanus mille & quingentis militibus vrbem ſubit. habita inter eum & Leſdiguerium colloquia. vrbe abſiſtit hoſtis. ſuccedit Regius miles. deſcribitur Poncium. vaſtandæ prouinciæ Triumuiri Fauaſius, Lanouuius, & Beſſayus Rupellâ ſoluunt. in Eccleſias ſæuitum crudeliter. Praſtinio duce in eos ſtrages. iubetur Guiſius claſſem inſtruere. rebel-

lat Suillium. à Condæo, Comitéque à Sancto Paulo principibus obsidetur, Rhonius nouercam hortatur arcem dedat conatu irrito. munita cis Ligerim Ecclesia à Regiis occupatur deditur Suillium. Coniaci varia proponuntur: expediátne obuias Rebellium vrbes obsidere, an iis prætermissis, rectà Montalbanum castra mouere. relata hinc inde argumenta. Rex Cutraci pleraque de prælio adiicit, quo à patre Henrico, fusus olim Ioüsa præfectus maris. Castillionium, Bergeracúmque præter spem dedita. vrbium & munimentorum descriptio. Ramburius Bergeraci præfectus.



AYENNIVS, cuius virtute intra mensis spatium capta Aquitaniæ propugnacula duo, quæ omnium iudicio valentiorem duplò exercitum, annum prohibere potuerant, sectariorum illicò in Aquitania flagellum dictus est, ira Dei, mortalium terror, LVDOVICIQVE præpotens dextra; nec distulit fortunâ vti, quæ virtuti, quod rarò, tam blandùm arridebat: Castroialousium moturus castra fæcialem præmittit deditionis nuncium, aut obsidij: víxque diei iter emensus erat, cùm obuij Consules imperia ex placito subeũt, saluis vita, religione, & bonis, reliquis in victoris arbitrio positis. æquata dehinc solo propugnacula, quibus munitum oppidum à prorege obsidium propulsare posse credebatur, à Rege toto trimestri sustinere; earum hæc vrbs, quas Sectarij securitatis appellabant, stationario firmata præsidio: regio circumadiacens castris, oppidísque secta-

Castelialoux.

Castroialousium Mayēnius castra mouet.

Obuii Consules imperia subeunt.

Aequata solo munimina.

riorum Rebellium firmata passim, fortiori munimine circumuallabat vrbem, eò loci sitam vt inter Armeniacos, Condomenses, Aquas augustas, Bayonam hodie, & Burdigalam, media, commercio earum vrbium, Hispanicæque negotiationi impedimento foret. perutilis Aquitaniæ, deditio fuit: Castrojalousij exemplo. Monsmarsanus, Tartasiúmque in Labretano ducatu securitatis vrbes, Mediolanum in Aquitania, & plures de quibus postmodùm, vltrò Mayennij accessere victorijs. Monhurtium item ad Garumnam, Pardaliani Boëssij ope regio firmatum obsequio, vrbs ad transitum aptissima, quæ tamen, vt videbimus infrà, parricidio in Rebellium manus iterum incidet.

L'Armagnac. Le Cōdomois. Bayōne. Bourdeaux. Mont de Marsan. Tartas. Albret. Milan. Monheurt. Pardaillan de Boisse.

Castroialensis fius.

Pleraque Aquitaniæ Sectariorū vrbes Regis imperia subeunt.

Per id tempus, expugnato Rex Engeriaco intereà dum legionarij ad Santones leuiori à labore diludio, exhaustas obsidio vires reficiebant, in Poncium instructam arcem, expeditionem parabat: vrbem Comitiorum auctoritate subierat Marchio Castronouanus, Forcæi nepos, mille & quingentis militibus. præmissus Lesdiguierius, Regem adesse monet, exercitúmque, quo valentius nihil, victorijs assuetum, vnam in misericordia Regis salutis expediendæ rationem esse, quam nisi experiatur vltrò, nihil obstare quin vi maiore in obedientiam adigatur. Ad hæc Marchio anxius in varia ferri, hærere dubius inter spem metúmque, opponere quanquam segniter, delatam sibi Rupellano imperio tutelam vrbis, datam à se Comitijs fidem, dedecus quod subiturus sit, si tanto militum præsidio firmata vrbe ne, quidem viso hoste abscedat. obtendi con-

Paratur in Ponceos expeditio.

Pons.

Le marquis de Castelnau.

Castronouanum cōpellat Lesdiguerius.

Castronòuani responsum.

Vrget Lesdiguerius.

tra Regium nomen ſalutem in deditione certam, certius in obſidione excidium: concitatas ſupra modum Regis iras in eius caput, qui Comitia Rupellana iam antè accendiſſet ad bellum: vnum illum diſſidij auctorem haberi & fomitem. His conſternatus Marchio, exitij certus ſi obſtaret, ſenſim dilapſus eſt magno Rupellanorum mœrore, qui delectam mille & quingentorum militum legionem eo animo immiſerant, vt Regem munita vrbs tantiſper moraretur, donec collecta in Aquitania meſſis, laborantes annonâ vrbes nouo commeatu reficeret; dum munimentis intereà quà in Aquitania, quà in Narbonenſi Gallia gnauiter incumberetur.

Abſiſtit Marchio.

Poncij ciuitas antiqua nomine, diuitijs, ædificiorúmque luxu illuſtris, medio monte ſatis aſpero in arcum deſinit, Caſtrum in rupis apice ſitum eſt, cui tunc ea denſitate muri erant, vt plauſtra immania ſibi nullo periculo ſuper occurrerent, Mioſſentij Labretanorũ Ducum gẽtilis opima ditio, vbi numquam olim, niſi ſolus admiſſus; verentibus ſcilicet Sectarijs oppidanis, ne ſi fortior admitteretur ipſe, vellet eſſe arbiter rei ſuæ: hodie vrbis, Caſtríq; pleno iure dominus eſt, æquatis ſolo muris, & munimentis omnibus, quæ circumſtabant. Caſtro nobilis fundus adiacet, centum & quinquaginta feudis nobilibus, quæ à SIRO Poncij pendent (ita loci dominus appellatur) quare, incertum; niſi quòd iuriſdictione ſuprema Regis, quem Sirum dicimus, æmulatur imperium. vetus in vrbe inſcriptio proſtat; ÆLIVS PONTIVS NEPOS POMP. MAGN. TVMVL. Vnde ſunt qui vrbis ab eo Pontio originem

Deſcriptio Poncii.

Mioſſentii ditio opima & nobilis.

Mioſſens.

Poncium vrbs antiqua.

nem ducunt, vt & familiæ nobilissimæ, cui nuper in Gallia à Pontijs cognomentum; vtcumque res se habet vrbs olim magni nominis, armis propugnaculísq; instructissima, hodie pagus est. progrediente bonis auibus Rege, videamus quid interim Rupellæ actum.

Paranda annona nauem Rupellanis instruunt.

Rupellani quibus messis prærepta facultas per strages, quas ferrum & flamma solo circumadiacenti intulerant, Fauasio, Lanoüio, & Bessayo ducibus mille & ducentos homines mari committunt, prædaturos Pictonum plagas. Rupellâ illi præcipiti iam Iulio soluunt, nec longa nauigatio, cùm ad Pictones subeunt malè fidam stationem. ductum hîc ab Ecclesiarum incendio belli exordium, fugati, aut, si obsistebat constantia, iugulati Sacerdotes; Campanæ abreptæ liquandis bello tormentis. Lucioni vrbi Episcopali inualidæ, prædonum manus instabat, cùm auro, pactísque frumenti modijs circa mille redempta vastatio. Iámque parabant oppidani fidem solutione exsoluere cùm Marescallus Praslinius, Dux Ellebouius, & Comes Rupifulcaudius, instructâ phalange in subsidium opportunè accurrũt. nec mora hastæ subijci placuit annonam redemptionis pretium. hinc ad Benedicti fanum deuecta phalanx auditoq; Rupellanos ad maris littus opportuno loco propugnaculum struere, nihil morata, rectà eò pergit: hærere in vestigio Rebelles, arcémque semistructam pertinaciter tutari, donec in fugam actis, qui vltrò eruperant, reliqui in opere suo velut Bombyces miserè occubuere: inter eos Richardeletus Rupellanæ cohortis

Margin notes (left): Fauas. Lanouë Bessay. Poictou — Lusson. — Praslin. Delbeuf Larochefoucaud. S.Benoist. — Richardelet.

Margin notes (right): In Ecclesias crudeliter debacchantur. — Accurrunt opportune in subsidiũ Praslinius, Ellebouius, Rupifulcandis. — Fugatur magna iactura hostis.

præfectus, quæsito diu effugio, in vicinam prorumpebat Ecclesiam, cùm in limine mactator adfuit, quasi & Deus sibi victimam ad Ecclesiæ limen deposceret eum, qui sclopetum in Crucifixi imaginem displosisse accusabatur.

Intereà Rex pridie Kal. Augusti Cogniacum venit, vbi classis præscripto ordine, iubetur Guisius Mediterranei maris præfectus, ad Normanniæ, Britanniæque maritimas plagas, naues bellicas legere, & triremes, ductante Dampetro, à Mediterraneo per fretum Gaditanum in Oceanum inducere: iussus item Espernonius quatuor peditum millia, sexcentos equites terrâ Rupellam admouere, quò nihil Rebellionis capiti, cum Pictonibus, Santonibus, adiacentique Aulnixij solo commercij superesset. Hinc missi à Rege ad confœderatos principes codicilli, quibus de feliciori expeditionis exordio monebantur.

Espernonio cingenda è continenti Rupella datum munus.

Co-gniac. Les ports de Normandie & Bretagne. Dampierre. Le destroit de Gibaltar.

Dum hęc Cogniaci geruntur, Rebellio quam in Sacrocæsareæ deditione trans Ligerim nemo dubitabat extinctam, nouo furore ad Aurelianenses commota est. Suillium vrbs est Aureliam inter & Gianum solo vbere, excursionibúsque percommodo, vrbi Castrum adiacet Regiæ dignitatis, validum illud, cui tunc Busioüs præfectus erat: data Comiti à Sancto Paulo à Suillia, præfectóque nuper solemniùs fide, nihil actum adhuc ab ijs, quod Rebellionem saperet, donec passa suaderi se Suillia, circumiectarum prouinciarum Rebelles in Castrum admisit: neque aliud à seditioso mulieris ingenio sperandum erat, quæ sectæ suæ in Regium caput ad-

Suillium rebellat.

Rebellionē auctorat Suillia.

Sancerre. Sully. Orleãs. Gian. Busiou. La Dame de Sully.

Orual. Rohan. dictissima, Oruallum Comitem, filium sibi carissimum, Rohanæúmque generum habebat Rebellionis auctores; illum in procinctu, vt Montalbani obsidionem sustineret, hunc firmandis in Rebellione Sectariorum animis huc illuc discursantem. Briquemaut. Trinné. Briquemautius minor, Baróque Trinnæus, quadringentis in Castrum militibus admissi circumadiacentes Biturigum, Aurelianensiúmque prouincias prædabantur: donec Comes à Sancto Paulo ex re consulturus, præmisso qui oppidanis Rebellioni adhuc obsistentibus adesset, Barone Courtenayo, tormenta Aureliâ educi iubet, copiásque legit. E regione Castri cis Ligerim pagus erat, cui à Sancto Patre nomen, inuasum illud à Trinnæo, firmatáque præsidio militari Ecclesia, vt positis vltrà citráque fluuium arcibus, nihil nisi tributo penso commearet.

Comte de S. Pol. Cour-tenay. S. Pere.

Comes à Sancto Paulo copias legit.

Crescente in dies Rebellium numero glìscebat audacia, vnde Comes à Sancto Paulo diffidentiâ copiarum, quas iam collegerat, ad Condæum apud Bituriges, Monbasonium Lutetiam, nuncios mittit subsidia petẽs: adesse interim missus à Rege Marchio Rhonius, qui Comitem à Sancto Paulo sequutus, Aubignium venit, oppidum habendo simul colloquio à Condæo lectum, medium inter Bituriges & Aureliam. Ibi de obsidione pluribus actum, in eámque demum conclusum fuit. Biturigibus tormenta duo, Aureliâ quatuor educuntur, missi dehinc tres legionariorum ordines, qui Suillium oppidanorum auxilio subirent. Quæsitum vltimò penès quem rerum in exercitu summa futura esset, Condæúmne, an Comitem à Sancto

Nuncios ad Condæũ & Monbasonium mittit.

Condé. Mon-bason. Berry. Paris. Aubigny. Orleãs.

In obsidionem à Cõdæo & Comite conclusum.

Paulo; diu anceps quæstio: quippe primarius princeps supremam sibi auctoritatem iure sanguinis vindicabat. Contrà princeps item à Sancto Paulo adscribebat sibi iure in speciem meliori imperium idem, paratą in vrbem prouinciæ, cuius ipse prorex, expeditione: tacitâ lege sancitum in Gallia iactitans, vt vnius Regis in prouincijs suis proreges imperia subeant. Ne tamen priuatis dissidijs principum, vt assolet, gliſceret superbia hostium, irétque in pessum auctoritas Regis, iure suo cessit Aurelianensium prorex, permissáque omnis in acies Condæo potestas; qui nihil moratus Marchionem Rhonium ad Suilliam mittit; missus, rogat deditionis conditiones iustas excidio certo præponeret: Condæum, Comitémque à Sancto Paulo principes ijs adesse copijs, quibus obsistere velle loco ad delicias magis, quàm ad obsidionẽ parato, ridiculum: si tormenta inferri sustinet, æquandas solo turres, agendos in puluerem muros, destituendúmque decore suo Castrum nobile. A Suillia Busioüm compellat, hortatur ne se cum Castro miserè perdat, non eam Suillio patri, mentem esse, qui Regi militet: his & similibus tentauit Rhonius Suilliæ, præfectíq; fidem, conatu irrito; seu quòd recèns Catholicum auersabatur, seu inueterato in eum nouercæ odio, quæ ditionem opimam Comiti Oruallo filio carissimo destinabat. Admota cis Ligerim in Ecclesiam, vnde sibi arcem parauerat hostis, tormenta duo, quæ post editam indesinenti displosione ruinam, vi expugnatur, ibi strages maxima; Baro Trinnius, cum ijs quos excidio reliquos fortuna fecerat ad

Iure suo si quod illi erat cedit Comes à Sancto Paulo.

Rhonius conatu irrito Suilliæ Busioique fidẽ tentat.

Busiou.

Expugnata Ecclesia qua Rebellibus propugnaculo erat.

Trinnæ.

fluminis ripam nauigia quærere, instare victores, præreptáque salutis expediendæ ratione, vndis absorbentibus perire malle, quàm ferro; supráque quindecim, quos mitis alueus transnare tulit, periere reliqui ferro, aut vndis. Hinc Castro propiùs succedunt acies: verberationes duæ indictæ; hæc in Castri muros, illa in aream adiacentem. Appetente iam luce displosa magna contentione tormenta obsessos ab area in Castrum propellunt, angustum illud, militúmque numero impar, ibi adiacere cadaueribus semiuiua hominum corpora, quos vulnera, quos tabum perimebat, pollui cuncta sanie, odore, contactu: rebus ergò sic stantibus, vt sibi ipsemet hostis esset longè infensior, qui hostem à Castro prohibebat, certis conditionibus pacta deditio, in hunc modum.

Strages hostium quà ferro quà vndis.

Deditur Castrum.

NOS Henricus Borbonius, Condæi princeps, rogantibus amicis, quæ nostro iam arbitrio subiacebant condonamus obsessis, vitam, libertatem conscientiæ, & bona, si abiuratâ priùs factione fidem sacramento solemni firmauerint. Actum in Castris ante Suillium 19. Iul. 1621.

HENRICVS BORBONIVS.
FRANCISCVS AVRELIANENSIS.

Supremus hîc in Rebelles trans Ligerim labor, exarmatis enim Sectarijs ea parte omnibus, non vltrà bello sæuitum.

Supremus hic trans Ligerim in Sectarios labor.

Supra memoraui Aquitaniȩ vrbes Sectarias post habitam ad fanum Fidei Synodum prouincialem,

Parum tuta Rebellium fides. delegato ad Regem Malereto, fidem firmasse tum oratoris voce, tum codicillis ad Regem, verbis magnificis, at rerum vacuis. Si enim Monhurtium, Mõtemmarsanum, & fanum Fidei eximis, quæ Regem dum vixit Boëssius agnouere, reliquæ omnes rerum nouarum studio actæ. Boëssius, eiúsque gener Theobonus dispari fato perstitere in fide, ille ad extrema, hîc ad minùs felicem Montalbani expeditionem, quasi & peierare licitum mutatâ eorũ in deterius sorte, quibus data fides. Postridie quàm Rex Cogniacum venit, placuit deduci in consilium, belli solo Aquitanico mox ineundi rationem; plura vtrimque agitata; satiúsne foret rectà Montalbanum ire, vbi nemo diffitebatur belli molem, an obuias Rebellium vrbes in transitu obsidere. Quibus ea mens erat, vt nullis obsidionibus medijs in Montalbanum nullà dilatione castra mouerentur, aiebant eam Rebellium in Aquitania vrbium caput esse, quæ vt prælongam Regi ad eas vrbes expeditionem parari autumat, ità segniùs munimentis sibi consuluit, aut subsidio militari; posse incautos intercipi dum propugnacula adhuc infecta, prę-stãt facile obsidionis opus: sparsos hùc illùc per Aquitaniam præsidiarios, quibus vrbem subeundi animus si obsidetur, quos si præuertisse dabitur, vrbem, ad primam tormenti bellici displosionem dedi necessum esse; neque potius consilium, quàm impræuiso vulnere ferire hostem, præuisa animos ignauis addere, vbi etiam strenuos subito metu cõsternant non antè agnita. ridiculum addubitare diruto fundamento, disijci debeat superstructa mo-

Monheurt. Mont de Marsan. Saincte Foy.

In vtramq; partem agitatur quæstio.

De Montalbani obsidione differenda aut accelerãda.

Cogniac.

Accelerandum eius obsidium.

Argumẽta quibus ad probaretur.

les? vrbes Aquitaniæ reliquas vno Montalbano subnixas, si excutitur, eodem casu cum eo ruituras; secùs si dilata ea expeditione, in vrbes obuias castra mouere consilium, expugnandas quidem earum plerasque in transitu, non omnes tamen; ídque si ante Montalbani obsidium in prouincia hibernare mens est: dehinc appetente hieme non posse exercitum tot obsidionibus fractum, quantacumq; hodie alacritate exultet, nisi eneruem, laboribus imparem, fractum & mutilum Montalbani munimentis succedere; notum omnibus Gallorum nimis genium, quàm vt trahi in dubium queat; Giganteos esse conatus quos primùm edunt, vbi diutius dimicatum eneruari audaciam, quam non nisi prima conamina illustrant. Hinc esse in Galliam Narbonensem facilius iter, vbi Chatillonij fides, destitutæ adhuc muniminibus vrbes, consternati ad inopinum Regis aduentum indigenæ, plenam, si fas dicere præstabunt victoriam, etiam ante hiemem. Contrà quibus Bergeracum, Castellonium, Clairacum, obiectósque ad Regis transitum vrbes reliquas, obsideri mens erat. Id esse Regibus cum leone commune, vt obuij nihil, in armata superbia linquant. indecorum Regio nomini vbi in vrbes subditas venit, pati oppidanorum proteruiam, negantem aditus: imò & ad LVDOVICI illustrem iam toto orbe gloriam pertinere, cadat ante eum Rebellio obuia, quam alioquin externi principes ab eo reformidatam sibi persuadeant. Si rectà Montalbanum itur longius iter, cœlo æstiuis caloribus adeò infesto vt interdiu pergere periculosum ab æstu,

Le Languedoc Chatillon.

Bergerac. Castillon. Clairac

Eorũ mens quibus obuias vrbes oppugnari placebat.

Argumenta quibus id inducebant.

noctu ab insidijs, ludicrum esse quod adijcitur, vno casu ruituras Rebelles cum Montalbano Aquitaniæ vrbes, quasi ea sit inter vrbes connexitas, quas XXX. leucarum spatium longius, inuicem dirimit; quasi bellum exemplo geratur. At si eas hodie vrbes remorandi Regis, audacia habet, quid sperandum expeditione Montalbani confecta, si confici eam contigerit? expectaríne fracto tunc exercitu deditio debeat, nihil minùs, præsentem hîc Regem esse, tunc longo terrarum spatio dissitum; luxuriantem hodie militis audaciam, tunc languidam, iustum exercitus numerum, qui desertis eo tẽpore signis, futurus haud dubiè tot obsidionibus impar. expugnãdum Montalbanum, aut propulsandum ab obsidio Regem, vtroque casu nihil timendum Rebellibus, quos Rex in transitu præterierit. capto quippe Montalbano, fractum vigilijs militem, sauciatum, ægrum & languidum prius arma positurum, quàm possit etiam lubens in armis retrocedere; prouectâ iam æstate Autumnum appetere, imminere illicò hiemem, quam Montalbani exigendam obsidio nemo non videat, vtinámque etiam eâ exactâ subsequatur deditio. Quod si contrà, absit omen, propulsari obsidionem statutum Deo, non tãtùm sperari non posse, vt in hostẽ miles regrediatur, quin verendum ne coniuratione aut metu signa deserat; spretâ fortunam, quæ se vltrò hodie Regi offerat, irrito dehinc conatu quærẽdam. Neque obijciendam Regis virtutem, quasi suprà fortunæ aleam sit, vnam esse bellicam virtutem, cui fortuna ius dicat, reliquas supra eam positas; penè hîc

nè hîc certam victoriam, quæ Montalbani in ambiguo posita sit. His & similibus scindebatur in diuersa Regis consilium, cùm ipsemet Rex ad præsens periculum naturæ impetu pronus, differri posse negat, quod militi vltrò fortuna offerat: valida erant in speciem hinc inde argumenta; præualuit tamen ea dehinc apud sagaciores sententia; captis Bergeraco, Clairaco, & quæ superabant à Montalbano in Aquitania vrbibus, leui præsidio occludendos Montalbani aditus, obsidendúmque interim à Mayennio fanum Antonini, vrbem adiacentem, dum Rex cum exercitu suo vltra pergeret in Narbonensem Galliam. Futurum vt hostis leuibus sæpe prælijs ab ineunte Autumno, ad imminétem hiemem fatigatus, fractus vigilijs, deficiente commeatu, & animo, Regia sensim imperia subeat; & si fuerit ad hiemem pertinax; posse in vrbis ambitu non longè à muris hybernacula statui, munimentis Castella propiùs admoueri, quæ vallis in circulum excauatis (lineas communicationis vocant) sibi inuicem præsidio erunt, sic fugere quidem vrbi superbæ datum, at non effugere. lento conamine sterni superbiam hostis, quæ ad præcocem audaciam glifcit. cunctando parari victorias, quarum decus nimia in prælium auiditate dilabitur. eam sententiam omnium optimam rerum euentus docuere; contrà tamen itum, minùs quidem opportunè, atenim nihil hic Regis sagacitati demptum, quippe rerum euentus eâ vulgò tyrannide sibi fortuna vindicat vt virtuti sat esse videatur magna voluisse, bello præsertim, vbi inceptum gloriosè facinus infelix plerúmque exitus claudit.

Montauban. Dumaine. S. Antonin.

Opinio omnium optima ab euentu.

Regina Burdigalã petit. Appetente ad craſtinum die, Cogniaco Regina Burdigalã ſubit, frequentioribus ſub dio metationibus, quã vt poſita ſupra ſexum crebriùs pateretur incommoda. Rex Barbazieuſium, hinc Mongionum, Cutracum deinde venit: reuocata hîc in memoriam clades maxima, quam Henricus olim IV. profligato præfecto maris Ioüsâ Catholicorum factioni intulerat, placitúmque Regi patriarum virtutum æmulo in arenam, vbi commiſſum olim illuſtre prælium ferri; indagato attentiùs loco, diſſeruiſſe pluribus memorant, quid cauſæ fuiſſet, quòd inſtructiore Ioüſa exercitu, fuſus: contra militarem ab eo diſciplinam pugnatum, minúſque quæſitos belli apparatus ad prælium, quàm ad faſtum, radiaſſe auro thoraces ferreos, armillis, criſtíſque comantibus galeas, præpeditos phaleris equos, nimiáque imperatorem audaciâ, non expectatis Matignonij copijs, quæ aduentabant, manum conſeruiſſe, ſeu illum habebat gloriæ libido impotens, cui nolebat conſortem, ſeu ad pugnam præcox auiditas quæ magna perſæpe facinora in peius vertit; ſic perijſſe ſolum, qui gloriæ ſocium habere noluerat. Ex aduerſo pugnatum à patre, quò magnificè minùs, eò glorioſè magis, & ſtrenuè, collocata loco opportuno tormenta, quibus ſinè prælio, cęſæ Ioüſanorum alæ; quæ ſe ad pugnam luctuoſo ſumptu inſtruxerant, quaſi ad nuptias, ferri vnius ab Henrico habitam rationem, ferro tectos milites, ferro pugnatum nihil floccis, ſericóque ornatas haſtas, nudas illas cuſpide acuta, flexili, leuíque ligno, neque coloratos in auro ſclopetariorum balteos, vnde

Rex Cutracum venit.

Multa Rex de prælio à patre olim in Ioüſam hoc loci cõmiſſo …

Quare profligatus Ioüſa.

Quare victor Henricus IV.

Cogniac. Bourdeaux. Barbezieus. Mongioun. Coutras. Ioyeuſe l'Admiral. Matignon.

pulueris tormentarij adictus singulos modioli pendent, pelleos illos, semiustos, reliquas fumo obductos; vno verbo hinc Græcâ parsimoniâ, & fortitudine ab Alexandro, illinc Persico luxu; ignauiáque militum à Dario pugnatum.

Dum his, aut similibus proloquebatur Rex, obuium se sistit Boissęus Pardallianus, quem suprà memorauimus habitâ ad fanum Fidei Synodo, vrbes Aquitaniæ Sectarias, in fide, adhibito sacramento firmasse, humanissimè exceptus à Rege, fani Fidei, & Castellonij Consules offert: iam enim rebellârant vrbes reliquæ; ab illis oblatæ duarum vrbium claues, promissáque in futurum obsequia. Laudatus hîc à Rege Boissæus, qui extirpandæ Rebellioni in Aquitania nihil non mouerat: relatum dehinc, quod omnibus stupori fuit, Bergeracum inter Sectarias primariam vrbem meditari obsequium. ea vrbs ad Aquitaniæ terminos Petragoricis adiacet, Petragorici Senescalli iurisdictione illustris, commercio celebris ad Duranni defluens, bellóq; multis ab hinc annis instructa; diuersis temporibus munita perhibetur; ab Henrico IV. quo tempore Catholicorum in Gallia factio præpotens, Regem insectabatur, ídque propugnaculis quinque, forcipe bellica, medióque ad illam propugnaculo. dehinc ann. M. DC. XV. ad prima Rebellionis exordia, adiecta immani mole propugnacula totidem, cum duobus medijs, quorum vel minimo XL. hexapodum facies erat. XVI. latera, tutaminis lineæ XC. fossarum latitudo XX. passuum, profunditas immensa; ad angulos tormentariæ fenestræ ita dispo-

Boissæus Regi se obuium sistit.

Consules Castellonii & fani Fidei claues Regi offerunt.

Munitum Bergeracii ad diuersa tempora.

Munimentorum descriptio.

sitæ, vt nullibi statio esset nisi patens vtrinque: ex aduerso ad meridiem pomærium adiacet cui à Magdalena nomen medio flumine, firmatum & illud propugnaculis tribus, duobus medijs, ijsdem arte, & mensura; suprema his manus imposita ad Regis aduentum, si propugnaculum vnum, extimaque fossarum munimina eximis, quæ imperfecta adhuc ann. M. DC. XXI. Neque deerant præsidium, commeatus, & arma: quippe ex finitimis oppidis duo prǽsidiariorum millia, mille & quingenti conductitij quos Forcæus in vrbem induxisse circumferebatur propulsaturus ipse obsidionem; frumentum & vina quantum huic militum numero satis ad annum. VII. Regij, quod vocant, modi tormenta bellica, minoris L. pilæ ferreæ, sclopeti, hastæ, aliáque id genus, iustum Regi timorem induxerāt ne periculosa, diuturniórque obsidio foret.

Mag-delaine.

Præsidium armáque vrbis.

Ad V. Id. Iulij Castellonium ventum, ibi Rex à Foresto vrbis præfecto gratè excipitur; Buillionij ditio est, ea obsidione non parum illustris, quam Mayennio olim ad Henrici III. tēpora oppugnante, quadrimestri acriter sustinuisse fertur: ex hinc vrbem nouis munimētis obduxerat Buillionius, dissidij supra primores Galliæ capax. Castellonio Rex, fanum Fidei venit, vrbem, quæ nihil Bergeraco secunda. illi situs in quadrum, lapideis passim turribus muro interiectis; duplex munimētum; vetus illud, hoc nouum, incōcinnum illud pro veteri auorum imperitia, quorum virtus periculis assueta, à propugnaculis abhorrebat; hoc regulare, vt vocant, ductis infelici hoc æuo à Batauorum discipli-

Castellonium deditum.

Castillon. La Forest. Bouillon.

Rex fanum Fidei venit

S.Foy

Berge-rac. Castil-lon. S.Foy. na militiæ legibus. Dicta olim Bergeracum, Castellonium, fanum Fidei Sectariorum ad agros Aquitanicos ambulacra: at rebellauit statim à Montalbani obsidione fanum Fidei, vt in tempore memorabo. *Tres vrbes sectariorum Aquitania olim ambulacra.*

Panis-saut. Panissautus popularibus studijs Bergeraci potens, dispositis in obsequia oppidanorum votis ad III. Id. Iulij Bergeraci nullo apparatu Regem excipit, póstque quatridui morâ firmatam Rebellium fidem, concessâ Ramburio vrbis præfecturâ discessum. At ne prægraui tormentorum pondere oneri cederet pons, cuius non adeò solida compages, vt ferendo esset, iussæ in vlteriorem ripam vi brachij subuehi machinæ. Ferunt eò loci dum de munimi-nibus diruendis agebatur, dixisse Regem; optatum à se vehementiùs, effecturúmque, si quid valet, nihil nisi ad confinia Regni sui munimentorum esse, subditorum corda, arces Regi imperuias satis, si in fide manserint. quæ sanè politicæ præcipua regula, quippe tot in vasta ditione reguli, quot arcium occupatores. *Rex Bergeracum subit nullo apparatu.* Ram-bures. *Memorabile Regis apophtegma.*

CAPVT III.

EPITOME.

Deditis fano Fidei, Castellonio & Bergeraco Rex fanum Bartholomæi venit. ingens ab imbre periculum. magnus erga milites suos Regis amor. Altam vineam ventum. Veraus, Schombergus, Conciliique arctioris

primores Toneinsium non sinè periculo primi subeunt. captum de Clairaco obsidendo consilium. Desplanus irrito conatu deditionem tractat. situs Clairaci. oppugnationum Termesio Contenantio & Zameto datum negotium. Ioinuillius princeps, tresque cum eo Galliæ Mareschalli vrbem agnoscunt. præcox oppugnatio. Termesius occumbit. retruditur in vrbē hostis. Termesio Rex in solatium adest. pleraque hinc inde dicta, laudatur eius virtus. diuisa in oppugnationes duas verberatio. cohortium, aliorúmque ordo. Schombergus tormentorum ex occasione præfectus. primipili virtus & præmium. Regina in edito consistens oppugnationes speculatur. obsessi deditionem meditantur. missi ad Comestabilem Oratores. quid inter eos actum. Sectarii quare tum primum papiliones dicti.

DEDITIS vt supra dictum Castellionio, fano Fidei, & Bergeraco, obstabat adhuc ea parte Clairacum. Iussis Rex præire tormentis sequutus ipse, Amatum, inde fanum Bartholomæi venit, morásque operiendis quæ ęgrè trahebantur tormentis indixerat, cùm militari consilio ex re visum nullâ morâ progredi in hostem, parúm ne tutâ eâ statione, an intercipiendis Clairacensibus incautis, incertum. Ad hęc mutato proposito Rex malis auibus ire, nec proprij consilij expers, nec alieni incapax, quod rarum habenas rerum summo iure tenentibus. Postridie fano Bartholomæi Toneinsium iter indictum; Termesioque, & Zameto Castrametatoribus, visendi

Rex fanum Bartholomæi venit.

Consilii arbitrio Rex contra sententiam suã progreditur.

Castillon. S.Foy. Clairac.

Aymé. S. Barthelemy.

Toneins. Termes Zamet.

interim Clairaci delatum munus, data illis delecta manus, quæ dum munimentis succedit supra fidem est quo periculo implicatur exercitus, ipséque Rex, obluctante genio, aliorum arbitrio progrediens. *In periculũ incidit.*

Vix quatuor milliaria à fano Bartholomæi emensus exercitus, cùm repentino turbine conglobatæ nubes, densiore nimbo, imbrem effundunt tanta copia, vt intra sex horas, inundata planities circumadiacens, nauigiorum capax, torrẽtibus vndequaq; peruia fuerit: neque consistere in vestigio datum; aquarũ violentiâ raptatis militibus quos ipsummet prægraui pondere tegebat ferrum: iam superante militum, equorúmq; infenso imbre latera: progredi aut regredi æquè periculosum loci geniũ ignorantibus; hærere difficile, luctantibus ex aduerso ad vestigia torrentis impetu; ad caput, humerósque desuper, imbre: qui sarcinas ipsi suas vectabant, impares cedebant oneri, proiectis in aquam quorum à vitâ potior illis ratio. Intereà Rex oblatam rhedam parum ipse de se sollicitus aspernari, abnegatísque in cõmuni omnium luctu commodis, queis Reges à plebe differre solent, hinc inde ad pericula abripi, his voce, illis gestu, exemplo omnibus solatia præbens. Subijt inter hæc legionum recordatio, quæ fatigando hosti, agnoscendóque propiùs Clairaco præmissæ fuerant; quas nec dubium erat iam ad milliare ab vrbe prouectas. bellicus apparatus, puluis, funes, glandes, aliáq; id genus, quæ illis ducebantur ad prœliũ intercepta vndis, mediâ hærebãt viâ, vt plaustris trahendis irritus esset equorũ cona- *Ab imbre repentino periculum.* *Proiecta à milite sarcina.* *Rex rhedã aspernatus militibus adest.* *Regis prouidentia.*

tus; vnde progressis periculum imminebat quale nusquam ab eruptione, aut insidijs hostium, inermibus sinè prælio iugulandis, non secùs ac pecudibus, puluis, si quem fortè modiolis suis secum traduxerant adeò madidus erat, vt flammæ incapax ipsissimet magis excidio verteret, quàm hosti. Ad hæc iussi qui Regiæ apparatum mulis maioribus vectabant agasones, peristromata auro mixtim & serico fulgida, preciosam Regis supellectilem mediâ deponere viâ, in quam eâ iam violentiâ ferebatur torrens, vt secum abriperet obuium quodlibet: superimpositus dehinc puluis, bellíque armamenta, quæ citiùs quàm dici possit illata, prouectos imminenti periculo exemere. Dignum imperatore facinus, qui militis salute nihil habet potius: hinc factum, vt legio, quam Rex præire iusserat, ei se salutem & vitam debere professa fuerit. Appetente nocte Altamvineam ventũ, neque enim per imbris incommoda Toneinsium ex animo iri potuit. vocati dehinc ad diuersorium errantes huc, illuc incerto gressu, ídque accensis velut è specula in portu lucernis. Fabulas loqui videar, qui imbrem exprimo penè supra hominum captum, vera tamen relatio, quod nec ignorant quibus iactura supellectilis, merciúmque magno tunc stetit.

Consulturus militi sua proiicit.

Altamvineam venit.

Hauteuigne. Toneins.

Postridie firmati pontes, paratęque, quibus liberè per planitiem commeare dabatur nauiculę, minùs periculosum, quamquam difficile Toneinsium aperuere iter. Vrbem primi subeunt Verçus Procancellarius, Schombergus Comes, Galliæ quęstor,

Du Vair. Schomberg.

quæstor, tormentorúmque ex occasione præfectus, ærarij, quod parsimoniæ vocant, arcarius, quatuor qui Regi ab epistolis, pluresque ex sanctiore concilio, quorum in periculo diu libertas fuit: quippe vrbem Sectariorum nulla causæ cognitione ingressi, nisi quòd nuper Regi fidem dederat, nihil habebant præsidij militaris, quo firmaretur statio, vnâ alioquin hostium fide parùm tuta. Atenim, si prædę ingentis, spes non incerta magnum est ad noxam etiam probis irritamentum, quid eâ vrbe sperandum in quam primores Galliç si diuitias spectes, minori prouidentia confluxerant inductâ secum prædâ, qualem ne quidem à profligato exercitu sperare liceat? Veræus periculum cui se, suósque implicuerat alta secum mente perpendens, habito districtè concilio, quia sensim in vrbem confluebant alarij, stationem ad portas leuem illam, locat, quâ saluti consultum, seu oppidanos ad arduum opus defecit animus, seu quòd ne quidem aduerterant prædam.

Veraus cōsiliique arctioris primarii Tonensium magno periculo subeunt.

Ad vesperam de obsidione Clairaci consilium iniri placuit, quo in vtramque partem agitata iterum quęstio, quam suprà fusè memorauimus, Montalbanúmne omisso Clairaco, eundum rectà, nullis obsidionibus medijs; an obsidendum priùs Clairacum. Vna hæc vrbs prostratæ ea parte rebellioni superstes erat, neque magni apud antiquos nominis, nisi quòd illam firmauerat recèns Rebellio. Factionem iam antè abdicauerat Pujolius vrbis præfectus, vir magni animi, datáque Regi fide tentauerat omnia retrahendæ in ditionem Regiam vrbi, conatu

Montauban.

De Clairaci obsidione consilium capitur.

Puiol.

Puiolius Clairaci præfectus Rebellioni abdicat.

irrito; quò factum, seu Rebellionis odio, seu illatæ sibi à suis iniuriæ vindicta, vt in obsessos ipse, cui loci genius notissimus, perutiliter Regi meruerit. Substitutus illi Santorsius, qui vrbem regeret: designatur in Clairacum expeditio, quamquam sagaciorum sententia in Montalbanum iret.

Designatur in Clairacum expeditio. S.Torse

Postridie, qui in XI. Kal. Sextil. incidebat, collectis iam ab imbre hesterno legionibus & tormentis, castra in vrbem moueri placitum. procurata interim Burdigalâ septem maioris modi tormenta; missúsque Clairacum, qui Mercurium vbique agebat, pacis proxeneta Desplanus: ille primores municipij ad Comestabilem ducit, quorum ea impudentia, vt fidem dixerint non alio precio venalem, quàm conseruatis libertate, muris & munimentis: re ergo infectâ missi tentandis iterum oppidanorum animis, Lesdiguerius & Boissæus, qui demùm tormentis bellicis abacti procul, referunt ab infida Rebellium fide sperandum nihil.

Desplanus deditionem irrito conamine tractat. Desplá. Lesdiguieres Boisse.

Situs Clairaci.

Clairacum accessu difficili, ad collem asperum situm est; circumstant vineæ, quibus genio loci angusti ad vrbem aditus obducebantur: assurgebant hinc inde claustra frequentioribus tunc manipulis quibus tandem non nisi magnâ Regiorum iacturâ excussus hostis. placitum tripartito agmine ea oppugnari: dextrum cornu Termesio datum, sequutâ ducem prætoria cohors; læuum Zameto, medium agmen Contenantio: illum Picardiç, Campaniæ, Bellimontis, hunc Nauarræ, Normanniæ & Chapesij Cohortes, veteranis militibus, sequebantur.

Claustra oppugnantur Ducibus Termesio, Zameto, Contenantio. Termes Zamet. Contenant. Picardie. Champagne. Beaumont. Nauarre. Normãdie. Chapes

mM

Lesdiguieres Ioinuille. Praslin. S.Gerã. Chaune Nondum muris successerant acies cùm Lesdiguerius magnus Castrametator, Ioinuillius princeps, Mareschalli Galliæ tres, Praslinius, à Sancto Gerano, & Chaunius, admoti ad munimina propiùs explorando loco in varias turmas circũequitant: inter hęc Lesdiguerius magno solis feruentioris æstu, adiacentem arboris vmbram subit, vnde castra, metationes, & valla voluebat animo, cùm sclopetariorum delecta manus eò intrepidè, pérgit: ille velut Archimedes in opere mathematico defixus hærebat, aliud cogitans, cùm sauciati lethaliter circumstantes monuere periculi. emissus illicò manipulus leuis, retrusit quidem in fossam primo impetu hostes; at concitatis in prælium cohortium animis indebito tempore, paucorum exemplo, pugnatum ab omnibus, rorariorum, quod assolet velitatione caussam oppugnationi dante: irritus hîc præfectorum conatus, qui & ipsi non nisi in speciem prælium inhibebant. præcox illud cui Rex adesse non potuit ex voto. *Vrbs propius à prioribus agnita.* *Commissum præcoci oppugnatione prælium.*

Non expectato signo, primus in claustra irrumpit Termesius, non antè prætoria cohors sequuta acriùs, non antè in hostem audaciùs ducta; equitabat ille, non nisi ægrè in vestigio consistens à vulnere, quod à pila tormentaria acceperat olim ad tibiam, armáque dedignatus quibus tegeretur, ense nudo ferebatur in hostem, exemplo vltrò & voce, accendens Regios, cùm incautè ad ventriculum petitur glande, ictu satis lento, quémque vt relatum dehinc à medicis, lorica quælibet retundebat. Termes. *Termesius primus in hostem irrumpit.* *Vulneratur lethaliter.*

Ad læuum cornu pari alacritate pugnatum, me-

Zametus strenuè agit. liore fato: Zametus quippe cohortibus suis admotis ad claustra, propulsabat hostem, illi à tergo Vicius aderat in leui ala, sclopigerísque equitantibus (Carabinos vocant) neque ad medium agmen à Contenantio, minori pugnatum audaciâ, actum vbique strenuè, vnaque demùm retrusus die, pugna vnica hostis, (quod magnis ferè obsidionibus inauditum) in munimenta vrbis se recepit, magnâ & ipse militum iacturâ. Ita perrupti aggeres, quorum expugnatio, (si, more obsidijs solito vallis & fossis actum,) in mẽsem omnium iudicio protrahebatur. At vtinam ita lento conatu gestum opus: neque enim cecidisset hoc prælio Termesius, quem innatus Gallis prælij calor abstulit. *Zamet. De Vic.* *Contenantius item.* *Pellitur hostis.*

Rex adest. Intereà Rex qui non nisi se præsente committi pugnam iusserat, adesse propiùs, luctuosíque spectaculi futurus testis in eum fortè locum incidere, quà sauciatis transitus erat ad castra: queri primùm quòd Castrametatores parùm imperij memores, se absente signum pugnæ dedissent; illi causati militem, dùm eruperat hostis, non expectato signo manum conseruisse, irrita dixere inhibentium imperia, vbi aut non exaudiebantur à strepitu, aut ad pugnæ libidinem spernebantur: lætos se tamen quòd eo absente pugna processerit, qui non nisi magno periculo adesse potuisset. Ad hæc describi pugnę initę rationem, triplici actum oppugnatione, Termesio, Zameto, & Contenantio ductantibus cornua pari vbique fato fugatum hostem, vlteriúsque Rex secundùm sermones hinc inde habitos incautè pergere, cùm stipatorum vulnerati ab hostium muni- *Queritur Rex pugnã se absente commissam.*

mentis duo, monuere periculi.

Regiorum plures hoc prælio desiderati; gregarij tamen ferè omnes, si Riuierum Bordeti Legatum, Masotesum, Baronem Maillocum Normannum, Termesiúmque Castrametatorem eximis; quorum hic dolorem exercitus vniuersi, sui desiderio concitauit: triplici claustro hostem excusserat, aditum molitus per aggeres, cùm à læua quâ circumequitans habenas equo laxabat ad pugnam, glande impetitus est; at neque lethaliter, vel si Bubaleum thoracē, qui vulgò ferrei præuius est spissum, ex more induisset: sauciatus in crastinum vixit, non alio quàm Regis solatio, quem & moribundus dum ab eo gratè inuisitur in hæc ferè verba compellat; Nihil se dolere, quòd à vulnere sensim deficeret, optatum à se diutiùs sic mori, qui tanto erga Regem suum affectu vixisset; positam inter arma gloriosè spem vitæ, quam ne quidem hodie reuocaret oblatam desuper, nisi vt pulchrè iterum eam pro Rege poneret; magnum esse, etiam ad Regis absentiam, pro Rege mori; atenim si eius præsentia adijcitur virtutis testis & mortis, viuere denuò qui sic moritur. duo superesse ad quæ fluctuans animus dubius inter gaudia & mœrorem hærebat, Bellegardi fratris hinc, illinc vxoris, pignorisque ab ea charissimi memoriam, luctuosam illam; nisi quòd Bellegardo Rex ipse (absit verbo inuidia) frater erit; vxori maritus, filijs pater, communi fratrem, vxorē, & filios amore prosequuturus. Sibi ex bonis quæ fortunâ parantur, præter vxorem iuuenem illam, præsentíque infortunio imparem, & vagientes

La Riuiere. Masotes. Mailloc. Termes

Desiderati ea oppugnatione.

Iactura Termesii omnibus grauis.

Termesius Regem alloquitur.

Bellegarde.

Cōmendat filios & uxorem.

adhuc in cunis infantes duos supereſſe nihil. Reliqua aut ſeruitio Regis abſumpta, aut eò poſita, vt nominibus alienis diſtrahãtur. concitaret miſericordiam Regiam filiorum eò luctuoſa conditio magis, quòd ſe miſeros neſciebant: victuros eos, ſi quid maiorum exempla, immiſſáque recèns obſequij in eos ſemina valent, in fide coronæ debita; &, ſi parentum exemplis ad mortem filij innatâ virtute rapiuntur, in eadem fide morituros. Ad hæc Rex in amplexus gratiſſimos ruere, ſéque Termeſiæ ſobolis protectorem profeſſus, præceps abire, quia obortas ad mœrorem lacrymas inhibendi animus; quaſi indecoris Regibus lacrymis qui vt ſupra humanas vices poſiti, ita nec debent mortale quid prodere.

Rex ſolatur Termeſinm.

Termeſii laus.

Hîc abundè eſt Galliæ, quòd in lacrymas abeat cui perijt alumnus cariſſimus Achilles ad prælia, in amore Paris, Neſtor ſi quãdo proloquutus: bella apud Germanos, Batauos, Pedemontanos, imò & in Gallia ſectatus vbique: Mauricio Naſſouio in Batauia; Emanueli Sabaudo in Pedemontio, Henrico olim IV. dehinc LVDOVICO Regi in Gallia meruerat, eâ magni animi famâ, vt eius nomen apud exteros in Gallicæ virtutis exemplum traheretur: armato demum in Rebellionem LVDOVICO, dum adeſt vbique ad pericula, fulmineâ glande traijcitur, mirum quòd perierit fulmine, qui ipſe belli fulmen lauris ad gloriam tegebatur. Vir erat ſumma morum elegantia, ingenio illuſtri, ad arma expeditus, aptus alliciendis feminarum amoribus, quod penè illi excidio vertit, dum nobiliſſimam vir-

Allemagne. Hollande. Piedmont. Maurice de Naſſau.

ginem ex Reginæ olim familia in ipsa Regia ad amplexus induxit, vnde nî se fugâ inter obscura noctis proripuisset, ferro vitam finierat: hinc exul apud Batauos diu à Venere, Marti militauit. Dicax idem, Curialésque ingeniosis facetijs irridere solitus, primorum gratiâ floruerat, cuius apud illos memoria in longum præpotens erit. Hæc de Termesio, quæ si non rependisset eius virtuti historia, aut parùm virtutis amatrix, aut inuida dici poterat.

Ad crastinum deductâ in concilium oppugnandæ vrbis ratione, producitur eius in charta descriptio, hîc in varias sententias itū. Regi, & Comestabili placebat in columbarium vrbi adiacens, munitum illud, oppidanísque perutile tormenta duo collimari, quod non incerta displosione disiectum faciliores in vrbem aditus aperiebat: prçualuit tamen duas alibi oppugnationes indici, quarum hæc data Comestabili, illa Lesdiguerio. Intereà prætoria cohors, claustro, immani mole extructo, terram vallo aperit, quod paucos intra dies indefesso labore productum, propugnaculum vrbis, cui à Buillionio nomen, subijt. Ex aduerso Picardiæ, Bellimontísque cohortes claustrum aggere firmant, Campaniæ legio iussa viam occupare, stationem repagulis claudit, dum Pedemontij, Normanniæ, Nauarrę, Chapesiíque viam è regione publicam, quâ recèns hostis deiectus, muniebant.

Oppugnationis forma in concilium deducitur.

Duæ verberationes indictæ.

Bouillō Regimens. Picardie. Beaumont. Champagne. Piedmont, Normandie Nauarre. Chapes

Ad Comestabilis oppugnationem merebant prætoria excubiarum, Pedemontij & Normanniæ, vbi octo circa hominum millia, Lesdiguerio aderant Picardiæ, Nauarræ, Campaniæ, & Chapesij

Dispositæ ad verberationem cohortes.

omit

cohortes: ibi Praslinius & Chaunius Marescalli, Praslin. Chaunr
Hîc Ioinuillius, Marescallus à Sancto Gerano, Ioinuille.
Contenantius, & Zametus regebant ex voto militiam. S.Gerã. Contenant.
Trans Oldum, quò vrbs alluitur, iussus Dux Engolismensis cum alis equitum, Bellimontísque cohorte stationem locare quà subsidio in vrbem via facilior erat munus ille impigrè obijt, vt est promptus ad arma, bellóque, si quis in Gallia, expeditus & sagax. Zamet. Lot. Beaumont.

Engolismẽsis vltra fluuium.

Bello expeditus.

Lesdiguerij valla ad Kal. Sextiles primùm cauata, assiduóque exin labore producta, medio circa Augusto, Rohanæi propugnaculo instabant, quando placitum obduci ea Castello, vnde dehinc ex transuerso per anfractus, ducta valli in fossam linea, quæ dum opere assiduo fossæ succedit; ex aduerso ad Comestabilis oppugnationem producit vallum Gamorinus Italus, acerrimíque opifex ingenij, qui ex Reginæ matris domo Regi militabat. Gamorin.

Producitur vallorum opus:

Gamorinus Italus magni ingenij opifex.

Medio flumine assurgit agger, quem continua rupes ab vrbe in vlteriorem ripam porrigit, tignis oppidani, superstructísque lapidibus, demissum naturâ opus, arte in altum euexerant, mittendæ ripam versùs in molendinum aquæ. Ad ripam vlteriorem exstat veteris Abbatiæ maceries, cuius fundamenta olim à Carolo magno iacta perhibentur: intercludendo Regiis hac parte aditu, ruinam Abbatiæ veterem, vicinásque domos satis arctè firmauerant oppidani: quibus expugnatis, placuit disturbari aggerem, eo animo vt superimpositis ad rupes postibus sterneretur in vrbem via facilis, porrectúsque in latum fluuius longiùs ab vrbe aquas molendino Charlemagne.

Rupes medio Oldo assurgunt.

dino ſubduceret; geſtum vtrumque ex propoſito.

Circa Kalend. Sextil. erumpens in Regios magnâ audaciâ hoſtis, retruditur non ſinè regiorũ iactura; tympaniſta dehinc egreſſus, legati cuiuſdam, qui prælio occubuiſſe credebatur cadauer expoſcit; at, quæſitum illud diu, nuſquam inuentum eſt, exiſtimantibus pleriſque dilapſum eum inter prælium, quod non ægrè fiat, quaſi eò deducta ſpe obſeſſorum, vt citra vnam Regis miſericordiam deſperata ſalus. Dehinc redintegratâ verberatione Kalend. Sextil. ſexcenti tormentorum maioris modi vna die ictus numerati; trifariam diuiſa diſploſio, quà amnis in imum defluit, quà Toneinſium hinc, illinc quà aperitur Aginnum, V. ad quãlibet oppugnationem tormentis, quorum præfecturam obibat, magna laude Schombergus, ad Marchionis Rhonij abſentiam, qui lubens à caſtris abeſſet, an iuſſus, non probè mihi conſtitit, niſi forſan quòd Rebellibus tunc patre, agnatíſque, parùm tutæ fidei habebatur.

Dilapſus inter præli. legatus.

Triplex verberatio.

Ton-neins. Agen.

Schombergus tormentorum præfectus abſente Rhonio.

Rhony.

Poſtridie Rex oppugnari hemicyclum iuſſit; nec dum claſſico emiſſus miles, cùm primipilus virtutis ad Regis oculos edendæ conſilio, delecto ſclopigerorum manipulo, quà viam in vrbem faciebat ruina proruit; placuit alacritas viri, Regi incauto, qui nec clamori parcens: ad circũſtantes conuerſus; Hem quâ audaciâ, inquit, Quercetanus (hoc primipilo nomen erat) in hoſtẽ abripitur; mirantibus qui aſtabant memoriæ felicitatem, quæ ipſoſmet primipilos, gentem vulgò ignotam retinebat, iuſſit Rex referre pedem, qui ſtationi iam incumbebat; ate-

Quercetani primipil virtus.

Le Cheſne.

Pedem Rex referre iubet.

nim prædominante propugnaculo Buillionio, ex- *Bouillō*
cidio Regijs vertiſſet victoria. exin rogatus ille, quid
Primipilus viſa refert. ab hemicyclo interni muniminis foret, adiecit deſertum conſultò ab hoſtibus locum, quo parari ſtatio non niſi ſummo periculo poterat; hemicyclo imminere à tergo foſſam profundiorem, & latam, quam crebri aggeres, doliares munitiones, & clauſtra diſtinguerent, neque in hemicyclo plenam eſſe victoriam, nî diſploſione priùs continuâ, diſiecta adiacentis propugnaculi moles: cetera vallis, cunicuíſque in plano eſſe: magnâ dehinc Regis ipſius laude, aureíſque centum dimiſſus eſt.

Regina loco commodo oppugnatione videt. Collis vrbi adiacet, quam Regina, muliebríſque Regiæ apparatus, videndæ oppugnationi ſubijt ſemel ac iterum; diſpoſitis mirâ arte, loco aſpero ſedibus, opertóque à ſole veteranis quercubus cœlo, ne feruentior Caniculę æſtus, cœlo exaſperato corrumperet vultus. Hæc à Regijs. obſeſſis ex aduerſo, ſeu virium, ſeu mutuâ inter ſemet diffidentiâ, agen-
Segnius ab obſeſſis actum. tibus ſegniùs. Inualuit in vrbe rumor cuius auctorem Comeſtabilem facit veræ relationis auctor; oppidanorum pleroſque, pecuniâ numeratâ, libertatem municipalium, conductitiorúmque vitam
Quare id. Regi vendidiſſe; illi contrà vnâ Rebellione noxij, iniuriâ ſe poſtulatos queſti, crimen in delatores retorquere, vnde gliſcebat ſenſim in vrbe ſeditio, cùm Sauuagio ſuadente (is magnæ in vrbe auctoritatis *Sauuage.*
præfectus Regi fidus) deditionis conſilium captum
Capitur de deditione conſilium. ſaluis libertate, vita, & bonis. Impetrata demum colloquij facultate, primus municipij rector habere ſe dixit, quod Engoliſmenſi, quem colebat im-

pensiùs, communicaret: habitísque hinc inde colloquijs proditum, subscripturos deditionem oppidanos, si salua forent, de quibus inter se iam antè conuenerant, libertas, vita, & bona. Datũ Desplano negotium, ille ire, redire sæpius, negatísque in pacti formulam conditionibus, vt apud Engeriacos iam antè, clementiam Regis opponere, de salute addubitantibus. Dato postmodùm ad Comestabilem delegatis commeatu, rogant deprecaretur noxijs Regis iracundiam, quando hęc vna salutis expediendæ ratio foret: paratos se vt iussa subirent saluâ vrbe, quam si æquitas damnabat ad prædam, eximebat clementia. Nihil cunctatus Comestabilis patêre regressus viam dixit, facesserent procul à conspectu, aut nullis conditionibus, genibus Regis prouoluerentur in cuius misericordia plus præsidij obsessis foret, quàm in munimentis quibuslibet: dilationem noxiam esse, eóque pœnas magis accrescere, quò protelabatur deditio, vocato ad maiora Rege.

Despla.

Missi ad Comestabilem Oratores.

Neque hîc omitti debeat quòd secundùm obsidionem erumpentibus sæpe hostium manipulis in carbasea veste, dum huc, illuc nullo periculi metu volitabant, Papiliones vocatos; quæ dicacitas nullo quod sciam acumine, eo omnium applausu excepta est, vt Rebelles postmodùm, communi assensu Papiliones in Gallia dicti, nescio an hinc ductâ formulâ, quòd volatu in lucem incauto abreptus papilio, cadit ignis victima, dum nimio ausu circumuolitat, quod Rebellibus Gallis vtcumque conuenire videatur, dum in Regem feruntur, imperij lumen & columen; nisi quod vęcors animal in lucem, amore

Parpaillols.

Sectariis hic Papilionum denominatio obtigit.

abripitur, Sectarij perduelles odio in Regem; vtcumque est ab eá obsidione ductam Papilionum denominationem nemo neget, quam & audio apud exteras nationes pari omnium suffragio exceptam; adeò ignarum vulgus nulla causæ cognitione, iure vel iniuriâ in noua fertur.

CAPVT IV.

EPITOME.

Clairacum Regis misericordiam nullis conditionibus subit. pathetica Ministri Clairacensis ad Regem oratio. Lesdiguerius vrbem ingreditur. sequitur Comestabilis. lex Regis arbitrio rebellibus dicitur, damnatis ad furcam quatuor, supplicio eximitur alter. Consul humerali purpureo, patibulo suffigitur. præda inhibetur. seditioni conuitia causam dant. diuersa hîc multorum sententiæ. Veræus moritur. describitur eius virtus fortunáque districtè. retunditur in eum calumnia atrox eius testamentum, legata, paupertas. vsurpata à Luynæo sigilla. parum gloriosa parlamentorum silentia. dignitatis affectata prætextus. calata edicta qualibet nullo iuris aut iniuriæ delectu. deduntur Regi vrbes pleræque. Mayennio datum id muneris vt circumiectas Montalbano vrbes sectarias obsideret. scribit perhonorificè Tolosano Senatui. scribit item Rex. instruitur Tolosæ bellicus apparatus. Caminadæus præses Regem à Senatu salutat. salutant ab vrbe municipes.

TANDEM ineunte Augusto Regis misericordiæ totos se dedunt oppidani, Oratoribúsque ad eius genua prouolutis in hunc modum Minister proloquutus est.

Deditur Regis arbitrio Clarracum.

Habes, Rex magne, genibus aduolutos eius vrbis Rebelles, quam proditionis torrens vanâ Religionis imagine, in perduellionē recens abripuit; adsunt ijdem illi, quos væsanus furor in Regem suum armabat modomet, eius iras deprecaturi; qui non nisi nostro omnium excidio IVSTVS esse potes, ab-lica sanctissimę virtutis elogium, futurus CLEMENS: uāquam simul IVSTVM & CLEMENTEM esse dabi-ır: neque enim se mutuò extrudunt virtutes sororia ıuicem caritate cōiunctæ; vitam afflictis condo-ans, CLEMENS insimul eris & IVSTVS: CLE-ɪENS, quia perduellibus concessa vita: IVSTVS, uia victuri dehinc nullis vitæ delicijs, exactæ Re-ellionis conscientiâ, tortore interno diuexabimur: quidquid id est IVSTI, aut CLEMENTIS arbitrio damus, libertatem, bona, & vitam; tibi vni imperium, nobis vna obsequij gloria stabit: tibi linquitur CLEMENTEM esse an IVSTVM: ad pœnas tua nos deposcit iustitia, quas iam antè experti quid grauius timendum restat ab excidio vrbis nostræ, à vastata ferro prouincio: absumptis reliquis vna nobis libertas superest, vita vna, quæ si adimis, nec adhuc erit quod iustitiæ fiat satis, maiore crimine quàm vt possit vitâ expiari. at absit omen; absit cum Israëlitis nos dicere DEVM VIDIMVS ET MORIMVR, quin potiùs viuemus felices, quia Deum Galliæ tu-

Ministri Clarracensis ad Regē Oratio.

telarem viderimus, erit nobis ſacra Regis præſentia aſylum, cui libertatem, bona, vitam, & ſi quid ſuper eſt debere nos fatebimur. Hinc religionis noſtræ in eum elogia ſempiterna, hinc vota & preces, quibus nocte & interdiu fatigatum numen dabit poſteris exemplar LVDOVICVM IVSTVM, non virtutis modò, ſed fortunæ, eiúſque felicitatis quæ ſupra captum eſt. ADHÆREAT poſthac LINGVA FAVCIBVS NOSTRIS, ſi quid in Regem loquimur, DECIDAT A COGITATIONE SVA INANIS, quiſquis in eum aliquid meditabitur, OBLIVISCAMVR DEXTERÆ NOSTRÆ, ſi tui aliquando obliti Rex maxime! Quid malùm? Regem vnctum Domini non impensè colimus, qui omnium commodis, aſſidua contentione ſtudet? qui æquabili iuris inter ſuos diſpenſatione, omnium beneuolentiam ſibi demeretur? ad quē populi ſui, bona & mala adeò ſpectant, vt non aliâ menſurâ ſibi mœrorem, aut gaudia ſtatuat, quàm infortunij, aut felicitatis quæ populum habent? Si vita, Regia nobis deſtinatione ſuppetit, vnum eſt quod te, Rex magne, exorabimus, ſi quid preces enixæ valent, vt perduellionem exactam, fide, obſequióque non dilui modò patiare, ſed & obliterari; neq; enim nobis vita amabilis, quam perduellionis etiam anteactæ memoria faciet noxiam; pereamus ad internecionem vltoribus flammâ & ferro, nî quemadmodum hucuſque perditiſſima fuimus Rebellionis ſimulacra, ſimus dehinc inconcuſſæ Regiæ auctoritatis columnæ, hîc nobis vnus obſequij animus, &, ſi auſim dicere, hæc vitæ ſpes vna.

Placuit Regi, non inconcinna Ministri deprecatio; & Benè, inquit, consultum vobis, dum misericordiam experiri satiùs ductum, quàm armatum furorem: grata hæc fides, quam multo verborum apparatu ad id temporis rerum vacuam expertus, vix à vobis sperare ausim, cui anteacta obuersari palàm est. Intereà sistite vos officio vestro, postridie placiti formulam à Comestabili accepturi, ita Rex districtè, vt assolet. *Ministro Rex districtè respondet.*

Imminente ad crastinum luce præscribendo exitus ordini vrbem Lesdiguerius subit. sequuti prætoriæ cohortis ordines duo, Regio portas præsidio firmant: subsequutus Comestabilis, obuios extra vrbem Consules habuit, Santorsiúmque (is præsidiariorum in vrbe præfectus) illi claues vrbis suæ offerre, hic ensem, quo summũ illi in vrbe imperiũ. Rogatus dehinc quid à Rege statutum de vrbe. primùm accusare proditionem, exin audaciam, quæ victorem, fortunatúmque Regem sistere ausa, vix flammis expiari possit; inauditum esse, eius aliquando nominis Regi rem fuisse cum subditis ea libidinis impotentia perduellibus. excîtas vsqueadeò Regis iras, vt nisi intercessisset ipse aratrum passa vrbs sale, & cinere conspersa, in sectæ opprobrium foret. Impetrata oppidanis vitam, bona & libertatem, si factionis capita eximas, quæ ex æquo præcidi placet: non decimandas vt olim legiones, fortunâ tunc vltrice, magis quàm iure; non plectendos præfectos, quos forsan auctores dissidij, legionũ redemptioni deceat esse victimas; quatuor capitibus, iísque vrbi (si quid sapit) inuisis litandum Regi, reliqua saluæ

Lesdiguerius vrbem subit. *Sequitur Comestabilis.* S.Torse *Claues vrbis Luynao oblatæ.* *Perstringit audaciam.* *Deposcit ad mortem quatuor.*

esse, si abdicatis quibuscumque cœtibus illegitimis, vnius imperio Regis subiaceant, pridiéque à Ministro dicta exequantur.

Eorum nomina in scedula exhibentur.

Hîc peroratus alto omnes timore defixit, quippe sibi quisque iudicium timebat perduellionis conscientiâ, quâ rei omnes: at ne diutiùs in suspenso animi, exhibetur charta quæ in placiti formulam deposcebat morti Dionysium Consulē, Farguæum patrem Neraceæ Cameræ procuratorem, Farguæum filium Ministrum, Poyum Medicum, viros sectæ addictissimos dissidiíque supra fidem capaces: actus in furcam Dionysius humerali purpureo, togáque Consulari; Poyo data eo momento venia, quo in scalam euectus iam iam librabatur in aërem, Dionysius cōcitatis oppidanis, Farguesij Pater & filius à Neraceа obsidione, inductis cōtra fidem datā præsidio & armis, iusto Regis iudicio in furca finiere: sed alius hîc Minister, ab eo qui pridie habitis ad Regem verbis sibi eloquentiâ promeruerat gratiam. Præfecti capitalium prudentia inhibuit prædam; quippe vrbem manu viatorum stipante circumequitans, vicos, plateásque firmabat præsidio, ne occasione peccandi abriperetur in licentiam miles. nihil à Regijs in vrbe actum, quod hostem saperet: atenim egressos sors luctuosa egit ad mortem. Concitatus iracundiâ ad Termesij memoriam miles Regius, sibi persuaserat vastandam ferro, & flamma vrbem, iugulandósque ad Termesij rogum præsidiarios velut gladiatorum paria: at obsistente Regis clementia, tacita in abeuntes factione conspirant. Re agnita Comestabilis, firmare legiona-

Denis. Fargues pere. Fargues fils. Poy.

Cōsul Magistratura insignibus in furcam actus.

Poyo in momento vltimo vita data.

Præfectus capitalium prædam inhibet.

Iugulandi hostis consilium à milite capitur.

gionarijs vrbem, patibularias furcas ad vicos dispo- *Aionius Comes: lis malo prospicit.* nere, vetare ne vrbe decedens miles, medio exercitu vt assolet transmitteretur, quinimmò paratis ad Ol- dum nauigijs iussus in aduersam fluminis ripam ta- (Lot riuiere.) citè transuehi incautis Regijs. Ad hæc ferri tumul- *Iniuriis hinc inde à militibus actum.* tuariò ad flumen cohortes, hosti primùm verbis il- ludere, PAPILIONES adustos vocare, imbelles qui va- (Parpaillols.) lidissimâ vrbe vno timore cesserint: illi militari pro- teruià parũ infortunij memores, iniurias retorquere in Regios, solitáque dicacitate Rauialiacos dicere, nõ (Rauaillacs.) priùs tamen quàm eos medius iam habuisset alueus. Funis erat ductarius, quem trochlea facilis, rudenti in vtrumque littus protenso duobus ad ripas vlte- riorem & citeriorem palis nectebat, quo nullo pe- *Præcisa rudens in flumen præcipites agit.* riculo commeabant in vtrumque portum nauigia; quærentibus Regijs vltionis modum, occurrit ru- dens, qui præcisus, nullo remigio præcipites egit in defluens, vnde in molendina lignea, scopulósque acti, miserè vndis magna ex parte absorpti sunt; qui in ripam citeriorem salui euaserant iugulati ad lit- *Iugulati à milite plures.* tus; qui in vlteriorem, post repressam seditionem, Regis imperio Aigulioniũ incolumes deuecti sunt. *Reliqui Regis imperio salui Aigulionium deuecti sũt.*

(Aiguillon.) Qui de obsidione Clairacensi scripsit anony- mus, dissidij causam eò refert quòd armatum con- tra deditionis leges militem, facto impetu Regij dearmassent, vnde is reliquos etiam inermes timor habuit, vt in nauiculas turmatim elapsi eas impares ponderi in imum egerint: quæsitam in fune traiec- *Quæ fuerit seditionis causa non apud omnes conuenit.* titio salutem, ad quem XXX. penduli, præciso fu ne decidêre in imum. Contrà expeditionis Regiæ relatori placet displosionem è longinquo victorum

alacritatis indicium, vel, quod assolet, sclopis exonerandis factam, adeò terruisse incautos, vt in portu naufragium fecerint: quidquid id est, nemo ambigat violatam à milite nostro fidem; quod adeò Regi graue fuit, vt auctores seditionis ad fluminis ripam ipsomet quem præciderant fune in furcam agi iusserit.

In furcam acti seditionis auctores.

Secundùm Clairaci obsidionem, Toneinsij, Veræus Procancellarius, pestilenti febre, quæ ad ea tempora grassabatur decessit. Viri illustrissimi cadauer secundo flumine Burdigalam deuectum magno Senatus mœrore perhonorificè exceptum est. decretúmque illi de publico funus. Vir erat maiestatis eximiæ, sagacitatis in publica negotiatione acerrimæ, prudentiæ non vulgaris, seuerus supra modum, Oratorum in Gallia princeps, qui loquutionem Gallicam aut restituit decori, aut decorum in eam primus inuexit. Stoïcorum sapientiæ studens, Deóque supra fidem addictus, patre libellorú supplicum in Regia magistro natus; vix adoleuerat cùm Aduocatus fisci renuntiatus, pręfecturam eo omnium applausu gessit, vt ad principatum Parlamenti Prouincialis à Rege vocatus fuerit, quo munere gloriosè diúque defunctus, à Maria tunc Regente in Procancellarium legitur, quo tempore reluctantibus Sectarijs duo florentissima regna inimica diu, mutuo fœdere nectebantur. magna omnium approbatione arctiori consistorio præfuit, donec nescio quo fato, nisi quòd tunc præualebant illicita, rerum administratione motus, ruri mirâ constantiâ pacatam traduxit vitam, nec diu tamen: restitutus

Veraeus fato functus. Illi Burdigale de publico funus decretum.

Laudatur eius virtus.

Describitur eius fortuna.

Clairac. Tonneins. Du Vair garde des Sceaux. Prouẽce.

Lisieux. enim à Rege, Episcopúsque Lexouiensis renuntiatus, in Rebelles expeditionem suadet; subit æstus, frigorísque secundùm iter incommoda, qui iam per ætatem prægrauis erat: consilijs vbique sagacibus Regem alleuat; quíque bella suaserat politico, an Catholico zelo incertum, in bello moritur: ita de Veræo Procancellario veritas; cui nihil habet inuidia impotens quod obijciat, quàm latam eo rogante legem, in quam primus ipse incidisse accusabatur: cùm enim Regis placitum, quo magistratibus soluta in annos singulos Regi pēsione, in tuto erant iudiciales præfecturæ, proscripsisset ille rigiditate stoïca, iniquum adijciens ære parari virtutum præmia, vænalémque purpuram Regis; accidit, fato functis plerisque in Gallia magistratibus, perijsse simul eorum hæredibus præfecturarum pretia, ídque eius auctoritate, qui Senatus principatum, non anteà vænalem, numerato pretio ad altiora gratis vocatus vendiderat; quod dehinc primariæ dignitatis commercium exemplo Parlamentis pessimo fuit. adeò verum est, arduum esse sibi, aliísque pari seueritate ius dicere: si vera in probum virum postulatio, quod non alio auctoramento vix crediderim, peccauit in vita semel, quem alioquin vix hominem virtus pateretur.

Qui bella Regi suaserat in bello moritur.

Calumnia in eum grauis.

Circumfertur in Gallia eius testamentum non alio quàm philosophi apparatu. natum se fatebatur infirmo corpore, laboribúsque impari, infelici memoria; neque se acceptum naturæ referre, præter animi sagacitatem, quam citra philautiā, eam fuisse asseuerabat, vt nihil Galliç, nihil sibi priuatim ma-

Testamentū Veræi.

gni obtigerit, quod pręscientiâ supra vices humanas mirabili, non diu antè attigisset. Fuisse Veræ domus eo tempore infortunia maxima, quo mutuis seipsam vulneribus Gallia confodiebat: sensisse se tamen, inter procellosos bellorum ciuilium fluctus adeò propicium numen, vt ad summa dignitatum fastigia, supra spem euectus, præter ambitum diues, supra naturæ infirmitatem cumulatus honoribus, magnatibus præcarus, populo non inuisus habeat vnde immortalem eius prouidentiam laudet, qui magnitudinem eò potentiùs suam prodidit, quòd homuncionem ad ea prouexit, quò vix penetrauerat eius cogitatio. Vixisse se, quandiúque vita suppetet perstiturum in Ecclesiæ Apostolicæ, & Romanæ communione; nec non participem esse velle precum Virginis Deiparæ, sanctorum, fideliúmque quos habet nauicula Petri fluctuans: oppressum se tamen eo dolore diutiùs, quem etiamnùm hodie lugeat ad extrema sequacem, quòd eorum auaritiâ, & ambitione Ecclesiæ reformatio impeditur, quorum interest maximè in melius mutari, quæ labantis licentia seculi parum opportunè induxit. Precatum se diuinam sæpius prouidentiam eorum corda huc flecteret, quibus incumbit sacrorum cura. Si Lutetiæ fatum obiret, aut in vicinia, sibi in Bernardinorum cœnobio tumulum legere; si Lexouij, in Episcopali Ecclesia; neque velle, nisi operto vultu efferri, feretro plumbeo, cui superimpositum marmor, nullo apparatu, hac inscriptione.

Laudem ipse sibi struit.

Sepulchrũ sibi legit.

Paris.

Lisieux.

Guill. Du Vair Episc. Lexouien. Franciæ Procancell.

HIC EXPECTO RESVRRECTIONEM, ET MISERICORDIAM.

Nat. 7. Maii 1556.

LEGATA ab eo piè relicta ad quinquaginta librarum millia accedebant, leue donum si dignitatem Procancellarij spectas, sed integerrimi viri paupertati conueniens, qui non parato à prædijs vectigalibus fenore, ea nuditate obijt, quâ orbem subierat. celibem magna virtute vitam exegit, quintóque circà post sexagesimum anno finijt. extinctum fleuit populus, fleuere Parlamenta, eò grauiùs quòd vix ei qui substitueretur parem, natura negabat.

Eius legata & paupertas.

Magno omnium mœrore extinctus.

Dolorem auxit Luynæi proteruia, qui in contemptum litterarum & togę, sacrum Gallię sigillum statim vsurpauit, iure vel iniuriâ: quasi adeò destituta Gallia viris litteratis & probis, vt vno hoc indicia indigni haberentur tot Parlamentorum principes, tótque ad sanctius Regis Concilium veterani, qui sigilla tractarent. Vnius arbitrio positam armorum, legúmque summam, ad ea vsque tẽpora inauditum; libidine tamen insolenti ipse etiã sigillis præesse præsumpsit, qui vel vni armorum imperio impar erat. vbique mœror, tacitáque murmura; publicè enim sententiam dicere minùs tutum: nemo

Luynæus sigillum vsurpat.

apud se de hominis temeritate differens, nō postulabat tacitè affectati imperii, at quia palàm lugere periculosum, vt dixi, nemo prodebat luctum, quasi & deberetur ipsis lacrymis vltor; ipsamet Parlamentorum audacia in vinculis erat: tentauerat quidem ad ineuntem Arpinatis fortunam, Parisiorum Curia VOLATVM AVIVM sistere, quibus supra hominum vices ferebatur in altum, opposuerat temeritati potentiam, affectatósque Ducis, Parísque Galliç titulos magna laude, diu proscripserat, verùm gliscente in immensum potentiâ hominis, exactam animi magnitudinem fœdauit silentium altius, seu iusto Regis timore, cuius nomine suam ille superbiam prætexebat, quod minùs creditum; seu metu potentioris fortunæ (FAVOREM tunc vocabant) quod præualuit. Non deerat ius causæ, sed delator; quippe monitus Rex (quod Parlamentis vulgò munus incumbit) non distulisset forsan medelam vulneri, populíque gemitibus robustiori Parlamentorum voce ad se delatis, agnouisset ad publicam vtilitatem spectare non ita Regis gratiâ prouehi vnū caput, vt summa rerum, eius arbitrio subsit. Nemine ergo obsistente, qui sub ipsa belli initia Comestabilis, in progressu Procancellarius renuntiatur, condignam tot vulneribus pro Rege exceptis gratiam, ijs scilicet prælijs, quibus ne animo quidem interfuerat.

Parlamenta silent. *Duc & Pair.* *Luinai magè quàm Regis timore.*

Sed ne deforet affectatæ contra ius dignitatis, prætextus palàm iactitatum, Comestabili ad tēpus commissum sigillorum munus, non ipsam Procancellarij præfecturam, deficiente nempe in castris

Prætextus affectata dignitatis.

qui Veræo ex æquo ſubſtitueretur; maioríſque momenti negotium dilationes expoſcere, at falſum illud; quippe Procancellarij duo, quos penè intra annum abſorpſit atrocitas morbi militaris, etiam eo tempore cum Rege metabant.

Nunquam pecuniaria edicta cælata faciliùs, per fas & nefas, imago ſanctiſſima quæ Regem ſigillo exprimit, non habito delectu, iuſta, illicitáque cęlauit, data hîc quorumlibet ſcelerum venia in imagine Regis: neque enim eorum Rex conſcius. Qui Veræi ſententiâ poſtulatis deiecti antè, ea iterant nouo iam Regno, & obtinent; quaſi in gratiam accepti à fortuna beneficij, deceret pœnæ eximi noxios; torqueríque per nefas ad cauſas ciuiles iuſtitiam. eò venerat Luyneæ ſuperbiæ deformitas, vt ipſimet qui impenſiùs eius fortunæ litabant, ipſi FAVORIS, quem vocabant, contubernales, vix ſubſcriberent facto. Lepidè dictum ad ea tempora memini, non mirandum qui in Gallia præfectus auium erat, tentare intrepidè omnia, nullo Parlamentorum metu, nulláque populi furentis formidine: vtpote qui iam ab auium volatu didicerat quò ſinè periculo fortuna progredi poſſet. Vtcumque res habet memoriam ſui poſteris reliquiſſet magis ab affectati imperij accuſatione immunem; ſi in Comeſtabilis præfecturâ poſuiſſet ambitionis metam, eò prouectus, quò nemini apud nos vltrà ire datum. Conſternata ad Clairaci deditionem circumadiacentia Sectariorum oppida obſequium meditantur; Layraci, Turnoniique in Aquitania Conſules, Regis imperia vltrò ſubeunt, qui paulò

Celata edicta qualibet.

Grand Fauconnier.

Dedita Regi noua vrbes.

Layrac. Tournon.

antè Comitiorum decretis incautè subscripserant.

Ex aduerso ad vlteriorem Aquitaniam Mayennius Dux, Regio vrbes firmabat obsequio; dato sibi hoc munere à Rege, Montalbanum finitimis Sectariorum arcibus destitueret, quæ periculum erat ne obsessis aliquando subsidio forent: enimuerò prudentiæ Ducis commissum, si diuturnior alicubi obsidio præuideretur, tentaret nihil ad Montalbani obsidium appetente Augusto vocatus. Per id tempus Tolosani Parlamenti territorium ingressus ipse, salutando Senatui in hæc ipsamet verba ad eum scripsit, quibus nihil inseram de meo, qui velim prototypum esse magnatibus scribendi hanc supremis Curijs rationem.

Mayennio datum munus obsidēdi circumiectas Mōtalbano vrbes.

Ad Tolosanum Parlamentum scribit.

DD. Curiæ Parlamenti Tolosani.

Mayennii littera.

OPTAVI vehementiùs DD. statim ac mihi sortitò Aquitania obtigit, votum ad oculos Senatus vestri exsoluere, quod in oblato vobis iamdiu obsequio humili, nuncupâram: at neque id per negotia licuit; quanquam abundè est, quod Deo habeam gratias, qui minùs cogitanti mihi ad manum dat, quò vestræ vrbi succedens ex voto, Deo, Regi, Tolosatúmque commodis militem. Neracum, Caumontiúmque pro tenus virium facultate eodem tempore, vt scitis, oppugnaui. Debita Deo parum expectata vtriusque deditio, illi honor & gloria, qui stragem hostium, decus & gloriam Regis euexit ad cumulum; parem ab eo gratiam ijs quæ iuxta vrbem

vrbem vestram superant expeditionibus expeto, & expecto, agite interim votis, quod mea spectat non laboris parcus ero, non vitæ, quam nullibi feliciùs impendi posse sentio. Supra fidem est quot me nominibus deuinciat vrbs vestra, affectus, quem in me proditis, non agam hîc verbis, qui mâlim redamare agendo. Id vnum vobis certissimum esse velim; non abituram mihi, si quid valeo, consulendi vobis occasionem, qui eodem vobiscum affectu arces, quæ vrbem vestram circumsistunt, ita in obsequium retrahere destino, vt impotentiâ, quando amore non licet, fiant postmodùm Rebellionis incapaces; in quam Rex ipse sententiam assensu animi erga subditos pronioris inclinat, à quo id mihi prouinciæ datum, vt quamprimùm ad vrbis vestræ confinia pergam, paraturus Montalbani obsidium, quò magnis ille copiis castra mouet, à vobis interim beneuolentiam, quam & prodidistis tam sæpiùs expeto, quam nisi supra vitam coluero indignus ero, cuius nomen apud illustres viros memoretur. Agite, qui neminem vnquam affectu prosequuti, neque dehinc prosequuturi estis, qui supra me vos, vestráque colat,

DD.

Humilis, addictúsque ad imperia vobis

MAYENNIVS.

Nerac. 14. Iul. 1621.

Sub idem tēpus, litteras Rex Tolosam ad Parlamentum misit, quibus submonebat, post confectum ad citeriorem Aquitaniam bellum, signa se in vlteriorem conferre: proposita sibi, promissáque iam antè à Masuyero Senatus Principe subsidia, quæ ad Montalbani obsidionem Tolosa destinabat, in procinctu esse expeditionem, hortari promissis starent vbi de Tolosatum libertate agebatur. Ad hæc iussi à Senatu magistratus municipales (Capitolinos à Capitolio vocant) vrbis armamentarium, rei tormentariæ Legatis à Rege missis aperire, qui delectu tormentorum, bellicíque apparatus, ad placitum habito, X I I. maioris modi murales machinas eduxere, pulueris tormentarij, globorúmque eam copiam, quæ machinis plus æquo foret. Masuyer.

Præfectis rei tormentariæ belli ci apparatus datur à Tolosanis delectus.

Hinc salutandi more maiorum Regis concilium habitum. Exoleuerat longa annorū serie, si fas dicere, Tolosæ Reges excipere: vnde neque probè constabat quò ei occurrendum; qualíque ritu admittendus in vrbem: à Carolo IX. Regem Tolosa non viderat. Consultis itaque eius anni actis curialibus proditum est, properanti Regi occurrisse cum Præside quatuor è Senatu veteranos, non alio quàm cooptationis in Curiam suæ delectu: placuit tamen, quando id LVDOVICO supra Carolum erat, vt non victor modò, sed & prouinciæ liberator accurreret, suppleri veteranorum numerum, qui VI. Caminadæum II. Præsidem sequuti, Tolosatum Parlamenti territoriū ingresso Regi ad Aginnēsem agrū occurrêre. Excepti perhonorificè, post salutatum, magno omnium applausu Regem dimissi sunt. Ibi

Caminadeus Regi salutando à Parlamento electus.

Cami-nade. Caminadæus vt communi omnium voce relatum est magnum facundiæ specimen edidit, districtè proloquutus: subsequuti municipes, qui oblato Regi armamentario instructissimo, militúmque legione qualem expeteret, abscedunt; iussi tormenta proximæ obsidioni educere, cohortémque legere, quæ Mayennio ad leues in ambitu Montalbani obsidiones præstò adforet.

CAPVT V.

EPITOME.

Magnus apud exteros habetur LVDOVICVS. *destinata ad varias expeditiones eius virtus, scilicet post Rebellionem confectam. Summus Pontifex Regii litteris gratulatur. laudatur eius adolescentia, delicias armis postponens. Israëlis fulmen & clypeus, vniuersæ terræ gloria dicitur. inniti regnorum fundamenta fidei orthodoxæ. reuocantur maiorum exempla. Regi non eam mentem vt nouam religionem opprimat. præda ad plagam Agathensem intercipitur. piscatoris commentum. inducuntur in Castrum Batani. capta arma, quorum æstimatio ad CC. aureorum millia. distributa municipiis Galliæ Narbonensis. Sectariis iactura grauis. Batani fluxæ erga Galliam fidei postulantur. eorum apologia. noxii sapientum iudicio habiti. proscribitur à Sectariis Chatillonius.*

Magnus apud exteros habitus Ludouicus.



FAMA interim, quæ victorias vulgò, ſtragéſque è longinquo in maius auget, LVDOVICI fortunam & animum apud exteros adeò in altum extulerat, vt iam Hercules alter Gallicus monſtrorum domitor haberetur; iam apud illos D. LVDOVICI ſanctitatem, Caroli Magni prçuerterat animum, quæſitáque poſt confectam Rebellionem expeditione, hinc in Italiam auitum patrimonium, illinc in Palæſtinam eius deſtinabatur virtus. quò factum vt externi principes Legatis ad eum miſſis virtuti gratulati fuerint, affectu, an timore incertum. Hoc ipſo tempore Gregorius ſummus Pontifex litteras ad Regem dedit in hęc verba.

Summi Pontificis ad Regem litteræ.

Cariſſimo in Chriſto Filio noſtro Ludouico, Francorum Regi Chriſtianiſſimo, Gregorius XV. PP.

Cariſſime in Chriſto Fili noſter, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

REGIÆ *fortitudinis tuæ præclara facinora, quæ totius orbis Chriſtiani mentem in ſe conuertunt, paternæ noſtræ ſolicitudinis oculos militaris gloriæ ſpectaculis, & triumphorum ſpe non mediocriter oblectant: etenim cùm hæreticam impietatem alibi conquieſcentem, alibi crudeliter dominantem mærentes conſpicaremur;*

nunc exercituum Deo gratias agimus, quòd tempestiuo ad præliandum tempore Maiestatem tuam ad Catholicæ religionis dignitatem asserendam armauerit. præclarum regalis militiæ tyrocinium, & Christianissimo Rege dignum: quam ætatem alii deliciis, & lusibus per socordiam, & inscitiam conterunt, tu procerum discordiis componendis, exercitibus ducendis, hæreticorum arcibus oppugnandis gloriosè iuxtà, ac feliciter transigis. Neque enim sinè Dei consilio, in cuius regno Reges regnant, credibile est ineunte adolescentia, te tantum opus, & tam arduum esse aggressum, vt quę alios pericula & rerum difficultates retardarunt, ea ipsa inuictam animi tui magnitudinem incitarint. Fruere, CARISSIME FILI, tam pręclara fama nominis tui, ac Deum tecum prælian-tem sequere, vt qui Israëlis fulmen, & clypeus esse videris, laus Israël, & gloria vniuersæ terrę propediem habearis. Nos quemadmodum ex hoc altissimo Apostolicæ dignitatis fastigio, quò nos licèt viribus impares, miserantis Dei dextra deduxit exercitibus tuis pręsenti animo intersumus, ita & diuina accuratissimis precibus paramus subsidia Tametsi quæ cohortante Pontifice, & rogante virtute tua cœpisti, non veremur quin constanter perfecturus sis; patere te tamē nostris cohortationibus inflammari, saltem vt de verę religionis dignitate solliciti esse, & tuæ glorię fauere videamur. Multa sanè hactenus debes diuinæ beneficentię, atque vt spes & votum nostrum est plura debebis: sed profectò excelsum istud ingenium non humanæ, sed cœlestis sapientię præceptis imbutum credi par est: cùm seriò intellexeris regnorum fundamenta vni orthodoxę fidei veritati inniti, neque enim Dominó ciuitates non custodiente vllus

Laudatur Regis adolescentia.

Rex Israeli fulmen & clypeus.

Laus Israel gloria vniuersæ terræ.

Regnorum fundamenta vni orthodoxæ fidei veritati inniti.

vnquàm principatus securè conquiescet. Quàm fideliter Regis solium propugnabunt, qui Sanctos suis templis deiecerunt, cœlóque ac numero beatorum eximere tentarunt? qui instituta maiorum, Regum mores, Pontificum scita, Sacerdotum ceremonias impia crudelitate condemnant. Hęc Reipublicæ Christianę turbamenta, & Galliæ dedecora imperator Regum Deus gloriosæ isti iuuentuti tuæ comprimenda, atque extinguenda reseruauit. Cogita nunc vniuersam Europam, ex tuorum pręliorum euentibus suspensam, expectare quàm celeriter in Oceanum te duce tutissimi belli impetus nauiget; vt quod hæreticorum perduellium asylum, & propugnaculum est, præclarissimum in omnem posteritatis memoriam ostendatur victoriarum tuarum monumentum. Scimus te neque formidine, neque inconstantia, ab incœpto opere posse reuocari: reminiscere tamen principi, religionis caussam tuenti, Sanctos ipsos quorum dignitas vindicatur, commilitones adfuturos: profectò in his aquis Deum adiutorem inuenies, cuius pedibus fluctus in terræ morem obduruerunt, cuius exercitibus vndæ vtrinque diuisę, atque in parietum speciem lapidescentes aditum prębuerunt. Tunc enim in spem certissimam adducemur, te regno bene constituto, & domita istic impietate, posse aliquando Orientem, Occidentémque victoriis Gallicis coniungere, maiorum tuorum gloriam ęmulatum, qui Pontificum cohortationes, non secùs ac Dei iussa venerati sunt. Reuocatur Diui Ludouici exẽplum. *Id te hortatur sanctissimus* LVDOVICVS, *cuius nomen refers, & actiones imitaris; id gentis tuę auctores, qui Apostolica auctoritate in religione propaganda firmissimum Regiæ tuę domus iecere fundamentum.*

Sequere CARISSIME FILI, *orbis decus, cęlestia iussa, effunde iram tuam in gentes, quæ Dominum non nouerunt, vt æterna misericordiæ thesauros compares maiestati tuæ, cui Apostolica auctoritate amantissimè benedicimus.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris 10. Iulij, anno M. DC. XXI.

Pontificatus nostri anno primo.

Ita Regem compellabat orthodoxæ Ecclesiæ Princeps, Romanus Pontifex, ratus bellum in religionem moueri, quod longè aberat Regis animo, vti litteris ab eo, sæpiúsque voce, confirmatum memorauimus suprà: neque solus ille eo in errore fuit; credidere externorum plerique ad primum belli x ordium, necdum detectâ pleniùs proditione, rebellionis colorem quæsitum, vt in eius excidio caderet religio noua; quod quantum distet à vero non ignorant ipsi Sectariorum primores, nobiléśq;, qui Regem sequuti turmatim, ab eo gratè habiti sunt, imò & dimissi muneribus. *Regi non eâ mentem vt Bellum Religioni inferret.*

His ita in Aquitania feliciter gestis ad mediterraneum, præda forte intercepta est in hunc modum. Ad Kalend. Sextil. ann. M. DC. XXI. prouectâ iam nocte, nauis Bataua, onusta armis plagam Agathensem incautè legebat. Scopuli circumeminent, quibus nauita tenebras inter subagnitis, quóque nauim impelleret dubius, anchoram medio Oceano iacit, missus hinc nauigiolo ad littus explorator, oram diu præterlegit nullo obuio; donec offerente se procul inter obscura piscatorio lumine, *Præda ad plagã Agathensem intercepta.* *Explorator agnoscendæ plagæ littus subit.*

rum

quod se eò forsan per lucernam latiùs effuderat opaca nocte, hùc remige impellit nauigium. euectus,

Piscatoriam nauim quā lucerna prodebat è longinquo videt.

piscatoriam ad littus nauiculam, lucernâ illustrem piscandis de more ad lumen piscibus videt. Territus nouo piscator spectaculo (nec enim horâ parùm nauigationi debitâ de hospite cogitabat) arrepto sclopo accessu prohibet; hospes ad hæc morari,

Accedit propius.

agnitóq; sinè armis extraneū esse, haberi à piscatore humaniter; admissus rogat quæ errantē haberent littora, agnitum à se quidem in charta mare Gallicum, at parùm notam plagam, petituróque Fossas Marianas non planè liquere quà tutum iter à scopulis. Ad hæc piscator: quia proloquutum dictio, vestísque prodiderant Batauum, nō dubitauit, quin

Decipitur à piscatore.

Sectariis Fossas Marianas vulgò Aquas Mortuas à Bataua subsidium aduentaret; quin potius amplexatus incautum; Bonis, inquit, auibus ades, fortunæ supra fidem debitor, qui te à longo errore, plagæ vltrò expetitæ sistit; quem inter obscura vtcumque vides ingenti mole assurgere scopulum, stationem in accliui tegit, quam, si sequeris præuium tot expertus pericula, tenes. Adorauit nauta maritimos

Piscator se Sectarium simulat.

Deos, qui iactatum diu, emensis medio Gaditano mille circa leucis, quæsito diu portu tam opportunè exhibebāt. Neque diu hęsit, quin piscatori, qui se

Arcana illi panduntur.

Sectarium fecerat, arcanum aperiret: Batauiâ adesse nauem, quâ, sumptibus publicis parata arma, Galliæ Narbonensis Circulo vectabantur. designatas ad eam plagam Aquas Mortuas quò appellerent, Chastillionio, cuius apud Batauos illustre nomen, loci præfecto: traiectum vectoriâ naui fretum Gadita-

Aigues Mortes.

num.

num Lusitaniæ priùs, Africæ dehinc, Hispaniæque præterlecta littora, Insularum Balearium superatâ promontoria, eóque ventum, vbi Rhodanus maria subit. Ceterùm armandis bissenis hominum millibus inuecta arma, tormenta, bellicúsque apparatus quanta sint fidem excedere. Piscator instare ad hæc acriùs, &; Si diei, inquit, crepusculum, vulgò ad hanc plagam repentinis fluctibus maria turbans, fida statione operiri exposcis, habes ad milliare sobrinum Chastillonij, qui & ipse Sectarius, honori ducet excepisse hospitem : Non recusauit gratiam explorator, quin & monitum Nauclerum nihil de dolo addubitantem induxit in casses: præire piscator, Lespinautúmque Cetici præfectum promontorij monere, deuectos ad littus ingenti præda Batauos, nec moratus, nauitam, sociósque inducit in Castrum; ibi propinato largiùs mero præbibitur hinc inde Chastillonio sospiti : vocatis dehinc ad epulas militibus, quos adhuc nauigij cura habebat, substituti præsidiarij arcis, eo colore vt nauem à prędonum excursionibus tutarẽtur. Mutati paulò post placidi Regiorum vultus, Chastilloniíque nomen abolitum, Batauos periculi monuere, cùm Lespinautus; Nec vos, inquit, decipit timor, subijstis incauti plagam inimicam, in qua tamen, si quid valeo, nihil vobis damni parabitur, supra nauis, armorúmque iacturam, quæ Regi vindico. Nauarchus contrà, fœdus Batauorum cum Gallis, mutuámque libertatem commercij inter confœderatos obijcere, addere ius gentiũ, hospitiíque proditoriè violari : at ridicula obiectio, querela leuis, violato prius ab ip-

Maiorque. Minorque.

Duodecim hominum millibus armandis inuecta arma.

Lespinaut cap de Cete.

Inducti ad Castrum Bataui.

Captos se augurãtur.

Humaniter cum iis actum.

Displodun- tur in lætitiæ specimẽ tormenta bellica.

sissmet fœdere, qui Rebellibus in Regem suum Gallis, arma subministrabant. Habendis Deo gratijs, tormentorum hostilium displosione salutatur aurora iam assurgens; atenim ad fragorem circumadiacentes indigenæ attoniti adesse turmatim, ipséque Mommorancius prouinciæ Prorex, qui nec ita procul aberat citatis equis accurrere; ibi præda ad arenam exponitur; primùm VI. Regij modi tormenta bellica, duplicia vocant, VIII. leuiora vulgò planitiei machinas expeditas illas, promptísque percommodas expeditionibus. His addita VIII. item tormenta quibus armata nauis; scloporum quatuor millia, sclopetorum maiorum aut minorum (carabinas & pistoletos dicũt) sex millia, hastæ supra quingẽtas bis mille, quingenti thoraces ferrei, totidem militares sagi, ducenta pulueris tormentarij centupõdia, pilæ tormentis seu colubrinis ad decem millia, plumbi liquandis ad sclopetos glandibus copia ingens, postes item roboreæ, struendis pontibus, vallis, castris, pluteis, seu tentandæ obsidionis animus, seu propulsandæ. Prædæ æstimatio ducenta aureorum millia superauit, manubijs Rex Mommorancio, præfecto arcis, Grassóque piscatori diuisis, sibi belli machinas addixit, venditáque arma iussit municipijs Galliæ Narbonensis, ex necessitate distribui.

Horũ fragore Mommorancius qui non longe aberat adest.

Arenæ sistitur præda quæ armis constabat.

Armorum bellicique apparatus descriptio.

Distribuũtur arma municipiis Galliæ Narbonẽsis.

Grauis hæc Sectarijs prouinciæ Narbonensis iactura fuit, qui parãdis sibi his armis Circulum nuper suum auro exhauserant: datum id Chatillonio negotij successerat ex voto, nisi nautarum imperitia fecisset in portu naufragium. multa tunc in Ba-

Grauis hæc Sectariis iactura.

tauos ordines congesta, quibus violati fœderis, ne dicam perfidię postulari, quasi eam tot beneficijs rependerent gratiam; subministratum illis præsidium, subleuatos traiectitiâ diù pecuniâ, militare etiamnùm hodie Mauricio legionẽ Gallorum, stipendijs Regijs, quibus hæc gratia tam bellè reddatur. Batauí Ordines contrà, nam & studuere ipsi apologiæ suæ, innoxios se, illatíque nescios subsidij faciebant; mercatorem, priuatum hominem, inscio magistratu prouinciam plus æquo destituisse armis, neque vero simile esse, traiecta tot arma, iustum belli maioris apparatum, assensu Reipublicæ, cui potior caussa salutis propriæ, quàm alienæ. Præualuit tamen fidem ab illis violatam; nec potuisse nisi conniuente magistratu, angustâ ditione, politiæque arctè firmatâ regulis, priuatum hominem eam armorum copiam accumulare, quę instruendo exercitui satis foret: onerariam ipsam, Arausij Principis ad puppim stemmata prætulisse, vexillum militare Batauorum insignia Ordinum; his addita religio eadem, Chatilloniíque apud Ordines nomen & auctoritas.

Accusati mali erga Regem animi Batauus Ordines.

Mauri-ce.

Seipsos excusant.

Noxii tamen sapientum iudicio habiti.

Prince d'Orange.

Fuere qui addubitarint Sectarijs Gallię inferrentur hæc arma, nécne; proditum tamen illata illis; habitâ Nemausi synodo, quâ multis nominibus Chatillonius proditionis erga sectã postulatus, eò maximè quòd arma magnis sumptibus Circulo Narbonensi procurata prostituit Catholicorum libidini: hinc ESCARLAMBATVS dictus, quasi stipendijs Regijs Sectæ non nisi in speciem militaret, ab eóque tempore, interdictus administratione publicâ, Montispessulani præfecturâ, summáque rerum ad

Probatur illata hæc Sectariis arma.

Nismes.

Proscriptus à Synod. prouinciali Chatillonius.

Priuatam vitam agit. Narbonensem prouinciam: quo factum vt priuatam ad Fossas Marianas vitam diu egerit, vt fusiùs enarrabimus suo loco.

CAPVT VI.

EPITOME.

Vastandis Rupellæ agris commissus Espernonio exercitus leuior. stationem parat non longè ab vrbe. erumpit hostis. datur sclopigeris prætorianis primum cornu. palus ab hoste occupatur. conseritur manus. displosa ab vrbe in Regios viginti tormenta. muris aduoluitur Espernonius muniminibus explorandis. Surgerio Iarriam itur. trifariam diuisus exercitus. oppressi à Lanouio vigiles. in vrbem dolo allecti Regii. collata in Molinetum signa. Regiis infesta omnia. oppidani obsessis animos addunt. intermissa ab vrbe displosio, quare. expugnatur arx. tertiùm erumpit Lanouius. in vincula prædones triginta aguntur. vtraque messe spoliatus hostis. in Molendina vrbis missus ignis. strenuè à Mompoliano actum. Lanouius commeatum priuatis rebus ab Espernonio petit. datur commeatus. monitus de obsequio, in rebellione perstat. nobilitatem quæ Regi bella inferat seipsam destruere. captus ab hoste regiorum præfectus, qui ipsemet etiam in vinculis, hostem capit. dimissi nulla redemptione captiui struendis insidiis Lanouius in sylua latet. detegitur, quique struebat insidias, valentioribus insidiis capitur. ab Espernonio gratè exceptus, amicè habetur.


VM ad Mediterraneum hæc ita geruntur, ad Oceani plagas crebris oppugnationibus fatigatur Rupella dissidij caput. Iam antè memorauimus Espernonium leuioris exercitus renuntiatum imperatorem, vt Aulnixij ad Rupellæ viciniam agros flammâ, ferróque vastaret: quatuor illi legionariorum millia, quingenti equites, manus expedita, quam præripiendæ hostibus messi, primùm ad Santones, dehinc ad secundum à Rupellâ lapidem locat, ibi positis diu mapalibus in tuto consedit, vnde vexatus hostis, signáque sæpius ad conspectum vrbis collata. *Espernonio datus vastandis Rupellæ agris exercitus.*

Nondum vmbris successerat sol, eâ die placidus; cùm Imperator, visendæ vrbis consilio, præscribit militiæ ordinem in omnem euentum, seu erumperet hostis, seu admotos propiùs tormentorum displosione propulsare mens esset; extenta hoc casu cornua, illo conglobata in simul, vtroque permixti sclopigeris æquali ferè numero hastati. Delectos ex cohorte qualibet quingentos, leues equitum alæ sustinebant. hoc ordine, expansis signis, tympanísque pulsantibus, militari gressu pergebat in hostem cùm ab Ecclesię veteris macerie erumpit improuisò armata manus aggressura hostem: iussi ad hæc sclopigeri prætorio vigiles (Mousquetonos vocant alarios) displosione hostem excipere, dicto citius factum, velitatio primùm leuis, quasi rorarij militis, dehinc pugna committitur quâ nō acrior antè; donec in arcem leui præsidio firmatā retrusus hostis, viam Regijs in vrbem aperit: Ecclesiæ circumadia- *Componit in aciem ordinatam exercitum.* *Committitur praeliū.*

Palus ab hoste occupatur. cebat palus, à limo vix equis peruia, quà periculosior transitus, quo ad Ecclesiæ angulos dispositi sclopetarij indesinenti explosione aduenientes submouebant: superatur tamen leui iacturâ palus: progressis occurrit ad stadium ab vrbe, noua item palus, cuius dum quæritur vadum, displodi ab hoste tormenta momento eodem XX. quorum incerti ictus terrorem incussere magis, quàm intulêre damnum. Turbatis ad fragorem ordinibus Regiorum, fumóque à puluere tormẽtario edito obscurata luce, elabitur sensim ad paludes Rupellanorum legio, octingentis circa militibus, locus vastis circum saltibus claudebatur, eò legionarijs percommodus, quòd alarijs ferè erat inaccessus; aquas cæcis interdum gurgitibus tegebant cannæ palustres, iuncíque maritimi, quod dubio procul Regijs vertisset excidio, nî eos inuestigata diu via commodior, inuentáq; tandem, trans paludem cõferendæ cominùs manui ductasset incolumes. Rebelles fisi loco oblatum ad hastæ longitudinem prelium, detrectare: Valeta hinc quasi in arce positos aggredi, illinc Roüillacus leuiori manipulo retrudere in ima saltum; vtrinque displosio noxia, Rebellibus minùs, quos tegebant virgulta, & vimina. Espernonius interim ad prælij iam acriùs commoti æstum, vix decem equitibus munimentis vrbis aduoluitur; ignotus circumequitat, exploratísque attentiùs singulis receptui canit, quamquam iam noctis vmbra diremerat pugnam.

Displosa ab vrbe X X. tormenta

Rupellanorum legio octingentis militibus ad paludes dilabitur.

Commissa pugna.

La Valette. Rouillac.

Espernonius explorat munimenta.

Espernon.

Receptui canitur.

Pridie Kal. Sext. Surgerio Iarriam progredi placuit, pagus est Rupellæ adiacens, vbi dehinc ea ex-

Surgeres. Iarrie.

peditione metauit exercitus: periculosum tamen stationis opus vicino hoste; atenim Marchio Roüilliacus & Baro Bironius, loco circum vallis firmando, castrísque componendis præmissi. Iarriam nemine obuio veniunt, Bironius castris expeditè firmandis, Roüilliacus quà eruptio timebatur ab vrbe, propulsando hosti incumbunt, leuioribúsque velitationibus actum, quando prouecta iam die exercitum Espernonius paratis castris inducit, at angustior locus, quàm vt quinque hominum millia exciperet: positis ergo ad circumiectos pagos, triplici statione mapalibus Espernonius Iarriam subit, Crucigalerum & Clauetum exercitus, nec longa quies.

Roüillac. Biron. — *Surgeriô Iarriam itur.* — *In tres mętationes diuisus exercitus.* — Iarrie. Crois-chapeau. Clauet.

Lanouius vir magni animi, sibi, Rupellanísque indecorum ratus, leuem exercitum, cui profligando satis in vrbe virium foret, stare nullâ iacturâ ad eius munimina, imò inferre vltrò prælium; phalangem armat habitóque legionariorū delectu, quos ala ipse expeditâ sustineret, nullo strepitu in castra dilabitur, priúsque vigiles opprimit, quàm ad arma clamatum. Ad hæc metu correpti stationarij fugere, accurrere castrametatores Baro Bironius, Marchio Roüilliacus, adesse in armis ipse imperator, metu consternatis animos addens exemplo & voce; subito metu correptus miles conglobatur in aream, pugnæ promptuarium (Galli prælij campum vocant, quò sparsæ hùc illùc acies, vbi improuisè classicum sonat subeundis præfectorum imperijs aduolant) hinc sibi Espernonius sexcentos assumit, iussóque sequi alariorum ordine, ductante Valeta, in

Lanoüe — *Lanouius erumpens Regiorum vigiles oppressit.* — Espernon. — Champ de bataille. — *Ad pugnæ promptuarium accurritur.*

Sub idem tẽpus, litteras Rex Tolosam ad Parlamentum misit, quibus submonebat, post confectum ad citeriorem Aquitaniam bellum, signa se in vlteriorem conferre: proposita sibi, promissáque iam antè à Masuyero Senatus Principe subsidia, quæ ad Montalbani obsidionem Tolosa destinabat; in procinctu esse expeditionem, hortari promissis starent vbi de Tolosatum libertate agebatur. Ad hæc iussi à Senatu magistratus municipales (Capitolinos à Capitolio vocant) vrbis armamentarium, rei tormentariæ Legatis à Rege missis aperire, qui delectu tormentorum, bellicíque apparatus, ad placitum habito, X I I. maioris modi murales machinas eduxere, pulueris tormentarij, globorúmque eam copiam, quæ machinis plus æquo foret.

Masuyer.

Præfectis rei tormentariæ belli et apparatus datur à Tolosanis delectus.

Hinc salutandi more maiorum Regis concilium habitum. Exoleuerat longa annorũ serie, si fas dicere, Tolosæ Reges excipere: vnde neque probè constabat quò ei occurrendum; qualíque ritu admittendus in vrbem: à Carolo I X. Regem Tolosa non viderat. Consultis itaque eius anni actis curialibus proditum est, properanti Regi occurrisse cum Præside quatuor è Senatu veteranos, non alio quàm cooptationis in Curiam suæ delectu: placuit tamen, quando id LVDOVICO supra Carolum erat, vt non victor modò, sed & prouinciæ liberator accurreret, suppleri veteranorum numerum, qui V I. Caminadæum I I. Præsidem sequuti, Tolosatum Parlamenti territoriũ ingresso Regi ad Aginnẽsem agrũ occurrêre. Excepti perhonorificè, post salutatum, magno omnium applausu Regem dimissi sunt. Ibi

Caminadeus Regi salutando à Parlamento electus.

q 1

Cami-nade. Caminadæus vt communi omnium voce relatum eſt magnum facundiæ ſpecimen edidit, diſtrictè proloquutus:ſubſequuti municipes, qui oblato Regi armamentario inſtructiſſimo, militúmque legione qualem expeteret, abſcedunt; iuſſi tormenta proximæ obſidioni educere, cohortémque legere, quæ Mayennio ad leues in ambitu Montalbani obſidiones præſtò adforet.

CAPVT V.

EPITOME.

Magnus apud exteros habetur LVDOVICVS. *deſtinata ad varias expeditiones eius virtus, ſcilicet poſt Rebellionem confectam. Summus Pontifex Regii litteris gratulatur. laudatur eius adoleſcentia, delicias armis poſtponens. Iſraëlis fulmen & clypeus, vniuerſæ terræ gloria dicitur. inniti regnorum fundamenta fidei orthodoxæ. reuocantur maiorum exempla. Regi non eam mentem vt nouam religionem opprimat. præda ad plagam Agathenſem intercipitur. piſcatoris commentum. inducuntur in Caſtrum Batani. capta arma, quorum æſtimatio ad CC. aureorum millia. diſtributa municipiis Galliæ Narbonenſis. Sectariis iactura grauis. Bataui fluxæ erga Galliam fidei poſtulantur. eorum apologia. noxii ſapientum iudicio habiti. proſcribitur à Sectariis Chatillonius.*

Magnus apud exteros habitus Ludouicus.



AMA interim, quæ victorias vulgò, stragésque è longinquo in maius auget, LVDOVICI fortunam & animum apud exteros adeò in altum extulerat, vt iam Hercules alter Gallicus monstrorum domitor haberetur; iam apud illos D. LVDOVICI sanctitatem, Caroli Magni præuerterat animum, quæsitáque post confectam Rebellionem expeditione, hinc in Italiam auitum patrimonium, illinc in Palæstinam eius destinabatur virtus. quò factum vt externi principes Legatis ad eum missis virtuti gratulati fuerint, affectu, an timore incertum. Hoc ipso tempore Gregorius summus Pontifex litteras ad Regem dedit in hęc verba.

Summi Pontificis ad Regem litteræ.

Carissimo in Christo Filio nostro Ludouico, Francorum Regi Christianissimo, Gregorius XV. PP.

Carissime in Christo Fili noster, Salutem & Apostolicam benedictionem.

REGIÆ *fortitudinis tuæ præclara facinora, quæ totius orbis Christiani mentem in se conuertunt, paternæ nostræ solicitudinis oculos militaris gloriæ spectaculis, & triumphorum spe non mediocriter oblectant: etenim cùm hæreticam impietatem alibi conquiescentem, alibi crudeliter dominantem mærentes conspicaremur;*

nunc exercituum Deo gratias agimus, quòd tempestiuo ad prœliandum tempore Maiestatem tuam ad Catholicæ religionis dignitatem asserendam armauerit. præclarum regalis militiæ tyrocinium, & Christianissimo Rege dignum: quam ætatem alii deliciis, & lusibus per socordiam, & inscitiam conterunt, tu procerum discordiis componendis, exercitibus ducendis, hæreticorum arcibus oppugnandis gloriosè iuxtà, ac feliciter transigis. Neque enim sinè Dei consilio, in cuius regno Reges regnant, credibile est ineunte adolescentia, te tantum opus, & tam arduum esse aggressum, vt quę alios pericula & rerum difficultates retardarunt, ea ipsa inuictam animi tui magnitudinem incitarint. Fruere, CARISSIME FILI, tam pręclara fama nominis tui, ac Deum tecum prœliantem sequere, vt qui Israëlis fulmen, & clypeus esse videris, laus Israël, & gloria vniuersæ terrę propediem habearis. Nos quemadmodum ex hoc altissimo Apostolicæ dignitatis fastigio, quò nos licèt viribus impares, miserantis Dei dextra deduxit exercitibus tuis pręsenti animo intersumus, ita & diuina accuratissimis precibus paramus subsidia. Tametsi quæ cohortante Pontifice, & rogante virtute tua cœpisti, non veremur quin constanter perfecturus sis; patere te tamē nostris cohortationibus inflammari, saltem vt de verę religionis dignitate solliciti esse, & tuæ glorię fauere videamur. Multa sanè hactenus debes diuinæ beneficentię, atque vt spes & votum nostrum est plura debebis: sed profectò excelsum istud ingenium non humanæ, sed cœlestis sapientię præceptis imbutum credi par est: cùm seriò intellexeris regnorum fundamenta vni orthodoxę fidei veritati inniti, neque enim Domino ciuitates non custodiente vllus

Laudatur Regis adolescentia.

Rex Israëli fulmen & clypeus.

Laus Israël gloria vniuersæ terræ.

Regnorum fundamenta vni orthodoxæ fidei veritati inniti.

vnquàm principatus securè conquiescet. Quàm fideliter Regis solium propugnabunt, qui Sanctos suis templis deiecerunt, cœlóque ac numero beatorum eximere tentarunt? qui instituta maiorum, Regum mores, Pontificum scita, Sacerdotum ceremonias impia crudelitate condemnant. Hęc Reipublicæ Christianę turbamenta, & Galliæ dedecora imperator Regum Deus gloriosæ isti iuuentuti tuæ comprimenda, atque extinguenda reseruauit. Cogita nunc vniuersam Europam, ex tuorum prǽliorum euentibus suspensam, expectare quàm celeriter in Oceanum te duce tutissimi belli impetus nauiget; vt quod hæreticorum perduellium asylum, & propugnaculum est, præclarissimum in omnem posteritatis memoriam ostendatur victoriarum tuarum monumentum. Scimus te neque formidine, neque inconstantia, ab incœpto opere posse reuocari: reminiscere tamen princeps, religionis caussam tuenti, Sanctos ipsos quorum dignitas vindicatur, commilitones adfuturos: profectò in his aquis Deum adiutorem inuenies, cuius pedibus fluctus in terræ morem obduruerunt, cuius exercitibus vndæ vtrinque diuisę, atque in parietum speciem lapidescentes aditum prębuerunt. Tunc enim in spem certissimam adducemur, te regno bene constituto, & domita istic impietate, posse aliquando Orientem, Occidentémque victoriis Gallicis coniungere, maiorum tuorum gloriam ęmulatum, qui Pontificum cohortationes, non secùs ac Dei iussa venerati sunt. Renocatur Diui Ludouici exẽplum. *Id te hortatur sanctissimus* LVDOVICVS, *cuius nomen refers, & actiones imitaris; id gentis tuę auctores, qui Apostolica auctoritate in religione propaganda firmissimum Regiæ tuę domus iecere fundamentum.*

Sequere CARISSIME FILI, *orbis decus, cœlestia iussa, effunde iram tuam in gentes, quæ Dominum non nouerunt, vt æterna misericordiæ thesauros compares maiestati tuæ, cui Apostolica auctoritate amantissimè benedicimus.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris 10. Iulij, anno M. DC. XXI.

Pontificatus nostri anno primo.

Ita Regem compellabat orthodoxæ Ecclesiæ Princeps, Romanus Pontifex, ratus bellum in religionem moueri, quod longè aberat Regis animo, vti litteris ab eo, sæpiúsque voce, confirmatum memorauimus suprà: neque solus ille eo in errore fuit; credidere externorum plerique ad primum belli x ordium, necdum detectâ pleniùs proditione, rebellionis colorem quæsitum, vt in eius excidio caderet religio noua; quod quantum distet à vero non ignorant ipsi Sectariorum primores, nobiléśq;, qui Regem sequuti turmatim, ab eo gratè habiti sunt, imò & dimissi muneribus. *Regi non eā mentem vt Bellum Religioni inferret.*

His ita in Aquitania feliciter gestis ad mediterraneum, præda sorte intercepta est in hunc modum. Ad Kalend. Sextil. ann. M. DC. XXI. prouectâ iam nocte, nauis Batava, onusta armis plagam Agathensem incautè legebat. Scopuli circumeminent, quibus nauita tenebras inter subagnitis, quóque nauim impelleret dubius, anchoram medio Oceano iacit, missus hinc nauigiolo ad littus explorator, oram diu præterlegit nullo obuio; donec offerente se procul inter obscura piscatorio lumine, *Præda ad plagā Agathensem intercepta.* *Explorator agnoscendæ plagæ littus subit.*

quod se eò forsan per lucernam latiùs effuderat opaca nocte, hùc remige impellit nauigium. euectus,

Piscatoriam nauim quā lucerna prodebat è longinquo videt.

piscatoriam ad littus nauiculam, lucernâ illustrem piscandis de more ad lumen piscibus videt. Territus nouo piscator spectaculo (nec enim horâ parùm nauigationi debitâ de hospite cogitabat) arrepto sclopo accessu prohibet; hospes ad hæc morari,

Accedit propius.

agnitóq; sinè armis extraneū esse, haberi à piscatore humaniter; admissus rogat quæ errantē haberent littora, agnitum à se quidem in charta mare Gallicum, at parùm notam plagam, petituróque Fossas Marianas non planè liquere quà tutum iter à scopulis. Ad hæc piscator: quia proloquutum dictio, vestísque prodiderant Batauum, nō dubitauit, quin

Decipitur à piscatore.

Sectariis Fossas Marianas vulgò Aquas Mortuas à Bataua subsidium aduentaret; quin potius amplexatus incautum; Bonis, inquit, auibus ades, fortunæ supra fidem debitor, qui te à longo errore, plagæ vltrò expetitæ sistit; quem inter obscura vtcumque vides ingenti mole assurgere scopulum, stationem in accliui tegit, quam, si sequeris præuium tot expertus pericula, tenes. Adorauit nauta maritimos

Aigues Mortes.

Piscator se sectarium simulat.

Deos, qui iactatum diu, emensis medio Gaditano mille circa leucis, quæsito diu portu tam opportunè exhibebāt. Neque diu hęsit, quin piscatori, qui se

Arcana illi panduntur.

Sectarium fecerat, arcanum aperiret: Bataviâ adesse nauem, quâ, sumptibus publicis parata arma, Galliæ Narbonensis Circulo vectabantur. designatas ad eam plagam Aquas Mortuas quò appellerent, Chastillionio, cuius apud Batauos illustre nomen, loci præfecto: traiectum vectoriâ naui fretum Gaditanum

num

num Lusitaniæ priùs, Africæ dehinc, Hispaniæque prætérlecta littora, Insularum Balearium superatâ promontoria, eóque ventum, vbi Rhodanus maria subit. Ceterùm armandis bissenis hominum millibus inuecta arma, tormenta, bellicúsque apparatus quanta sint fidem excedere. Piscator instare ad hæc acriùs, &; Si diei, inquit, crepusculum, vulgò ad hanc plagam repentinis fluctibus maria turbans, fida statione operiri exposcis, habes ad milliare sobrinum Chastillonij, qui & ipse Sectarius, honori ducet excepisse hospitem: Non recusauit gratiam explorator, quin & monitum Nauclerum nihil de dolo addubitantem induxit in casses: præire piscator, Lespinautúmque Cetici præfectum promontorij monere, deuectos ad littus ingenti præda Batauos, nec moratus, nauitam, sociósque inducit in Castrum; ibi propinato largiùs mero præbibitur hinc inde Chastillonio sospiti: vocatis dehinc ad epulas militibus, quos adhuc nauigij cura habebat, substituti præsidiarij arcis, eo colore vt nauem à prędonum excursionibus tutarentur. Mutati paulò post placidi Regiorum vultus, Chastilloniíque nomen abolitum, Batauos periculi monuere, cùm Lespinautus; Nec vos, inquit, decipit timor, subijstis incauti plagam inimicam, in qua tamen, si quid valeo, nihil vobis damni parabitur, supra nauis, armorúmque iacturam, quæ Regi vindico. Nauarchus contrà, fœdus Batauorum cum Gallis, mutuámque libertatem commercij inter confęderatos obijcere, addere ius gentiũ, hospitiíque proditoriè violari: at ridicula obiectio, querela leuis, violato prius ab ip-

Maiorque. Minorque.

Duodecim hominum millibus armandis inuecta arma.

Lespinaus cap de Cete.

Inducti ad Castrum Bataui.

Captos se augurantur.

Humaniter cum iis actum.

Displodun-tur in læti-tia speciemē tormenta bellica.

sismet fœdere, qui Rebellibus in Regem suum Gallis, arma subministrabant. Habendis Deo gratijs, tormentorum hostilium displosione salutatur aurora iam assurgens; atenim ad fragorem circumadiacentes indigenæ attoniti adesse turmatim, ipséque Mommorancius prouinciæ Prorex, qui nec ita procul aberat citatis equis accurrere; ibi præda ad arenam exponitur; primùm VI. Regij modi tormenta bellica, duplicia vocant, VIII. leuiora vulgò planitiei machinas expeditas illas, promptísque percommodas expeditionibus. His addita VIII. item tormenta quibus armata nauis; scloporum quatuor millia, sclopetorum maiorum aut minorum (carabinas & pistoletos dicũt) sex millia, hastæ supra quingẽtas bis mille, quingenti thoraces ferrei, totidem militares sagi, ducenta pulueris tormentarij centupõdia, pilæ tormentis seu colubrinis ad decem millia, plumbi liquandis ad sclopetos glandibus copia ingens, postes item roboreæ, struendis pontibus, vallis, castris, pluteis, seu tentandæ obsidionis animus, seu propulsandæ. Prædæ æstimatio ducenta aureorum millia superauit, manubijs Rex Mommorancio, præfecto arcis, Grassóque piscatori diuisis, sibi belli machinas addixit, venditáque arma iussit municipijs Galliæ Narbonensis, ex necessitate distribui.

Horũ fragore Mommorancius qui non longe aberat adest.

Arenæ sistitur præda quæ armis constabat.

Armorum bellicique apparatus descriptio.

Distribuũtur arma municipiis Galliæ Narbonẽsis.

Grauis hæc Sectarijs prouinciæ Narbonensis iactura fuit, qui parãdis sibi his armis Circulum nuper suum auro exhauserant: datum id Chatillonio negotij successerat ex voto, nisi nautarum imperitia fecisset in portu naufragium. multa tunc in Ba-

Grauis hæc Sectariis iactura.

tauos ordines congesta, quibus violati fœderis, ne dicam perfidię postulati, quasi eam tot beneficijs rependerent gratiam; subministratum illis præsidium, sublevatos traiectitiâ diù pecuniâ, militare etiamnùm hodie Mauricio legionē Gallorum, stipendijs Regijs, quibus hæc gratia tam bellè reddatur. Batavi Ordines contrà, nam & studuere ipsi apologiæ suæ, innoxios se, illatíque nescios subsidij faciebant; mercatorem, privatum hominem, inscio magistratu provinciam plus æquo destituisse armis, neque vero simile esse, traiecta tot arma, iustum belli maioris apparatum, assensu Reipublicæ, cui potior causa salutis propriæ, quàm alienæ. Prævaluit tamen fidem ab illis violatam; nec potuisse nisi conniuente magistratu, angustâ ditione, politiæque arctè firmatâ regulis, privatum hominem eam armorum copiam accumulare, quę instruendo exercitui satis foret: onerariam ipsam, Arausij Principis ad puppim stemmata prætulisse, vexillum militare Batavorum insignia Ordinum; his addita religio eadem, Chatilloniíque apud Ordines nomen & auctoritas.

Accusati mali erga Regem animi Batavi Ordines.

Seipsos excusant.

Noxii tamen sapientum iudicio habiti.

Fuere qui addubitarint Sectarijs Gallię inferrentur hæc arma, néne; proditum tamen illata illis; habitâ Nemausi synodo, quâ multis nominibus Chatillonius proditionis erga sectā postulatus, eò maximè quòd arma magnis sumptibus Circulo Narbonensi procurata prostituit Catholicorum libidini: hinc ESCARLAMBATVS dictus, quasi stipendijs Regijs Sectæ non nisi in speciem militaret, ab eóque tempore, interdictus administratione publicâ, Montispessulani præfecturâ, summáque rerum ad

Probatur illata hæc Sectariis arma.

Proscriptus à Synodo provinciali Chatillonius.

Narbonensem prouinciam: quo factum vt priuatam ad Fossas Marianas vitam diu egerit, vt fusiùs enarrabimus suo loco.

Priuatam vitam agit.

CAPVT VI.

EPITOME.

Vastandis Rupellæ agris commissus Espernonio exercitus leuior. stationem parat non longè ab vrbe. erumpit hostis. datur sclopigeris prætorianis primum cornu. palus ab hoste occupatur. conseritur manus. displosa ab vrbe in Regios viginti tormenta. muris aduoluitur Espernonius muniminibus explorandis. Surgerio Iarriam itur. trifariam diuisus exercitus. oppressi à Lanouio vigiles. in vrbem dolo allecti Regii. collata in Molinetum signa. Regiis infesta omnia. oppidani obsessis animos addunt. intermissa ab vrbe displosio, quare. expugnatur arx. tertiùm erumpit Lanouius. in vincula prædones triginta aguntur. vtraque messe spoliatus hostis. in Molendina vrbis missus ignis. strenuè à Mompoliano actum. Lanouius commeatum priuatis rebus ab Espernonio petit. datur commeatus. monitus de obsequio, in rebellione perstat. nobilitatemque Regi bella inferat seipsam destruere. captus ab hoste regiorum præfectus, qui ipsemet etiam in vinculis, hostem capit. dimissi nulla redemptione captiui struendis insidiis Lanouius in sylua latet. detegitur, quique struebat insidias, valentioribus insidiis capitur. ab Espernonio gratè exceptus, amicè habetur.


VM ad Mediterraneum hæc ita geruntur, ad Oceani plagas crebris oppugnationibus fatigatur Rupella dissidij caput. Iam antè memorauimus Espernonium leuioris exercitus renuntiatum imperatorem, vt Aulnixij ad Rupellæ viciniam agros flammâ, ferróque vastaret: quatuor illi legionariorum millia, quingenti equites, manus expedita, quam præripiendæ hostibus messi, primùm ad Santones, dehinc ad secundum à Rupellâ lapidem locat, ibi positis diu mapalibus in tuto consedit, vnde vexatus hostis, signáque sæpius ad conspectum vrbis collata. *Espernonio datus vastandis Rupellæ agris exercitus.*

Nondum vmbris successerat sol, eâ die placidus; cùm Imperator, visendæ vrbis consilio, præscribit militiæ ordinem in omnem euentum, seu erumperet hostis, seu admotos propiùs tormentorum displosione propulsare mens esset; extenta hoc casu cornua, illo conglobata in simul, vtroque permixti sclopigeris æquali ferè numero hastati. Delectos ex cohorte qualibet quingentos, leues equitum alæ sustinebant. hoc ordine, expansis signis, tympanísque pulsantibus, militari gressu pergebat in hostem cùm ab Ecclesię veteris macerię erumpit improuisò armata manus aggressura hostem: iussi ad hæc sclopigeri prætorio vigiles (Mousquetonos vocant alarios) displosione hostem excipere, dicto citius factum, velitatio primùm leuis, quasi rorarij militis, dehinc pugna committitur quâ nō acrior antè; donec in arcem leui præsidio firmatā retrusus hostis, viam Regijs in vrbem aperit: Ecclesiæ circumadia- *Componit in aciem ordinatam exercitum.* *Committitur preliū.*

Palus ab hoste occupatur. cebat palus, à limo vix equis perula, quà periculosior transitus, quo ad Ecclesiæ angulos dispositi sclopetarij indesinenti explosione aduenientes submouebant: superatur tamen leui iacturâ palus: progressis occurrit ad stadium ab vrbe, noua item palus, cuius dum quæritur vadum, displodi ab *Displosa ab vrbe X X. tormenta* hoste tormenta momento eodem XX. quorum incerti ictus terrorem incussere magis, quàm intulêre damnum. Turbatis ad fragorem ordinibus Regiorum, fumóque à puluere tormētario edito obscurata luce, elabitur sensim ad paludes Rupellanorum *Rupellanorum legio octingentis militibus ad paludes dilabitur.* legio, octingentis circa militibus, locus vastis circum saltibus claudebatur, eò legionarijs percommodus, quòd alarijs ferè erat inaccessus; aquas cæcis interdum gurgitibus tegebant cannæ palustres, iuncíque maritimi, quod dubio procul Regijs vertisset excidio, nî eos inuestigata diu via commodior, inuentáq; tandem, trans paludem cōferendæ cominùs manui ductasset incolumes. Rebelles fisi loco oblatum ad hastæ longitudinem prælium, detrectare: Valeta hinc quasi in arce positos aggredi, illinc *Commissa pugna.* La Valette. Roüillacus leuiori manipulo retrudere in ima saltum; vtrinque displosio noxia, Rebellibus minùs, Rouillac. quos tegebant virgulta, & vimina. Espernonius *Espernonius explorat munimenta.* Esper- non. interim ad prælij iam acriùs commoti æstum, vix decem equitibus munimentis vrbis aduoluitur; ignotus circumequitat, exploratisque attentiùs singulis receptui canit, quamquam iam noctis vmbra *Receptui canitur.* diremerat pugnam.

Pridie Kal. Sext. Surgerio Iarriam progredi placuit, pagus est Rupellæ adiacens, vbi dehinc ea ex- Surgeres. Iarrie.

peditione metauit exercitus: periculosum tamen stationis opus vicino hoste; atenim Marchio Roüilliacus & Baro Bironius, loco circum vallis firmando, castrísque componendis præmissi. Iarriam nemine obuio veniunt, Bironius castris expeditè firmandis, Roüilliacus quà eruptio timebatur ab vrbe, propulsando hosti incumbunt, leuioribúsque velitationibus actum, quando prouecta iam die exercitum Espernonius paratis castris inducit, at angustior locus, quàm vt quinque hominum millia exciperet: positis ergo ad circumiectos pagos, triplici statione mapalibus Espernonius Iarriam subit, Crucigalerum & Clauetum exercitus, nec longa quies.

Roüil-lac. Biron. — *Surgeriò Iarriam itur.* — *In tres mansiones diuisus exercitus.* — Iarrie. Crois-chapeau. Clauet.

Lanouius vir magni animi, sibi, Rupellanísque indecorum ratus, leuem exercitum, cui profligando satis in vrbe virium foret, stare nullà iacturà ad eius munimina, imò inferre vltrò prælium; phalangem armat habitóque legionariorũ delectu, quos ala ipse expeditâ sustineret, nullo strepitu in castra dilabitur, priúsque vigiles opprimit, quàm ad arma clamatum. Ad hæc metu correpti stationarij fugere, accurrere castrametatores Baro Bironius, Marchio Roüilliacus, adesse in armis ipse imperator, metu consternatis animos addens exemplo & voce; subito metu correptus miles conglobatur in aream, pugnæ promptuarium (Galli prælij campum vocant, quò sparsæ hùc illùc acies, vbi improuisè classicum sonat subeundis præfectorum imperijs aduolant) hinc sibi Espernonius sexcentos assumit, iussóque sequi alariorum ordine, ductante Valeta, in

Lanouë — *Lanouius erumpens Regiorum vigiles opprimit.* — Esper-non. — Champ de bataille. — *Ad pugnæ promptuarium accurritur.*

hostem abripitur, leue hîc prælium, seu hostis consultò pedem retulit, seu metu periculi; consultò gestum, prodidit dolus; quippe vbi se ille laxâ in vrbem fugâ effundit, regijs instantibus collimantur in conglobatum agmen tormenta bellica quibus paucis occisis, plerique sauciati; quasi fugæ irritamento, absistens timoris specie Regiorũ conspectu hostis, allicere sequaces in vrbem vellet, certis dehinc tormentorum ictibus à munimentis excipiendos: receptui canebatur, cùm à læuâ auditæ obiurgantium voces, cohors Rupellanorum erat, quæ munito arctiùs Castro prætereũtes regios proteruiâ militari salutabat: nec tulit superbiam imperator, quin signa illicò in Molinetum (id arci nomen erat) conferri iubet; arduum opus: enimuerò vrbi adeò imminebat Castrũ, vt colubrinis eminùs propulsari oppugnatio posset: bipartito agmine actum; prætoriani hinc sclopigeri, imperatori vigiles, delecti, illinc sexcentis scalis, crepitaculisq; irrumpunt, circumequitat phalanx prohibendo ab vrbe subsidio; imò & plerique nobilium prælij æstu desiliunt præcipites equis, hastâque ad primum cornu dimicantes, exemplo accendunt militem. Lanouius nouo alariorum subsidio erumpit iterum, at media inter Molinetum & vrbem phalanx Regia, obstat, ibi prælio duplici haud segniter dimicatum, phalanx, phalangem, legio legionem petebat, at Regijs infesta omnia erant: referente pedem Lanouio, insequentes Regios sternebant ad munimenta vrbis, tormenta minora (Fauconios dicunt) imò & sclopigeri vncinatis sclopis; quo factum vt etiam fugientes

Dolo in vrbem allecti Regij.

In Molinetum collata signa.

Molinet.

Prætoriani Espernonij vigiles in hostem irrumpunt.

Lanouë

Regijs infesta omnia.

Faucõneaux Arquebuses à croc.

gientes Parthorum more vincerent. ex aduerſo tegebatur munimine ad Molinetum hoſtis, vnde non niſi oppugnatione pellendus; arduum opus, ſeu numerum ſpectas, ſeu audaciam hoſtium: attamen Regiorum iam Caſtri muris admotæ legiones inhibuerant diſploſionem tormentorum ab vrbe, quia vix machinæ in Regios collimari poterant, quin Caſtri muri ſimul quaterentur, vnde timore ruinæ, quæ oppugnationē Regijs facilem præſtitiſſet, intermiſſa diſploſio; quod Regijs commodo, obſeſſis excidio vertit. conuenerat interim magnâ frequentiâ Rupellæ populus ad munimenta, fœminæ, pueri, lixæ, nobiléſque paſſim, modò expanſis ſignis vrgebant ad prælium ſuos, voce modò, tubis, tympaníſque, crebris iam oppugnationibus fatigatos accendebant ad pugnam; modò populari applauſu, publicáque acclamatione exceptum facinus pulchrum, ſi quod edebant obſeſſi, profundiore interdum ſilentio actum, ſi quid Regijs cadebat ex voto. Denique, poſt perennata diu vulnera, póſtque productā ad noctem pugnā, tripartitâ oppugnatione, expugnata arx victori ceſſit. ducentorum præſidium erat qui (ſi paucos eximis, quos in vincula egit victoris clementia) ſtrenuè in pugna cecidere. Subdito igne, dirutíſque pro temporis breuitate munimentis loco ceditur.

Caſtri muris admouetur.

Intermittitur ab vrbe diſploſio.

Oppidani obſeſſis animos addunt.

Expugnatur arx.

Erumpit ab vrbe Lanouius, expeditáque alariorum manu, Regios à tergo modò, modò à latere nouâ pugnâ infeſtat, accurrere auxilio Eſpernonij phalanx, inſultantes legionarijs noſtris in nouum certamen auertere, donec Iarriam ad caſtra vētum,

Tertiùm erumpit Lanouius.

Iactura Regiorum hostiumque. recensito occisorum numero, ex sclopigerorum imperatori vigilum ordine, inuenti sex, conductitiorum quatuor, nobilium vix totidem: strenuè eâ die à Valeta pugnarum memorant, cui Espernonius, tentandæ virtuti, imperatorio munere cesserat. *Valeta strenuè dimicat.* La Valete. Laudata quasi turbato naturæ ordine filij adolescentis sagacitas, patris iam senis, qui se militem gesserat, audacia simul & alacritas; adeò vera est iactata apud Gallos parœmia, generosum naturâ equũ nullâ fieri posse degenerem labantis æui iniuriâ. Bironius se item à Bironiorum nomine non degenerem præbuit, Roüilliacus sibi bello quæsitum decus auxit, magno vitæ periculo alarios ductans.

Noua Espernonii expeditio. Refecto morâ breuiori exercitu, paucis abhinc diebus, Espernonius infestandis obsessis, maritimam oram quadringentis equitibus pręterlegebat, non longè ab vrbe, cùm in triginta prædatores fortè incidens, apertâ hinc inde plagâ fugaces insequitur, illi in Ecclesiâ secundùm fugam obuiâ salutem quærere, occludere fores, cauare ad latera tormentarias fenestellas: vrgere Espernonius, procuratáque breui crepitacula portis admouere, quæ vi ingenti disiectæ latam victoribus aperiunt viam: *In vincula acti prædones XXX.* parcitum hîc sanguini; si, quos prælij calor ferrò abstulit, eximis.

Plura commissa in dies prælia, modò Regijs, modò victoribus Rupellanis, quamquam vastati ad Regis imperia agri inhibuere penitus vtramque messem, maturam illam, vnde militibus Regijs quasi ex præda manubiæ, hanc præcoci adhuc indebitam ferro, quod prægraue hostibus fuit, at neque abire in

silentio debeat incendium victoribus illustre, quo Rupellæ molendina arsisse memorant. in hunc modum. *Vtraque messis hosti prærepta.*

Non satis videbatur Regiorum audaciæ, vastari Rupellanorum agros & prædia, nisi in ipsammet vrbem ferrum grassaretur, & flamma. Placuit ergo tentari in vrbem insigne facinus: molendina vrbi adiacebant loco oppidanis percommodo, initur de immittendo igne consilium; euestigiò manipulatim legi duo peditum millia, trecentos alarios, in quadra agmina disponi acies, extendi ad earum latera alas. media nox erat facinori oportunè obscura, seu quòd illunis, seu quòd cœlum obduxerant nubes: dat se in viam exercitus, indictóque silentio lento passu proceditur, ne collisa inuicem arma strepitum ederent. Difficillimum est progredi in armis nullo strepitu acies, noctu maximè, vbi è longinquo vel leuissimum murmur exauditur, garrulóque milite perstrepunt vulgò ordines; attamen, nemine obuio, nihil reclamantibus ab vrbe vigilibus, admotæ molendinis scalæ priùs intromittunt Regios, quàm ne ipsamet suspicione agnitus hostis: experrecti subito fragore molitores ferro cadunt: post prædam ignis inditur, lignea erat Molendinorum cōpages, cui admotus ignis tecta illicò corripit, proditque se vrbi apertiùs: ad hæc clamare vigiles, tumultuariò arma capi, quasi periclitante vrbe: iam ea parte propugnacula, ad flammam in aperto erant, imò & forsan in ipsam vrbem dubijs adhuc oppidanis tentata oppugnatio foret; nì supra ducentis mille legionarijs erupisset Mompoulianus; hic di- *De mittendo in molēdina igne consilium capitur.* *Lentè procedunt agmina.* *Iugulati molitores.* *Erumpit Mompoulianus.* Mompoulian

micatum ſtrenuè: quippe diem induxerat flamma inualeſcens,emicante velut ad ſolis radios armorum chalybe: nunquam acriùs actum. Mompoulianus vir audax Forcææ ſtirpis gloria, & decus,vltrò ſuos voce accendebat ad prælium; miſcetur Regijs;illi ad frontem, ad latera, à tergo hoſtis; vmbone tamen propellit ictus, ferro adeò infert acriter, vt panegyricum ſibi ab ipſo hoſte promeruerit, dubiam diu victoriam fecerat vnus ille, cùm ferri acie, periculoſo ad frontem vulnere ſaucius,oculorum vſu ad defluentem magnâ copiâ ſanguinem præpedito, ſe vix in veſtigio ſtantem legionarij tutelæ commiſit ductandum in vrbem; quo factum ſinè morâ, vt deſpondens animum hoſtis, quem vna imperatoris præſentia faciebat audacem, in fugam abreptus,loco, victoriáque ceſſerit; fugientibus illata ſtrages maior, quàm antè.

Vtrinque acriter dimicatum.

Vulneratur Mompolianus.

Deſpondet animum hoſtis.

Rupellanorum hoc prælio centum gregarij, nullo præfecto aut nobile, Regiorum deſiderati, ſupra vnum viginti, inter quos ſex alarum Ellebouij & Moreti cataphracti. Aiunt Eſpernonij bacillum quem imperia deſignãs hùc illùc iactabat, plumbeâ glande colliſum,traiectúmque,quà capiti ſupereminet,galerum glande alia, vnde victimam fortunæ debuit tanto exemptus periculo:nepotis eius Roüillaci equus glande cecidit, eo ad caput leuiter vulnerato: conſumptis dehinc molendinis, compoſitus in nouas acies exercitus regreditur; victoribus flammâ & ferro.

d'Elbeuf. *Moret.*

Eſpernonius hoc prælio de vita periclitatur.

Roüillac.

Lanouius Sectarios inter vir magni nominis, cuius olim parenti,& auo bellis ciuilibus Rupella multum debuit,tædio longioris obſidionis (nam & con-

Lanouius vrſenda ſerers commeatum petit.

Lanouë

tinente obsidebatur Rupella, vt nihil nisi pugnâ commeare posset) visendæ carissimæ sibi sorori, non longè à prouincia, commeatum ab Espernonio petijt, datur, ille agendis imperatori gratijs Regias acies subit, habitísque in simul vrbanâ comitate verbis, de Sectariorum rebellione districtè dictum. Hîc imperator, virum illustrem hortari meminisset maiorum, quos Sectæ militasse in comperto est, quandiu suis illa Regibus meruit: excusandos vtcumq; videri plebeios, si in Regem arma conuertunt, quando nouæ auctoritati incubant, quibus in libera republ. imperium est: nobilibus nihil esse posse prætextus, quò arma capiant: imò victore populo, futura illis infesta omnia, non habito tunc nobilioris prosapiæ delectu. Nobilium interesse in Gallia opprimi rebellem populum, qui libidine impotenti affectans imperium, quid aliud cogitat, quàm plena libertate potiri? feuda nobilibus esse, quibus honorariâ seruitute, populum iurisdictione, aut censibus sibi deuinciant, quæ perire omnia necessum sit, si libertas præualet. quibus ita positis, non posse nisi efferâ crudelitate armari in Regem suum nobiles, quando ipsorummet interest reprimi audaciam populi. Regem Oceanum esse, aut solem, vnde aquæ omnes, quæ terram irrigant, lumina quælibet quæ cœlum illustrant continuâ emanatione emergunt; nobilitatem, aquas, aut lumina: si Oceanum orbi dempseris, Solémque cœlo; nec aquis terram irriguam, nec luminibus cœlum futurum illustre; si Regem imperio, periturum omne nobilitatis decus, quam vnius coronæ radij

Plura Espernonium inter & eis colloquia.

Nobilium interesse opprimi Rebellem populum.

Regem Oceanum esse aut solem.

Quare.

Vbi populi arbitrio summa rerum posita est proscribi nobilitatē. illustrem faciunt, ibi floridam nobilitatem esse, vbi præualent Reges; vbi summa rerum delata populo, seruire illam arbitrio plebis. in promptu esse etiam apud vicinos exempla: Heluetios, Rhętos, Geneuenses, Batauos Ordines nihil habuisse pręcipui, ad iacta primùm libertatis suæ fundamenta, quàm vt proscriptus nobilior sanguis, æqualitatem non habito delectu induceret. Contrà florere nobilitatem, vbi Regum imperia vigent: Poloniæ, Britanniæ magnæ, Bohemiæ, Hispaniæ, & supra omnes Galliæ nobilitatem commendari virtute & sanguine, quia Regum imperia subeunt. Populum profligato genio extrema sequi, aut seruum esse omnis capacem obsequij, aut superbâ crudelitate tyrannum. *Suisses. Grisons Geneuois. Hollādois.* *Florere vbi Regum imperia florēt.* *Polongne. Angleterre. Boheme. Espaigne. France.*

His aut similibus tētauit Lanouium in fidem retrahere Espernonius, conatu irrito. Datam à se Comitijs fidem respondit, quam violare tutis honore & conscientiâ nequeat: neque eò venisse proteruiam populi, vt abdicato Regis obsequio liberæ reipublicæ studeat, vnam quæri libertatem conscientiæ, quæ, si dabitur, vitâ & bonis in tuto positis, nihil iussis differenda obsequia. *Lanouē* *Irrita suasio in Rebellione sua obstinato.*

Libertatem conscientiæ Sectarus iamdiu à Rege concessam. Ad hæc Espernonius futilem esse prætextum, neque addubitari posse, quin libertas conscientiæ eamet hodie sit apud Gallos, quæ Henricis olim III. & IV. regnantibus. Iustam exercitus Regij partem constare Sectarijs, quibus si prohibitus esset Religionis suæ ritus, ánnum absisterent procul? vitam & bona Sectariorum scedulâ hodie ex diplomate Regio redimi; obtestatósque apud iudicem, velle se in obsequio & fide perstare, illæsos viuere, nullâ bo-

norum iactura; quibus ita positis superesse vnum liberæ reipublicæ amorem, in quem abripiatur secta. Si præmiorum habetur ratio, lucri, aut honoris, plus in nobiles momento vno Regem conferre posse, quàm labantis æui decursu sectam. Decem illi ad minus præfecturarum millia, quas nobilibus impertiatur ad libitum: supra has magnatibus accrescere posse coronæ, quæ vocant munia, magna illa, primoribúsque debita: maiores venationis, mensæ regiæ, maris, equorum, legionúmque præfecturas, Marescallorum Galliæ Bacillos, prætorianæ, aliarúmque cohortium ordines: torque collegij equitum Regij donari posse; his addi pensiones annuas quibus, alienis sæpe nominibus exhaustæ nobilium facultates restituantur in integrũ, viuátque in debito splendore nobilitas, quibus nemo ambigat sectam destitui. mereri illi stipendijs ipsam suis nobilitatem, bellóque demùm confecto nihil sperare posse, à sectæ ludibrio, Regísque iracundia, quàm rei familiaris dispendium. Nihil his suasus Lanouius, priùs se moriturum dixit, quàm datam Comitijs fidem exueret, sororéque ex destinatione inuisâ, Rupellam postmodùm traiectis Espernonij castris redijt.

Regem nobilibus habere quod impertiatur supra sectã.

Seu honorẽ spectas, seu largitionem.

Postridie alarij circiter viginti, ab vrbe in castra excurrentes, quæsitis longo errore anfractibus, intentato, eóque regijs incauto itinere, quia per angusta & lubrica flexerant, præfectum militiæ dum liberiùs extra vallum diuagabatur capiunt, prædâque ouantes, ne positis ad viam, quâ aduenerant insidijs malè secum ab hoste ageretur, pedem aliò re-

Capitur à Sectarijs præfectus Regiorum.

ferunt, quod illis exitio fuit. Espernonius quippe sagacitate imperator eximiâ, profundioribus fossis vias Rupellam omnes iam antè obstruxerat, tutandis scilicet castris: hostis, obductâ in quam se primùm proripuerat viâ, aliò iter struere, quo obstructo item, tertium indagare; at fossæ vbique profundiores, nimiúmque abrupti aggeres, quàm vt commeare equitibus datum: Ad hæc præfectus anxijs prædonibus; Video, inquit, prædam vos prædæ esse, captiuíque vestri iure potiori captiuos. dissimulare illi interdum, anfractúsque explorare, quos hinc inde notus loci genius demonstrabat: at fatigatis iam nimiâ agitatione equis, præreptáque effugij spe omni, fateri ingenuè captos se qui cepissent. Pacta dehinc conditio, quâ sacramento præfecti fides adigitur, acturum se cum Espernonio, repetant saluis supellectile & vitâ vrbem suam. ille regredi, exhibere dehinc imperatori viginti prædones, hoc acumine; BIS DENI HOSTIVM ADSVNT, QVOS POSITVS IN VINCVLIS MILES VNVS, EGIT IN VINCVLA. Hæsit defixus diu imperator; neque enim probè liquebat quâ ratione in rem gestam acumen incideret; cùm præfectus rem aperire fusiùs, datáque à se fides rogare, seruaretur, qui alioquin Rupellam ipse lubens subibat, agendus in vincula. Hîc facto arridens imperator nihil addubitare, quin fidei standum foret, quo factum, vt in debitò commeatu Rupellam redierint, qui aut capti iam credebantur, aut cæsi.

Cauatis ad vias fossis abruptisque aggeribus occlusum effugium.

Qui ceperāt capiuntur ipsi.

Acutè dictum.

Dimissi captiui nulla redemptione.

Struendis insidiis Lanouius syluā occupat.

Lanouius, quem suprà diximus post inuisam ex voto sororem Rupellam reuersum, struendis hosti

hosti insidijs, qui ad vrbis interdum munimina liberiùs excurrebat, in nemus vrbi adiacens, quà à castris in vrbem iter, alariorum stationem locat, fisus loco, qui vastis circùm arboribus tegebatur. Inclinabat iam sol ad meridiẽ, nec positis ad nemoris oram exploratoribus quidquã adhuc prædæ oblatũ; cùm famelicus miles, exactis XXIV. nullo victu ad insidias horis, sibi copiam annonæ deposcit. missus in proximum pagum pedisequus rustici ope commeatum inferre, ire interim à pago ad Espernonij castra nuntius, detecturus insidias. Dúmque Lanouij manus, absumptas vigilijs vires cibo reparat, instrui Regiorũ phalanx expedita; quæsitísque anfractibus, ne ab exploratoribus detegeretur, syluę admoueri à tergo, quà patebat Rupella, quasi parũ firmato eo accessu, quà nihil sibi præcauisse creditus insidiator; ita res habuit. Iámque Lanouius refectus cibo, conscenderat arborem, prospecturus velut è speculâ num se præda obijceret, perspicillúmque, quod prospectus longioris vocant, oculis identidem applicabat; cùm irrumpens à tergo Regiorum manipulus incautos priùs opprimit, quàm insidijs adesse insidias agnitum. Lanouius qui ad radices arboris posuerat ferrum, conamine in imum præcipiti voluitur, sclopum arripit, frondosáque adhuc arbore tectus loricam induebat quando circumequitans manipuli ductor; Non habes, inquit, effugiũ Lanoui, præpeditus ille semipræcinctâ loricâ, post cæsos, aut actos in fugam milites suos; Gratis, inquit, vester ero, si vita promittitur. Ad hęc Baro Nieulius (id præfecto nomen erat)

Missus in pagum pedisequus annonam infert.

Monetur à rustico Espernonius.

Mittitur in hostem phalanx.

Incautus opprimitur.

Lanouius capitur.

Nieulieu.

se vadem salutis præbere; sequutus fidem, ne dearmatur quidem, donec ad castra ventum, vbi petitum de more sclopum & ensem victori cessit. Dehinc Espernonio sistitur, qui capto blandùm arridens; Si cano, inquit, capiti fidem nuper habuisses, liber vobiscum ageres, quem ipsamet hodie clementia addicit carceri, iustitia morti; at esto, qui gratis noster esse noluisti, inuitus eris: quamquam & commodo tibi etiamnùm vertet captiuitas, perituro fortassis ad prælia, quibus alioquin vitæ prodigus adfuisses. Quod mea spectat amicè agam, qui magnis animis, prostratos opprimere, opprobrio duco. Ad hæc Lanouius, habitis humiliter gratijs, hortari statueretur redemptionis precium, quò absisteret. Espernonius contrà monendum Regem, maioríssque momenti prædam, quàm vt eo inconsulto dimitti debeat; stare eius arbitrio libertatem & vitam. Missus dehinc ad Regem nuntius retulit Espernonio literas, quibus tot victorijs gratulatus Rex, summam rerum credebat eius prudentiæ; futurúmque sibi non in gratum quidquid eo auctore geretur.

Gratè excipitur ab Espernonio.

Arbitrio Espernonii linquuntur libertas eius & vita.

CAPVT VII.

EPITOME.

Afflicti ad continentem Rupellani, subsidiis mari alleuantur. Ex nouis, nouus belli ordo præscribitur secta. Montalbanum, Britanniámque magnam subeunt

Comitiorum Oratores successu diuerso. Iubetur iterum Gusius Massiliæ classem instruere. Periculosa triremium ad Oceanum nauigatio. Explorando Rupellanorum portui Espernonius aciem instruit. Angolinium venit exercitus. pons occupatur. erumpit hostis. Legionarij manipulatim in circulum dimicant. Funditur Fauasius, fugiendo vincit. magnum Espernonio à tormentaria pila periculum. irritum eius stratagema. ipsorum Regiorum ope frumentum Rupellam mari inuehitur. accusatur ea parte nobilium auaritia. Chalardus frequentioribus classem Rupellanam excursionibus infestat. de opprimendo eo consilium capitur. prælio se Chalardus accingit. illi naues auxiliares duæ vadis illidunt vulneratur ipse. nox prælium dirimit. eius laus. Montalbani obsidio à Rege, Mayennióque paratur. Synodus Nemausi coït.



VM ea Regijs felicitate bellum ad continentem gerebatur; nihil despondebant animos Rupellani, reparatis abundè viribus, mariq; immisso identidem commeatu; quinimò, ne quid adhuc audaciæ deforet, post præscriptum nouo ordine bellum, noua in prouincias diplomata mittunt: caussa mutati ordinis ea fuit, quia vt suprà memorauimus, primores sectæ ab illa defecerant, deditæque Regi pleræque vrbes, quarum oppugnationi exigenda æstas, ipséque autumnus sperabantur. Quare necessum fuit mutari rerum ordinem prouincijs rectoribus suis destitutis, captísque vrbibus quæ Sectæ præsidio in longum tempus

Rupellam mari subsidia adueniunt.

Præscribitur belli gerendi nouus ordo.

Missi in Britanniã oratores. futuræ credebantur, donec firmatæ reliquæ. Rupellâ ergo citata nauigia soluunt; hinc in plagam Burdigalensem descensione facta, Montalbanum itur; illinc in Britanniam magnam, Batauiámque appellitur, suppetijs pro religione petendis: vtrumque fato dispari, quippe irritâ ad extraneos delegatione, supra prædones aliquot, qui se à plagis Zelandiæ, & Britanniæ vltrò obtulere, nihil Rupellam subsidij missum; ab Oratore Montalbanum misso feliciùs actum, firmatis in rebellione animis, qui nutabant. *Angleterre. Hollande.* *Infelici successu.*

Iubetur Guisius instruere classem. Infestabat ergò obsistente nemine circumiectas plagas classis inimica; cùm monitus Rex, iteratis ad Guisium litteris iussit nullâ morâ classem iamdiu procuratam transfretare ad Herculis metas. At neque iter expeditum, parum aptis Oceano vastiori triremibus, periculosóque illis Gaditano freto; quà nouum erat transfretare triremes, bellicis quidem expeditionibus commodas, sed longis erroribus minùs idoneas. Ad imperia tamen res vix antè tanto apparatû tantata perficitur, instructáq; armis, & milite classis, confœderatorum aucta subsidijs, Massiliâ, procurante Guisio soluit, ductantéq; Dampetra magno triremium in Gallia præfecto (Generalem vocant) plagas Agathensem & Narbonensem, hinc Hispaniæ littora, Africámque legit, faciliore quàm speratum nauigatione & magis prosperâ, de quâ fusiùs suo infrà loco. *Oceani nauigatio triremibus parum tuta.* *Destroit de Gibaltar.* *Dampierre General des Galeres.* *Agde. Narbonne.*

Rupellanũ portum exploraturus Espernonius milites legit. Espernonius interim Rupellani portus exploraturus situm, quod non nisi magno periculo poterat, ex qualibet cohorte ducentos milites legit, ex phalange quingentos alarios; habitóque Regio-

rum* delectu numerati mille & ducenti pedites, quibus in tria agmina distributis primũ cornu Auriaco obtigit, secundum Roüillaco, reliquam aciem ductabat ipsemet Espernonius.

Auriac. Roüillac.

Nondum illucescente ad III. Eid. Septemb. crepusculo, placuit apertâ planitie in quadra agmina committi acies; hinc militari gressu, signísque expansis Angolinium itur, pagus est ad plagam, paludibus circumiectis portui adiacens, nec vrbe procul: quippe qui vix ab eâ lapideo ponte dirimitur, aptus ideò agnoscendo portui, quia seu plaga obstat, seu agger genio loci assurgens, nullus in eum est ab vrbe prospectus. Progrediente exercitu pręmissi rorarij, qui pontem & viarum angusta insiderent: nec diu cùm destitutam præsidio stationem relatum (neque enim visa dum ab vrbe signa, tegentibus dumetis, & aggere) quò factum vt firmatus præsidio transitus periculosum alioquin opus in plano posuerit. ad Monticelli accliue locatur legio, alæ hinc inde ad latera, intereà imperator leuiori manipulo aduoluitur portui; hîc nauta vigil, hoste agnito, ad arma clamat; at neque exaudiebatur ab vrbe reboantibus Oceani vndis, nî displosa illicò tormenta duo, monitos oppidanos impulissent, vt supra mille ducentos gregarios ducibus Gauinio, Verduro legato, Gauinióque filio signifero, ducentósque Fauasio præfecto alarios emitterent.

Angolin. *Angolinium venit.* *Pons occupatur.* *Espernonius portui aduoluitur.* *Nauta fragore excito oppidanos monent.* Gauins. Verdure. Fauas. *Erumpit hostis.*

Corelle Chef de bois.

Iam errore longo ad Corellij caput penetrauerat Espernonius, è regione Capitis lignei ad ostium, quà portum Oceanus subit, cùm viso hoste, nihil cunctatus iubet acies Regias succedere portui; illæ

Designatur ad Bonamgrauam statio. in armis aduolant: lecta hîc legio, quæ Bonægrauæ stationem firmaret loco percommodo, accliuíque aggere, ab vrbe tuto; campo dehinc inter Corelli caput & vrbem medio, in quadra agmina distributũ quod adhuc virium suppetebat, positis ad lęuam Oceano, ad dextram legione prędictà. Ex aduerso, testudineo gressu aduentabat hostis, hoc ordine. *Bonegraue.* *Corelles.* *Rupellanorum numerus & ordo.*

Mille hastatos mixtim & sclopetarios, circumequitantibus in varias turmas ducẽtis alarijs, iustam aciem in triangulum ductabat ad primum cornu Gauinius, legionariorum præfectus, popularibus studijs ad eam dignitatem euectus, qui & ipse Rupellæ oppidanus è fæce populi erat: extenta ad imum cornua duo, Gauinio filio, Verduróque commissa. Iam eò ventum quò Regiorum sclopi non ægrè glandes impellerent, cùm Fauasius vir strenuus & sagax, deducta in concilium prçlij ratione, censuit muniendas sclopigeris circumiectas vineas; vetus est militiæ regula, quâ legionarij occulta saltuum, fallaces dumetis campos occupare iubentur, permissa alarijs planitie, quibus equorũ velocitate in plano est periculũ effugere, aut insectari hostem: at plebeij hominis impotenti ad imperium libidine, spretum viri magni consilium (adeò militiæ rudes supra genium & vires de seipsis præsumunt, posthabitis veteranorum sentẽtiis, vt suomet ipsi iudicio maiores habeantur) placuit in manipulos diuidi legionem, qui sibi in circulũ mutuò succedentes indesinenti displosione impeterent Regios: primâ fronte nostris pugna infesta fuit, verberatione continuâ cæsis plerisque; manipulo suc- *Cauins pere & Fils. Verdure.* *Fauasij consilium spernit Gauinius.* *Fauas.* *Legionarij manipulatim in circulum pugnant.*

cedebat manipulus, cui ſtatim à diſploſione in fugam abrepto ſubſtituebatur nouus item, donec qui prior eruperat, armatis nouo puluere ſclopis repararet pugnam. Nondum redierat in ſemet circulus militaris, cùm Prætoriani vigiles, Loſieriíque Theminij cohors expedita in manipulos abripiũtur Eſpernonij iuſſu, nec diu pugnatum cùm præcipiti fugâ hoſtis cedit loco. hæc legionarij.

Fugatur hoſtis.

Lonſieres. Themines.

A latere acriùs ab alarijs vtrinque pugnatum, Regios ductabant Comes Auriacus, Marchióq; Roüillacus, ſequebantur Freſnoyus & Coulangius, ille Reginæ, hic Curæi loricatorum pręfectus: atenim conſultò Fauaſius pedem refert, inſequutus Auriacus, prælij æſtu ne quidem viam aduertit, cui ſe applicabat alarius victor; profunda illa, ductáque in propugnaculum vrbis recto tramite lineà, infeſta diſploſione machinarum; periculum auxerant, ducenti ſclopetarij, quos prærupto vtroque hinc inde aggere, dumetis ſupra viam aſperis circumlocarat Fauaſius, haud belli expers: edita hîc Regiorum ſtrages eò morientibus grauior, quòd eminùs inulti cadebant. At neque pedem retuliſſe inglorium eſt dolo interceptis, iam fugiunt quibus antè adeò luctuoſum parauerat fortuna triumphũ, vt hoſtem diutiùs inſequuti animam in victoria omnes poſituri eſſent: faciliori viâ dumetorum aſpera occupant, vbi cæſi demum ad internecionem legionarij, quibus inacceſſus à viâ ager munimento fuerat.

Dolo illata Regiis ſtrages. *Pedem referunt Regii.* *Hoſtémque mulctant.*

Auriac. Rouillac. Frenoy. Coulãges. La Curee.

Longiori iam prælio deficiebant Regios vires, & audacia, reſtauratíſque nouo identidem ab vrbe de-

lectu, aciebus ouabat hostis: cùm Espernonius conglobatum ad extrema agmen triarios milites iubet fatigatis succedere; restauratum hîc nouo furore prælium. magnum erat in speciem, quod Regijs inferebant damni tormenta hostilia, viginti illa, ab vrbe, aut portu; at re minimum, ad incertos plerumque ictus vanâ displosione.

Redintegratur prælium.

Instabat hora iam à meridie prima, cùm ieiunus adhuc imperator prandij sibi copiam in alga deposcit; tumultuariò instruitur mensa, intereà nuntius adest maiori quàm antè armorum, bellíque apparatu erupisse hostem, eductas belli machinas duas, quas equite viam designante circumstabat legio: ad hæc Espernonius hausto in Genij solatium mero; Si mihi, inquit, suppeteret diei satis, fallor, aut hæc vobis commilitones tormenta addicerem, loquebatur adhuc, cùm ingenti fragore pila tormentaria repentè præteruolans sauciato nemine terrorem incussit. Sequitur dux conatu irrito; quippe minùs conserendæ manui hostis eruperat, quàm Corelium primo ab vrbe lapide inducendis machinis, & milite, metu obsidionis, vt agnitum dehinc. Corelles.

Mensa imperatori instruitur.

Noua eruptio renuntiatur.

Magnum Espernonio à tormentaria pila periculum.

Strenuè vtrinque hoc prælio actum, iacturâ vtrinque ęquali: imò si Fauasio peditis ea die ductandi munus incubuisset, addubitatum Regióśne stragi exemisset sagacitas Espernonij. Sed neque hîc præterire liceat commentum magno imperatore dignum, quo perhibetur ad ea tempora vsus ille.

Imperatoris strategema insigne.

Vastatis Rupellanorum prædijs, primorum in vrbe quorumdam messem, supellectilémque rusti-

cam

cam ſalua habuit, imo & militari ſtatione eximit, quæ bello maxima omnium gratia eſt: quandóque captis à milite eorum armentis, ſupplebatur numerus (ſi quod iam ſibi miles caput addixerat) nulláque dehinc redemptione reddebantur. hinc tacitus in primores, populi rumor, qui litteris demum redintegratur, in ſpeciem arcani ad eoſdem ab Eſpernonio miſſis: donec præfectorum conſilio, detecta fraus ludibrio fuit.

Attamen hoſtibus leue à vaſtatione damnum, ſi quos tot prælijs ferrum abſtulit eximis: quippe eò maiorè copia vectabatur Rupellam frumentum traiectitium, quòd eius prærepta meſſe nouerant extranei mercatores in vrbe penuriam; hinc ſæpius priuatorum ſtudijs Rupellam appulere Batauæ, Britannicæque onerariæ, magnâ annonæ copiâ: imò, quod luctuoſum eſt, apud mercatores Catholicos præualuit auaritia fidei; minùs quærentibus ijs, quis hoſtis foret, quàm vbi caro frumentum vænale; quæ peſtis penè vbique in Gallia non mercatorum modò, effari pudet, ſed & nobilium ipſorum laudatam aliàs integritatem corrupit. Vulgaris omnibus ea libido fuit, redactis alioquin ad extrema hoſtibus; quin & proditionis poſtulati coram Rege plerique nobilium, quòd Fuxenſibus, Montalbano, & alibi frumentum, vináque precio ſubminiſtraſſent, primorum gratiâ, aut fauoribus dimiſſi ſunt, quorum ne flammâ quidem expiari poterat ſcelus; at hæc alibi, ſi memoria ſuppetet.

Frumentũ traiectitiũ Rupellam vectatur.

Nobilium Catholicorum auaritia.

Fuxenſibus Rupellæ, Montalbano frumenta miniſtrant.

Foix. Montauban.

Rupellana claſſis infeſtabat, vt ſuprà dictũ, maritimam oram, collatáque in publicũm præda om-

Collata ab hoſte in publicũ præda.

ni, manubias ferendis belli sumptibus, in stipendia viritim distribuebat militi, traducebátque ad prouincias ex necessitate: quamquam ad Broagij portum prætoria nauis, vna illa, bellóque impar, excursionibus sæpe obsistens, morabatur prædones illato sæpius damno; illi præfectus Chalardus, cui vt plaga notissima erat, ita numquam statione suâ, nisi Rupellanorum damno soluebat: opprimendi ergo Chalardi Rupellæ consilium capitur. Nec morâ, instruitur classis, nouóque delectu suppletis nautâ & milite reparatur Bataua nauis, ingens illa, bellóque expedita, quam & ipsi Oceani dominam appellitabant, subeunt ducenti milites supráque XX. tormẽta IV. adsunt V. nauigia, leuioris quidem armaturæ, prompta tamen; vltimò triremis ingens IX. tormentis bellicis. eo belli apparatu Rupellâ Broagiũ itur; spe aut intercipiendæ in portu nauis, aut opprimendæ in alto. Triremis, quam impellebant acriùs remiges duobus circà milliaribus aduoluitur portui, classis reliqua promontorium non procul occupat, nihil addubitante præfecto classis, quin Chalardus nullà in triremem morâ erumperet, quæ ad conspectum, fugam adornare iussa, incautum certo implicabat exitio.

Chalardus ad Broagii portum nauis præfectus. *Broüage.* *Chalard.* *De opprimẽdo Chalardo consilium.* *Instruitur Rupellæ classis.* *Broagii portui ad milliaria duo aduoluitur.*

Chalardus, qui è speculâ procul aduentantem classem detexerat; non ideò deponere pugnæ audax consilium, quin potius, quamquam viribus longè impar, lectis tumultuariò in vrbe militibus prætoriam instruere, nauiúmque præfectos duos Morelaüm, & Botonæum, hortari vectorias citò naues educerent, bello minus quàm exportandis merci-

Chalardus se prælio accingit. *Morteau.* *Boutone.*

bus idoneas illas. moriendum, aut captâ trireme agendos in vincula Rupellanos: sic profatus, leuiori manipulo prætoriam subit, nec diu cùm adfuere nautæ, centúmq; circa milites, iustum nauigij maioris præsidium: instructa quoq; nauigia duo sublatis anchoris statione soluunt, nō differtur mutua hinc inde tormentorum displosio, iámque ad triremem vela intenderāt naues, cùm exasperato Boreâ, Nortum appellant, impulsæ violentiùs carinæ, nullo prælio, sabuloso vado illidunt. exin verberatione cōtinuâ in eas actum, certis magnâ parte ictibus, quia immobiles illæ nihil collimatas machinas eludebant: at neque deerat Chalardus officio suo, quamquam solus. dum tamen hinc inde ad imperia abripitur præceps, vulnus ex assulâ, quam tormentaria pila excusserat gubernaculo, ad oculum excipit, leue illud, nisi quòd visus facilitatem præripiebat copia sanguinis à vulnere defluens: sed neque minoribus ideò facilitate, animóque machinas ille suas displodit, vt immane hostiū tormentum, quod illisis ad vadum nauibus exitio erat, rotis excussum in imum egerit. instructa interim ad portum noua nauis auxilio aderat, at illa per naucleri insciriam dimicanti Chalardo penè excidio vertit: quippe expāsis vento aduerso velis, quæ à dextrâ adesse debuerat restauratura pugnā, vi ingenti inflatis supra modum carbasis, prætorianæ latus rostro quatit, quæ acta bis, térque in circulum penè naufragium fecit; dum nullo auxiliatrix gubernaculo arbitrio venti & fluctuum in vada impegit. Destitutâ præsidio omni prætorianâ, circumstat Rupellana classis, hastis,

Naues duæ illidunt ad vada.

Chalardus solus depugnans vulneratur.

Nauis eius auxilio aduolans vado illidit.

Ille strenuè dimicat.

vncísque ferreis: nec propterea Chalardus animo deficere, quin potius obducto fasciâ oculo, milite, nauclerum, præfectúmq; agẽs, modò intrepidè currere ad pericula, carbasis modò, antennísq; ventũ ex necessitate metiri, modò imperia à prora ad puppim, à puppi ad proram designare. Frustranea tamen ducis diligentia, non dato iam nisi morte vnâ effugio; quando præceps nox, recurrentísq; in semet Oceani vnda refluens periculo eximunt: quo factum, vt naues, quæ vadis hæserant, altiore iam redeuntibus vndis Oceano in altum euectæ, circumstantibus Rupellanis institerint, à quibus nihil illicò cunctatum quin inter noctis obscura effugerent. Ita Chalardi vnius virtute, si non parta Regijs victoria plenior, elusum saltem stratagema hostium, ab imminentíque excidio liberatæ naues: vnde coronam sibi nauticã promeruit ille exhinc eá plagâ notissimus, leuioribúsque in Rupellanos excursionibus, dum à Mediterraneo classem operitur illustris, quas hîc consultò ad maiora vocati omittimus.

Rupellani fugiunt.

Chalardi laus.

Intereà Rex Aginni ad Garumnam Montalbani obsidium adornabat; quod dum in vlteriore à Mayennio, ab ipso Rege in citeriore Aquitaniâ parabitur, oberremus ex occasione Septimaniam nostram, vbi Nemausi habita interim Synodus iniuriosè Chatillonium habet.

Agen. Haute & basse Guyẽne Languedoc

Nemausi habita Synodus.

CAPVT VIII.

EPITOME.

Mommorancius Margaritas castra mouet. præfectis militiæ distribuuntur munia. Concium appellitur. Margaritę expugnantur. in turrem se proripit hostis. Nemausenses in subsidium aduolant conatu irrito. hostium strages magna. ab Annonæo actum strenuè. Blaconsius Ensingeautium intercipere tentat, magnáque suorum tacturâ repellitur. Chaillarii rebellant, obsessóque Castro metu Vantadourii aduentantis dilabuntur. Chatillonius à suis rerum summâ mouetur. inseritur latæ sententię formula, quâ pluribus Sectarii de eo queruntur. eius apologia, & fides.

Mommoracy Montpellier.



OMMORANCIVS iussus à Rege Montispessulani, Nemausíq; agros populari., obsistente non nisi in speciem Chatillonio, æstiuâ Sectarios messe destituerat; quando placuit Margaritas, vrbem Sectariorum ad tria à Nemauso milliaria sitam, admotis interdiu scalis oppugnare. arduum facinus, at Mommorancio dignum, cuius non nisi ardua animus appetit. quadringentis militibus Nemausus firmauerat pagum, nullis munimentis: nisi quæ tumultuariò miles exstruxerat: veteres circumstabant muri, superstructâ macerie tantùm, si tormenta desint

Mommorancius Margaritas castra mouet.

Margueri-tes. Nismes.

contra hominum impetum fortes. eo illi animo ſubierant pagum, vt agrorum vaſtationi obſiſterent. Viſum ergò militari conſilio operę pretium, citra apparatum nullo ſtrepitu oppugnari locum, imminente alioquin periculo à Chatillonio, aut Nemauſijs, qui non inde procul aberant. Dicto citiùs factum. ſeptem ad ea tempora cohortes, tres alariorum ordines Mommorancio imperatori merebant: legionarijs quatuor millibus, trecentis circa equitibus conductitijs adiuncti ducenti nullis ſtipendijs, nobiles omnes, quos Voluntarios vulgò appellitant, Mommorancij vbique ſequaces. Conductos alariorum ordines Baro Caſtreſius Mommorancij Legatus, Perautius Nemauſi Seneſcallus & Baro Couiſſonus viri natalibus illuſtres ductabant. Rorarios pugnam adorturos Condominus, & Paladanus. primum cornu expetitum ab omnibus, Suellio & Figuareto nobilibus ſortitò obtigerat, agmen medium Marchioni Annonæo Ducis Vātadourij hodie fratri, Legatis Monmao, & Clauſoleſo, excurſorum præfectura Caſtreſio.

Eius copia.

Præfectis militiæ diſtributa munia.

Caſtres Peraut. Couiſſon. La Cõdomine Paladã. Sucilles Figuaret. Annonay. Monmau. Clauſoles.

Pridie Kal. Iunij Concium ſparſus hinc inde conuenit exercitus, ea vrbs eſt ad Rhodani ripam è regione Vallabreguæ. nec diu cùm via indicitur, quamquam perobſcurâ nocte. rareſcentibus ad crepuſculum vmbris, detecti ab hoſtibus Regiorũ excurſores ſclopis excipiuntur; adeſſe illicò ordinatus exercitus, póſtque indictas ad vrbis conſpectum preces publicas, teſſerámque datam quæ IOANNES erat, dari irruptionis ſignum. à precibus ad pugnam acriùs itur, certatúmque diu marte

Concium veniunt Mommorancii acies

Rhoſne. Vallabregues

Oppugnatur vrbs & expugnatur.

dubio, cùm Annonęus post superatum scalâ editiore murum, nudo ense propulsat hostem, murique munimentum inuadit, quo pectus tegitur, sequuti legionarij pari omnes audaciâ murum occupant; hîc se hostis laxâ in turrem fugâ proripere, accensísque ad eius pinnaculum facibus, Nemausios periculi admonere, qui ad visam eminùs flammam dum paratur repentè subsidium, ne obsessos interim deficiat animus, flammis item ab vrbe sua, quasi agnito indicio, adfutura mox auxilia respondent. Enimuerò. Mommorancius minimè dubius quin oppugnatione agnitâ fratrum auxilio Nemausij accurrerent, alarios suos iam antè locarat, quà Margaritas subsidiariæ copiæ ab vrbe aduentarent. Nec defuere officio suo Nemausij, quippe erumpens mille & quingentorum hominũ legio, obsessis præstò erat, nî alarij insessis viis obstitissent.

Se in turrem proripit hostis.

Faces monendis Nemausiis accensæ.

Adsunt in subsidium Nemausij.

Post retrusos in vrbem suam Nemausios, desperatâ præsidiarij salute, saluâ vitâ absistunt, nisi quòd Mommorancij arbitrio datus Fourniquetus præsidiariorum præfectus. Eâ expugnatione, è Regijs desiderati duodecim, quos inter Caboyus vir magni animi in Galliæ Narbonensis cohorte præfectus centuriæ, Mommoranciòque ex cuius familia erat, præcarus: at Rebellium iactura maior; quippe si octuaginta eximis, quos victoris misericordia incolumes dimisit, occubuere reliqui, supra vicenos trecenti. Laudatam ad ea tempora memini Marchionis Annonæi audaciam, dato ad prima hęc armorum rudimenta futuræ virtutis indicio, qui nedum hoc prælio adoleuerat.

Caboy.

Iactura Regiorum leuis.

Rebellium maxima.

Marquis d'Annonay.

Ab Annonæo strenuè actum.

Multa strenuè Mommorancius.

Plerasque huic non dissimiles expeditiones eodem ferè tempore confecit Mommorancius; quæ ijs abundè indicunt silentium, qui viro maximo maledicâ tum linguâ insultabant.

Blaconsius amicos intercipiendo Ensingeautio conuocat.

Per idem tempus Blaconsius Priuatij præfectus, vir ad omnia natus, maximè ad nefas, conuocatis Priuatium Augusto ineunte amicis, magni eos facinoris conscios facere, Ensingeautiiq; validissimæ arcis intercipiendę, quā diu apud se volutauerat, cogitationē aperire. Ensingautium Castrū est, genio loci, artéque munitum ad Galliæ Narbonensis confinia, Anicium versùs, vetus Episcopi Aniciensis ditio; statio, eò sectarijs gratior, quòd hàc illis ex facili à Vellaunijs in Viuarienses commeatus: sed non ita expedita eius expugnatio; visum ergo ex re cuniculis agere, noctúque tentare, quod alioquin supra vires positum videbatur. Lecti armorum Duces Castellonouanus, Amontius, Councolesius, Sibrerasius, & Chalardus, milites circiter quadringenti, sclopigeri mixtim & hastati, quibus summo iure præerat Blaconsius.

Ensingeaux. Le Puy. Velay. Viuarés Chasteauneuf. Amont. Concoles. Sibreras.

Admota castro legio intromittitur crepitaculo.

Imminebant mediæ noctis alta silentia, cùm per viarum aspera Castri muris aduoluitur legio. ibi admoueri nullo obluctante erecto ponti crepitacula duo, disiectísque cardinibus viam aperiri quantum satis intromittendo homini; experrecti fragore vigiles duo, qui se mediâ iam nocte securi applicuerant somno, arma capere, at leue subsidium. Chalamoundus crepitacularius audax, post factam vi viam primus irrumpit, subsequutus Amontius milites adhuc in limine dubios trahit in Castrum vi, aut exemplo;

Chalamound Petardier.

exemplo; personant vbique fatalia Catholicis verba, VIVANT ECCLESIÆ, occumbunt vigiles, cadit femina, quæ plusquam virili audaciâ mentita sexum, aditu diu prohibuerat hostem. Ad fragorem confusus velut implacidâ imagine flamen curialis, qui ab Episcopo pastoris in vrbe officio fungebatur, somni ocium horrore deposuit, nihílque dubius quin Ecclesiarum Rebellium proditione peteretur Ecclesia vna illa, quamquam iam septuagenarius, in hostem irruit; illi obuius Amontius stupere ad senilem audaciam, imbellémque conatum ridere, cùm hastâ transfoditur, subsequutus gregarius cadit eodem ferro, debitæ Sacerdotis manui victimæ. Ex aduerso Chalamontius & Sibrerasius valido præsidiariorum manipulo opprimuntur (iam enim ab excidio in spem salutis euecti stationarij opponebant furori hostium vltrices manus) nec diu cùm se hostis laxâ proripit fugâ, arctioréque ruinâ quà patuerat aditus, dum seipsos timore propulsant pars in effugio necantur, pars conglobato nimis ad ruinam manipulo sibi inuicem insidias struunt, pars vbi deficit tutior salutis expediendæ ratio, se in fossas à muris præcipites agunt. At, quod illis exitio fuit, imminente luce dum confusis ordinibus, turmatim pecudum more fugiunt, pecudum item more nullo prælio à Chatesio, qui ad rei nuncium, in Castri subsidiũ accurrebat iugulantur. Blaconsius cui prærupta rupium notissima, geniúsque prouinciæ, quadraginta militibus per saltus, & dumeta euasit; ingratus Priuatiensi populo, lanistáque publicè dictus, qui tot præclaros homi-

Audax femina facinus.

Flaminis curialis iam vetuli animus.

Cadit eius manu Amontius.

Cadunt Sibrerasius & Chalamontius.

Se fugâ hostis proripit.

Necati plures.

Chates.

Blacon.

Blaconsius vita consulit

Suis dehinc opprobrio est.

nes vrbis florem & decus ignaui socordiâ ad lanienam ductasset.

Per idem tempus apud eosdem Viuarienses tentatam memorant Chailariæ arcis expugnationem, ea Vantadourij ditio erat, ad Galliæ Narbonensis Comitia nuper fato functi; Domino placidæ indolis iam senectute graui illudebat subditorum proteruia, quo factum, vt excusso seruitutis iugo, vnà in Regem, dominúmque rebellarint. Vrbi supereminet Castrum, cuius tunc Bourguius, præfectus oppidanis magnâ ex parte Sectarijs obsistebat, quin rebellioni apertè subscriberent. Enimuerò Priuatiensium firmati viciniâ, præsidióque, audax aggressi facinus, facto agmine circumstant arcem; obsidionis illicò nuntius Lavoutam fertur, neque potuit Vantadourius quin duplici nomine copias legeret in subsidium; seu quia prouinciæ Prorex erat, seu quòd ipsius res agebatur. Protelauit deditionem Bourguius, donec ad subsidij nuntium territi Rebelles, metu hùc illuc dilapsi sunt, vrbem demum subijt Vantadourius victor, vbi priuato diplomate, renuntiatis in Regem, dominúmque suum rebellibus oppidanis, muros, quælibétque municipij nobilioris insignia præripuit, priuilegijs reuocatis; pœnâ de reliquo ad Regẽ cui vni, vitæ, necisq; ius est, remissâ, quamquam & ipse Prorex, de vita Regio nomine statuere poterat.

Chailarij rebellant.

Chailar

Arcem ex Vantadourij ditione occupare tentant.

Lavoute.

Fugiunt ad Vantadourii aduentũ Rebelles.

Vantadour.

Destituta in pœnam muris & munimentis vrbs.

Chatillonius quem iam antè sæpiùs diximus inter Sectariorum dissidia, Regi fidum, iussus à Rege Rebellionem diu simulauerat, magno rei publicæ commodo; donec proditionis in Sectam postula-

Chatillonius à suis indicto sistitur.

Chatillon.

tus iudicio ſiſtitur, habitâ per id tempus Nemauſi Synodo, vbi deſerens vadimonium quaſi contumax, in hanc formam damnatus eſt.

Haut & bas Languedoc Seuenes. Viuarés. Dauphiné.

Nos Eccleſiarum Reformatarum prouinciæ Narbonenſis vlterioris, & citerioris Cebennarũ, Viuarienſium & Delphinatus Oratores, præſentes litteras inſpecturis S.

Diploma quo proditionis in Sectam poſtulatus damnatur.

NOTVM facimus vniuerſis, quòd rogantibus Cebennarum & Viuarienſium Legatis, qui prouinciarum ſuarum nomine Chatillonium perfidiæ poſtulant, necnon exautorari petunt, qui non niſi ſupremo Galliæ Narbonenſis excidio, imperatorio munere in ea fungitur.

VISIS, Articulo Comitiorum generalium XIV. Iunij. An. M. DC. XXI. quo Circulo Narbonenſi delata poteſtas proſpiciendi ex neceſſitate ad libitum priuatis, publicíſque rebus; ARTICVLO item XVIII. eiuſdem menſis. quo eidem Circulo armorum, ærariíq; arbitriũ datur, ARTICVLIS Synodi prouincialis Pouſini ad Viuarienſes habitæ quibus Viuarienſis Circulus multa de Chatillonio proprętore ſuo queritur, petítque præſenti eum Synodo

Pouſin.

exautorari, ARTICVLIS item Circuli Cebennarum, quibus Synodus AndusianaKalen. Octob. habita Viuariensium subscribit placitis, ARTICVLIS etiam Colloquiorum Galliæ Narbonẽsis inferioris, quibus abundè patet oppressam propratoris administratione prouinciam, præposterè administratũ ærarium, vrbésq; eius imperio subditas, vnâ improbissimi viri auctoritate nutare in fide, quibúsque prouincialẽ hanc Synodum hortantur enixiùs, caueat ne quid ea parte publica res detrimenti patiatur: VISIS item proborum sententijs, vnóque Ecclesiarum in Gallia omnium voto: perspecta ex alto perniciosâ Chatillonij in nostrum caput licentiâ, cui vix aliud in animo est, quàm Ecclesiarum dispendio sibi fortunam struere, quod tum primùm in comperto fuit, cùm Gallia Narbonensis afflictis Benarnensibus præsto esse parabat, cui ille subsidio audaciùs obstitit, lectis sæpius in prouincia copijs, explorandis magè viribus Reformatorum Narbonensium, monendísq; dehinc hostibus quid virium nobis suppeteret, quàm inferendo illis damno, cui non nisi in speciem studebat vni religionis suæ excidio natus. Ita proditore ipso imperatore irritis sæpe conatibus tentata in hostem facinora, ita fractus aduersis omnibus miles signa deseruit, viriúmque hostilium opinione ductus, vbi nihil ex voto cadebat, de viribus ipse suis addubitare cœpit, quod nemo ambigat supremam exercitib⁹ ruinam adferre. Quoties vanis ab eo imaginibus delusæ Ecclesiæ? quoties oblato fortunatè hosti parcitũ? Quoties publicâ administratione interdicti, quibus ad

Andu. sc.

Questus iterant.

magna anim⁹ suppetebat? quoties obscurata nimbis atrocibus quæ hostibus apertā perniciē inferebant? in plano posita, imò & nemine sæpius obstante nullatenus periculosa; aut supra vires esse suadebat, aut differenda, donec scilicet ab hoste prospectum. Perpetua illi cū hostibus negotiatio, si quē reformatorū compellabat amicè aut liberaliter, vno hoc indicio proditor dici poterat. Nemo nescit missos ab eo singulis mensibus bis, térq; in regiā emissarios, monendis scilicet religionis nostræ inimicis, struendæque nobis ruinæ, amotis à se procul quib⁹ sūma erat publicæ Ecclesiarum salutis ratio; si quis earum impensiùs cōmodo studebat, proscriptus administratione rerum mouebatur; contrà quorum auctoritate & cōsilio pessum ibāt omnia, quorúmq; in id inclinabat animus, vt vnita Reformatorū fides fieret dissidij capax, excepti ab eo comitate vrbanâ, infidi homines de fide triumphabant, nempe exauctoratis, quorum animis vigebant adhuc veteris auorum fidei semina quædam. Præfectos vrbium nostrarum passus est, abdicatis Comitijs, hostium factioni subscribere; imò velut digno laude facinore, in silentio abire permisit, quæ, post amicas monitiones, ferro & flammâ expiare debuerat; at quid bella ijs intulisset, quos habuit postmodùm secreti arbitros, quibúsque arcana consiliorum aperuit monendis hostibus? si quando de Comitijs Rupellæ generalibus sermonem instituit, quæ in eorum contemptum insolenti proteruiâ non adiecit? interceptas ab eo conuocationes, suppressas regulas vbi de bello in vniuersum statuebatur, spretas prouinciarum mo-

nitiones, elusa Circulorum decreta, quorum sæpius ipse auctor, & in speciem fautor; reuocatum auctoritate priuatâ in quod publicè conuentum fuerat, iussam restitui hostibus prædam, armis legitime partã; quæ nobis nondum denuntiato bello hostis abstulisset, ne ab eo petita quidem; datam in nosmet militi nostro licentiam omnium, conseruata hostium prædia, quis ea ferat? consumptos igne Reformatorum pagos, vastatam ferro & flammâ eorúmmet segetem, exhaustum ærarium, seu administratione præposterâ, seu lecto intempestiuè milite, abnegata Comitijs imperantibus obsequia, legiones eo positas loco, vbi nihil ab hoste timẽdum, desertas ex aduerso Ecclesias, vbi propugnante nemine grassabatur hostile ferrũ; auersum Engeriacorum subsidium, cui se Narbonensis Gallia accingebat, vnde Aquitaniarum iactura emersit, armatos Circuli nostri dispendio hostes, comprobatámque longiore silentio armorum interceptionem, data ad clades quæ sæpius pati nos contigit, lætitię maioris indicia, mœroris si quando hostibus res aduersæ; conatum eum prouinciam Narbonensem à Comitiorum societate auertere: plura tentatum quæ hîc forsan præterire satius fuerit: quis hæc patiatur diutiùs?

Decretum quo præfecturis mouetur.

His attentiùs perpensis: quia gliscit in dies proteruia hominis NOS PRÆDICTI ORATORES, NOMINE QVO SVPRA, Chatillonium præfecturis quibuslibet, quas Comitiorum auctoritate obtinuerat, maximè Montispessulani, Fossarúmque Marianarum exhinc in futurum destituimus, reuo-

Montpellier. Aiguesmortes.

catâ poteſtate qualibet, quam nobis rogantibus in Cebennos, Gabalos, & Viuarienſes olim ſortitus fuerat, prohibetur adminiſtratio quælibet, ſolutis erga illum ſacramento & fide prouincialibus, irritíſque poſthàc eius decretis, ſeu militiam ſpectant, ſeu ærarium; alariorum, ſclopigerorúmque equitantium ordines duos, quos ille præfectus ductabat, nec non legionarij, qui eius nomine ſtipendia merebantur Eccleſijs, proſcripti exhinc omnes exautorantur; delatâ interim in Eccleſias Prouinciæ rerum ſummâ, donec ei Comitiorum reſcripto ſubſtitutus fuerit, qui prouinciam adminiſtret. Quóque res omnibus innoteſcat, placet decretum hoc in municipali domo publicè legi, referri in acta, pérque prouinciam circumlatum, notum fieri Colloquijs, quorum intereſt. Dat. Nemauſi 21. Nou. 1621.

Geuaudan.

Le Põt.	A PONTE	*Præſes.*
Pantel.	PANTELVS	*Adiunctus.*
De la Piſe.	PISÆVS	*à Secretis.*

Chatillonio honori vertit, quòd à ſuis tantâ animi contentione proſcriptus, vnâ fidei Regi ſeruatæ poſtulatione ſummâ rerum mouebatur: imo ad ea tempora apologiam prælum illi rependit; quâ affectatæ Democratiæ multis Secta argumentis conuincebatur, eò maximè, quòd proſcriptâ Regis auctoritate, poſt excuſſam Monarchiam, Ariſtocratiam abdicabat, antiquato primorum imperio. portentum eſſe accuſationem eiuſmodi, quaſi ſcelus ſit non niſi flammâ expiabile ſeruaſſe Regi fidem; non

Chatillonii apologia.

potuisse fluxæ erga Sectam fidei accusari, qui iure meliori fidem Regi debitam præstabat: ridiculam accusationem, quasi fides vlla, primæuam illam, natámque nobiscum, dum Galli nascimur, proscribere possit: vnam esse fidem, eámque indiuiduam; neque fides dici posse, quasi plures sint, nisi cùm de musica sermo: citharis fides esse, hominibus fidem; multiplicatas illas concentum, quem Græci harmoniam vocant efficere; hanc si in semet varia patitur numerum, dissonam inducere omnium rationem, dum concordiam, quæ vna politiæ sonum ex æquo facit, miserè interuertit: hinc bella ciuilia, hinc parũ tuta filio etiam in patrijs laribus salus, si in ea fide dissenserint: vnum Deum, vnũ Regem; vnam Deo fidem deberi, Regi vnam; immortalem illam, hanc vitæ terminis circumscriptam. nec accusandum ea parte Chatillonium, conatum in Rebelles animos veram politiæ fidem inducere: quod si crimen est, ánnum è conuerso Reges odisse virtus erit? cui si quando debita remuneratio vnam esse Sectam, cui coronæ debeantur. vsum libertate Chatillonium, ad quam scriptis suis identidem Secta prouocat, dum liberã ad Regis imperia seruitutem, tyrannicis Comitiorum iussis præposuit. præposterè accusatum, qui, quam à Rege vehementer expetit Secta libertatem, vnum Rebellionis prætextum, generoso conamine in Rege quæsitam inuenit. vnam esse in eũ obsequij Regi præstiti postulationem, gloriosam illam, quámque delatorum nemo, si sapit, reo nõ inuideat. abnegauit Comitiorum imperia, ludibrio habuit latas ab ijs leges, oppressit

Vnam esse fidem.

Crimini apud Sectarios ducitur Regi esse fidum.

pressit prouinciales, ex ruina Colloquiorũ rem familiarem auxit, mittenda in Benarnium, Engeriacósque subsidia auertit aliò; quid plura? nuntios, ignaris Circulis, sæpe ad Regem misit, continuâ proditione hostes arcanorum consilij conscios fecit Synodorum elusit decreta; ánnum finis? hostium prædia salua habuit, suorum diripuit ædes, exhausit ærarium, vno verbo infensissimum Sectarijs se præbuit hostem; calumnias ille negauerit, conuincétq; falsi ad libitum: ego datis omnibus, & si quid vltrà excogitari potest, pro aris & focis defendo ex præmissis concludi nihil, nisi quod viro maximo laudi vertat. at intercepta ad plagam Agathensem arma, passus est nullo commoti animi iudicio detentari ab hoste? Scilicet ad ipsius iram, Mommorancius, ipséque Rex prædâ cessissent, hinc opimâ magis, quòd eius interceptio duodecim hostium millia dearmabat, at vos DD. Ecclesiarum Reformati nuper, agite amabò, quâ lege, quo Senatusconsulto subditis licet, inconsulto principe, inducere in eius terras eam armorum copiam adeóne rerum inexpertes, qui omnia in speciem norunt, vt perduelles nesciant, qui Rege inscio, sibi vrbibúsque suis eo apparatu arma procurant? Siluit, prædâ interceptâ Chatillonius, quia militiæ legem nouerat, quâ capta bello, capienti accrescere etiam iure gentium in aperto est. Verùm ad eam ille iacturam, quâ Sectariorum Galliç Narbonensis, exhaustæ penitus facultates, debuerat saltem vel leue mœroris indicium prodere? nempe aduersi casus dolore reparantur; imò & doluit, leuiùs tamen, posito supra fortunam

animo; non secùs ac ea montium supercilia, quę supra nimbos ingenti mole assurgentia, numquam pluuijs irrigantur quibus supereminent.

Plura his addiderat amica Chatillonio apologia, quam quis panegyricum forsan melius dixerit. quibus omissis Montalbanum redeamus, cui iam belli moles incumbit: quamquam ne incautè hîc serie temporum decipiatur qui hæc leget, annotatum velim, latam eam in Chatillonium sententiam, quo tempore Montalbanum obsidebatur mense Nouembr. præcociúsq; hoc loci relatam ideò, quia post expeditas ad Galliam Narbonensem Mommorancij expeditiones, tentatásque ibidem à Sectarijs varias arces, è re duxi vno tenore gesta eodem loci describere, quamquam interiecto temporum spatio inuicem dissita.

CAPVT IX.

EPITOME.

Mayennius Tolosæ agros subit. magno populi applausu exceptus. prouinciæ tutelaris Deus vocatur. Tolosa Palladia olim, hodièque studiosorum remuneratrix, à Sectariis vndequaque oppressa. laudatur Mayennius. Rapinus Manso Verduni absistit. Bourguius Iordani insulâ, Maraüatus Malouicino. de Mayennio salutando pluribus in Senatu actum. delegatus Manibanius Preses eum magnâ facundiâ salutat. Responsum Mayennii. diruendis tribus arcibus lecti tres Senatores.

perniciosè suasus Mayennius muros Insulę sartos tectos haberi iubet. obstat Belebatus, datóque sibi Senatu, pluribus murorum ruinam suadet. Masnaüs à Senatu iussus solo adęquat muros, qui iam antè arcem munimentáque disiecerat.



VPRA memorauimus Mayennium post salutatum litteris Tolosæ parlamentum, oberratâ Aquitaniâ, vbi non nisi triumphos Regi, sibi laudem immortalem parauerat, Tolosatum agros subijsse oppugnandis Sectariorum arcibus, quæ Catholicam vrbem circumstabant, magno oppidanorum incommodo; quo populi Tolosani, prouincialiúmque gratiam adeò sibi promeruerat, vt non nisi Mayennij nomen in Aquitaniâ vlteriori & Septimania personaret; dictum eum tunc memini Deum prouinciæ tutelarem, qui eam, animi magnitudine liberasset, affectúque, quod primoribus rarum, erga populum incredibili: vnde item à populo supra fidem rędamatus, Luyneæ familiæ in affectatæ popularibus studijs auctoritatis suspicionem venit.

Mayenius ad Tolosa confinia venit.

Guiéne. Haut Lãguedoc.

Dictus prouincia tutelaris Deus.

Tolosa vrbs est antiqua & nobilis, Palladiam dixere veteres; quia ab omni æuo Palladis amica fuit, hoc est litterarum cultrix, vbi, vt hoc obiter dicam, etiamnum hodie quotannis ludi toto orbe illustres Kal. Maij exhibentur, quibus adolescentes ingenui velut in Panathenæo, non pyrrhicâ corpus, sed poëticâ exercent animum, virtutis præmia Cynosbaton, Clitia, & Viola; quæ à mensis multiplici vena-

Tolosa Palladia.

Ludis etiãnum hodie floralibus illustris.

tione instructis, magnâ omnium Ordinum frequẽtiâ ex dignitate poëmatum distribuuntur; non nisi cantibus Regijs debita illa (ita metrorũ id genus appellitãt) adeò Regio sunt animo Iudices, quibus remunerandæ virtutis cura incumbit. Promeriti tria præmia poëtarum collegio ascribuntur; fiúntque Clementię assessores, ea nobilissima princeps, quæ ludos, multis abhinc seculis instituisse fertur. At hæc diuerticula sunt, redeo in viam. Præter antiquitatem nominis, Palladięq; dignitatẽ id Tolosę supra reliquas Galliæ vrbes præcipuum est; quòd in communi Galliarum luctu, quem Sectariorum hæresis secum pestilenter induxit, vna inter tot vrbes ab impuro semine illæsa remansit, tentata quidem à Sectarijs sæpius, at semper victrix; vnde ne vnam quidem Nouatorum familiam passa, sanctæ sibi promeruit cognomentum. Sectariorum tamen circumiectis arcibus vsque adeò premebatur, vt vel ad minima belli dissidia non esset oppidanis ad primum ab vrbe lapidem tuta salus. Quod hinc factum liquet, quia vrbe olim pulsi Sectarij, pagos hinc inde nullo custode, nullísque munimentis occuparant, ea dehinc arte firmatos, vt stationibus malè fidis præsidiariæ arces successerint.

Ne vnam quidẽ Tolosa Sectariorũ familiam agere.

Occupata à Sectarijs circumiecta oppida.

Garumnam, quo Tolosa alluitur, ad decem ab vrbe milliaria habebat, vt ita loquar, in vinculis Mansus Verduni quà nihil nisi portorio pẽso commeabat, nec inde procul Aquitaniam versùs occurrebat Malouicinum, Insula dehinc Iordanis: arces eò munitæ magis, quòd eas iamdiu Sectarij detentabant: atenim si quando stipendiariam annonam

Mansus Verduni Malouicinum Iordani Insula ad Aquitaniam.

Le Mas de Verdun. Mauuaisin. L'Isle en Iourdain.

ſtationarijs Toloſa negauerat, meſſe illicò eâ parte deſtituta, lugebat commeatum omnem, qui in dies ſingulos ab Aquitania magna in vrbem copia infertur, interclusum, dum in ipſamet vrbis pomœria excurrens hoſtis, diripiebat vicinas ædes, ipſóſque ciues agebat in vincula. & hæc ad Aquitaniam Toloſæ retinacula.

Cis Garumnam, à Galliâ Narbonenſi, inſtabat ad VIII. ab vrbe milliare Carmanium, Toloſæ iampridem infeſtum: non longè hinc Monſcucius; hinc ſi euaderes, occurrebat illinc periculoſiſſima omnium ſtatio, loco ad prædam percommodo, Manſus ſanctarum Puellarum, viæ adiacens, qua Toloſâ Narbonam, Maſſiliámque itur; ita quocumque in ambitu Toloſates verterent oculos circumſiſtebat hoſtis. Dilatis in ſequentem annum Carmanij, Montiſcucij, & Manſi ſanctarum Puellarum deditionibus; videamus nunc qua ratione in venabula Regia inciderint lepores, qui Iordanaâ ·ſula, Manſo Verduni, & Malouicino quaſi cunic. 'is ad ea tempora tegebantur.

Carmã. Mõcuc. Le Mas ſainctes puelles.

Ad Galliã Narbonenſem Carmanium, Monſcucius, & Manſus ſanctarum Puellarum.

Nemo ambigat Regi Chriſtianiſſimo debitam omnium laudem, quæcumque eius legatos confeciſſe memorant: at quemadmodum Deo omnium auctore, non ideò tamen minùs facinorum Regibus accreſcit decus; ita quamuis Regi noſtro debeatur libertas, quam ab hoſte profligato Toloſa hodie ad inuidiam poſſidet; nequaquam tamen indignus, cui hoc loci laudem rependamus Mayennius victor, quem & facinori patrando Regis ſagacitas legit, & prouexit ad laudis cumulum virtus,

Debita geſtorum laus Regi.

Neque minùs ideò laudandus Mayẽnius.

quamquam ea laude nobis magè satisfactum putarim, quàm heroïs memoriç, cui Christian⁹ orbis est præco. cochleæ succo suo victitant si nihil illis aëris de cœlo illiquitur, heroüm virtus immani seipsam pondere firmans sibi ipsa præmium est, & remuneratio.

Leuis tunc Mayennio exercitus militabat, legionariorum quinque millia, quingenti equites, tormenta octo: his copijs præterlectâ Garumnæ ripâ Manso Verduni succedit: hinc missus ad Rapinum arcis præfectum Fecialis, deditionem rogat; protelabat ille, nondum ex conuentione pretio numerato: iámque oppugnationi tormenta aptauerat dilationis Mayennius incapax, cùm Rapinus in vna principis fide, loco cessit rapinç aptissimo; hinc Iordanæam Insulam ventũ, vbi nihil detrectante Bourguio præfecto, Regiorum statione locatâ, tormentum immane, puluis, pilæ tormentariæ, hastæ, sclopíque magnâ copiâ Regi addicuntur, non priùs tamen, quàm de precio pactum cum Bourguio, cuius fidem circumuenire magno animo indignum erat, expeditionibúsque noxium, quæ superabant.

Rapinus Manso Verdunorũ absistit.

Rapin.

Bourguins Iordans Insulâ.

L'isle en Iourdain.

Dubourg.

Intereà Tolosç Parlamentũ de salutando Mayennio cogitabat. At conuocatis de more Cameris proposita à quibusdam difficultas; nempe arduum est in vnam sententiam coïre capita centum, contrarijs vt plurimum studijs & affectibus dissona. Quibus ingrata delegatio erat, Regis in prouincia præsentiam causabantur, cui vni Parlamenta id debeant cultus, & honoris; ad solis ortum stellas obscurari, vbi longè dissitus est, fulgere quidem, sed

Parlamentum Tolosanum de Mayennio salutando differit.

non niſi radijs ab eo mutuatis. Legem hanc, longo vſu in Gallia primorum faſtui præualuiſſe, vt cum prouinciarum rectoribus, principibus illis néc ne, vbi Rex adfuerit aut leui, aut nullo apparatu agatur, hinc ductâ, vt audio, formulâ, quòd proprætoribus ideò maximè præſtentur honores eiuſmodi, quia Regem exhibent, quæ ſi ad præſentiam Regis perſonata repræſentatio ceſſat, non poſſe ijs niſi iniuriâ deferri quæ vnum Regem ſpectent. Contrà tamen ſancitum penè ſuffragijs omnium, Manibaniúſque Præſes, cum Bartholomæo Gramoundo, & Maſſnaüo lecti, qui Mayennio Parlamenti nomine gratularentur, collatíque in ciues Toloſanos beneficij gratias agerent.

Cum rectoribus prouinciarum nullo cultu agendum vbi Rex.

Mani-ban. Barthe-lemy de Gra-mond. Maſ-nau.

Delegati ad Mayennium duo cum præſide Senatores.

Poſtridie proloquutus ad eum, Manibanius dixit. Senatum Toloſanum, quia Regibus ab omni æuo addictus fuit, coluiſſe præcipua ſemper veneratione principes, quorum fides, ſtatus Gallici baſis, Regiæque dignitatis columna non immeritò dici poſſit: præ ceteris Mayennium cultu in vniuerſum gratiſſimo excipi, qui Lotharingæ proſapiæ ſurculus florens, & pleriſque in Europa Regibus ſanguine copulatur, & ab ijs originem ducit, quibus Chriſtianus orbis terram olim debuit Idumæam, hodiéque deberet nî Chriſtianorum impietas, manum Dei ad vindictam armaſſet. non eſſe à proauorum virtute degenerem, qui tam ſtrenuè Regi, tamq; vtiliter prouinciæ militaret: vnde minùs imperatoris in eo geſta demirari ſenatum, quàm miracula ſupra vices hominum poſita: portenta eſſe, quęcumque Mayennio auctore prodeunt, neque de victorijs addubita-

Manibanii præſidis ad Mayenniũ oratio.

Lotharingæ familiæ laus.

Mayennii virtus.

ri, vbi castra eo imperante mouentur, vbi etiam leuiter vestig um posuit, lauros crescere, vbi distringit ferrum, cadere hostem, vbi vel vnum Mayennij nomen personat, consternari gigãteam audaciam. vno verbo nihil esse, quod magis Dei immensitatẽ exprimat, quàm Mayennij, ne orbis quidem terminis circumscripta gloria. Galliam supra rationes suas tantæ virtuti deuinctam, prouinciámque præsertim Aquitanicam, quæ ingrata erit, nî se vitam, bona, & libertatem Mayennio magno debere fateatur. Parlamentum in cuius purpura Regum auctoritas micat, lætari supra modum, quòd communibus secum votis, prouinciæ Prorex in publicam vtilitatem feratur; & quando quæcumque in principem cadere possunt decora virtutum, inuictus animus, corpus laborum & æstus non impatiens ceteráque in Mayennio pleniùs adorantur, non defuturum muneri suo Senatum; quinimò exsoluẽdæ obligationi quâ tot ei beneficijs astringitur, tot præclara facinora, & memoriam in eo inuentura gratissimam, & cultum sempiternum.

Mayennii responsum.

Non displicuere Mayennio collata quamquam oratorio verborum apparatu elogia: séque parlamento ad extrema addictum professus, sibi abundè notum respondit, quid supremis in Gallia Curijs debeatur, earum integritati inniti auctoritatem Regis; iaci in purpura Magistratus alta Regiæ amplitudinis fundamenta, rerum gestarum gloriam, & decus vni Regi deberi, qui maiore quàm dici queat affectu subditos suos prosequutus, libertatem pari omnibus animo procurat: gaudere se tamen,

quòd

quòd qui ad alias expeditiones destinari potuerat, sorte, aut Rege consultò ita ordinante, promouendis Tolosatum votis electus fuerit, quibus placidè incumbit, incumbétque dehinc si quid valet.

Castera de Maraüat.

Ad vesperam, Casteratium Maraüatium abnegasse imperia renuntiatur: pacta iam antè deditio fuerat Mansi Verduni, Insulæ Iordaneæ, & Maliuicini, non alijs conditionibus, quàm pecuniâ numeratâ; at neque in promptu Regi exsoluendæ fidei in ære facultas, nec eo deficiente absistendi Casteratio animus, qui Bourguium, Rapinúmque irridebat, quòd fidem de precio Regi habuissent, nullâ postmodùm in eum actione.

Imperia Maraüatũ abnegare renuntiatur

Dies aderat in quam Mayennio quartanæ interstitium incidebat, magnis vulgò facinoribus debita illa, vt supra annotauimus ad Caumontium, attamen à Parlamenti Oratoribus rogatus, quamquam recursantis igne febris æstuabat, equo insilit præceps, iussísque sequi nulla dilatione tormentis, Maliuicini propugnaculis appetẽte iam luce succedit, eâ Maraüati, qui nihil tale sibi persuaserat, consternatione, vt ad victoris arbitrium subierit legem. Magni nominis ea arx, supráque reliquas instructa ad bellum, septem in eâ propugnacula, fossę in excisa rupe profundiores, decem & quinque tormenta minora, populus dissidij capax, inertiæ expers, & ad militiam satis expeditus Mayennium diu morari potuerant, nî Regis prouidentia, Mayennij celeritas, & super omnia, nî fortuna quæ Regem hoc bello alumnum habuit obstitissent.

Caumont.

Languidus à febre Mayẽnius castra in illum mouet

Maloniciuum deditũ.

Senatui Tolosano, solo æquandarum arcium cu-

Disiiciẽdis Insulæ Mansi & Mainici nis munimẽtis lecti Senatores. Masnaus Cadilacus Bertrãdus.

ra incubuit: póstque exceptum communi omnium alacritate diploma in id Regium, lecti Maſnaus, Cadillacus, & Bertrandus cognomento minor, qui Inſulæ Iordaneæ, Manſi Verduni, & Malmicini muris, propugnaculíſque diruendis præeſſent; haud ſegniter illicò operi incubatum, donec munimenta omnia æquata ſolo. Mirabantur omnes quo zelo gens ruſtica in ſeruitute nata, excutiendo Sectariorum iugo incumberet: ea enim frequentia & contentione ex vicinis circùm pagis ruſtici pertinacem in dies operam reſtaurabant, vt, perſpectâ temporis breuitate fidem ſuperet ruina edita. Manſi, quà Aquitania patet, diruta propugnacula quatuor impleuere ceſpite, limóque foſſas; placitúmque dehinc erigi, vbi propugnacula ingenti olim mole aſſurgebant, tumulos quatuor, ſuperimpoſitis in rei monimentum ligneis crucibus, cõdignum ea Cruce triumphum, quæ eo diu loci ludibrio fuerat. Quà Garumna defluit, poſito è regione Montalbano, labori parcitum, quia prærupta rupes genio loci firmauerat arcem, vt nihil niſi conatu irrito naturam contra tentari poſſet.

Maſnau Cadillac. Bertrãd.

Abbas Villalonganus muros Insulæ conseruare studet.

Poſt diruta Inſulæ Iordaneæ propugnacula & caſtrum, rogatus Cornacus Abbas Villalonganus, qui Mayennio à ſecretis erat, vir ſagacitatis eximiæ, Mayennio olim patri, Cardinalíque Borbonio ſupra modũ addictus, dũ Catholicæ factionis arcana tractabat, rogatus inquã ille ab Inſulanis Catholicis (quorum etiam in vrbe ſectariã frequentior numerus) vrbi Seneſcalli iuriſdictione, & Capitulo ſeculari illuſtri mœnia conſeruarat, inclinante non ægrè

Cornac Abbé de Villeloing.

in eius preces Mayennio; quin & ipse Masnaüs Senator (quem numquam nisi cum laude memorabo) re infectâ, adactus vi maiore Tolosam redierat: quando Belebatus iustitiæ in Aquitania summo iure præfectus, Regisque apud Mayennium legatus, vt publicę cum eo saluti prospiceret rem apud se maioris momenti perpendens; ex re credidit Senatum adire; admissus, applausu omnium in hæc verba silentium fregit.

Obstat Belebatus.

Statim ab accepto intermissi ad Insulæ ruinam operis nuntio, citatis se Tolosam equis venisse, idque mouendis parlamento querelis, quòd adeò segniter expetitæ diu Tolosatum votis ruinæ incumberetur: opposita sibi Mayennij in contrarium iussa, qui Masnaüo inhibuerat opus. Mayennio se quidem addictum, non vsqueadeò tamen, vt Regiam auctoritatem eorum arbitrio linquat, qui principem bonæ alioquin indolis, animíque inuicti, circumstant, prostitutam, si ita res habet, Regis auctoritatem, Mayenniúmque dum importunis plus æquo suasionibus tribuit, salutem prouinciæ, quæ in perpetuum hodie firmari queat, in excidium trahere aperiri Rebellibus certum in Aquitaniâ effugium, etiam præter spem. ne petitam quidem eam ab illis gratiam, quos exactæ Rebellionis conscientia adeò noxios facit, vt proprio ipsimet iudicio indigni habeantur, quorum muri subsistant. Atenim Catholicos ipsos, rem inauditam! libellum supplicem Mayennio obtulisse, quo in seipsos proditores, quid aliud dici possit, quàm restem eos sibi texere quo strangulentur? enimuerò non defuisse

Dato sibi Senatu sic loquitur.

prætextum, quaſi Capitulo, Iuriſdictioníque vrbanæ indecorum foret nullo murorum ambitu, ſeu in vitæ, bonorúmque tutelam, ſeu in vrbis dignitatem circumſcribi. hominem homini lupum eſſe longè infenſiſſimum, magíſque timendas, ſi muri ſubſtiterint, à Sectarijs inſidias, quàm à feris, ſi vndequaque patuerint. vrbes minùs lapidum ſuperſtructâ mole firmari, quàm fide, oppidanorúmque concordiâ. Thebas olim, ex imperatoris magni reſponſo non habuiſſe muros alios, quàm ciuium ſanguinem, Mantuam Carpentanorum, Regis Hiſpaniarum ſedem illuſtriſſimam, Lutetiámque ipſam, orbis à Româ caput, muris magna ſui parte deſtitui; vbi tamen nemo ambigat in tuto agi: imminere prouinciæ periculum cui nullatenus proſpici poſſit ſtantibus ijs muris. bello fatigandam aliquãdo clementiam Regis, qui non niſi ſummo dolore ipſorum etiam Rebellium ſanguinem effundat, nec dubitandum, quin armis hinc inde occupata, prioribus dominis eómet reſtituantur ſtatu, quo bello confecto ſubſiſtent. quibus ita poſitis ſatius eſſe debilitari potentiam ſectæ quamdiu licet: æquatam iam ſolo arcem, munimenta vrbis diſiecta, ſupereſſe muros & foſſam, cumulandam hanc illorum ruinâ. obijci Mayennij ducis imperia, leue Parlamento obſtaculum vbi contrarium à Rege diploma ad manum eſſe poterit, imò vbi Mayennius ipſemet, non ingratè excepturus ſit glorioſum hoc facinus. aſtringere ſe ſacramento ſolemni fidem, ſubſcripturum Mayennium quibuſlibet eâ parte Curiæ placitis, ſuſceptáque ex hinc omni in caput ſuum facti

Madril. Paris.

inuidiâ, futurum se victimam quæ Senatum culpæ eximet, Tolosates seruituti, Aquitaniam vniuersam timori, & malo.

Communi omnium applausu exceptâ oratione, iubetur Masnaüs diruere muros, quod prouincialium vtilitati Tolosatúmque commodo vertit: atenim Abbati Villalongano res ingrata magis, quàm Mayennio, Regi gratissima fuit, vt litteris dehinc ab eo proditum. *Masnaüs muros diruere iussus.*

CAPVT X.

EPITOME.

Rex à Tolosatibus subsidiarias copias petit. cohors legionariorum, equitúmque ordo, Capitolinis promouentibus, auctore Senatu, instruütur. Diœcesis, lecta mille, & ducentorum hominum cohorte, prædones ei præficit. vocati in iudicium contumaces exauctorantur. Capusius postulationi eximitur. Mauleonus Baccio adfuturus in Segualterii insidias incidit. occiditur Segualierius. capitur Mauleonus sine redemptione dimittitur. quare. perfidi habiti Maserēses. habitus & Mauleonus ab illis infidus. numquā ineunda cū hostibus Rege inconsulto pacta. Mayennius castra in Sectarios mouet. Theminius audax. deditæ Mayennio vrbes. Albiasis vrbs inferior capta. Regii claustra extruunt. ortum inter eos dissidium. contra publicam fidem hinc inde actum. vrbs victoris arbitrio dedita. in furcam plures acti. designatur in fanum Antonini expeditio. initur Mayennium

inter & Pennauairium de vrbe dedenda pactum. socordiâ suâ Pennauairius apud suos in vitæ periculum incidit. eximitur morti commento quo populum decipit. ea de re apud omnes non planè conuenire. Mayennius in fanum Antonini castra mouet. iussus à Rege posthabitâ eâ expeditione in Montalbanum signa confert. consilium differendæ eius expeditionis infelix.



VM expugnandis quæ Montalbanum circumstant Sectariorum arcibus, Garumnam transmeabunt Mayennij acies, videamus quid Tolosæ interim actum. Rex haud ignarus quantum exercitui suo virium, longiori expeditione decessisset, raris iam post crebras obsidiones ordinibus, Tolosates in subsidium scripto inuitat. Illi tot beneficijs à Rege acceptis impares, legionariorum cohortem, alariorúmque instruunt ordinem, præfectis Colomiesio, & Baccio Capitolinis, viris nobilibus, vnáque ad præfecturam municipalem cooptatione Senatus non indignis, qui prouinciam hanc sortirentur; dixi vnâ cooptatione Senatus, municipij rectores eos, quia paulò antè Parlamentum de more Capitolinorum electioni cui se municipes per ambitum, aut per sordes applicuerant, supremâ auctoritate intercesserat, suffectísque ex officio proscriptorum loco veteranis municipibus, glorioso Capitolium illustrauerat octumuiratu. Baccius ergò & Colomiesius statim à delato sibi hoc munere æmulatoriè agunt; tormenta maioris modi XV. armamentario educuntur, habitó-

Colomiez. Bacs.

Senatus suprema Capitolinos auctoritate creat.

Colomiesius & Baccius Tolosanorũ cohortum præfecti.

que legionariorum delectu instructa cohors, cis Garumnam, Theminio prius, dehinc Mayennij exercitui iungitur; Baccius quà Tolosæ, quà in vicinia phalangem armat.

Nec deerat intereà officio suo Diœcesis, quin imò Cornussono præfecto duodecim ordinum cohortem instruxerat, magni illam ad Regias expeditiones momenti, nî Centurionum, quos hîc meliùs prædones dixerim, libido impotens, addicto sibi stipendio militum, causam rapinæ dedisset, póstque desolatos Catholicorum pagos, effugio; vnde dehinc velut proditores iudicio militari postulati, vadimonium deseruerunt, si Capusium eximis, qui vnus centuriam suam ad Montalbani obsidionem duxit, veteranæque cohorti ascriptus in finem perstitit; vnde postmodùm in rei bene gestæ remunerationem, fidæ Mansi Verduni stationi successit, vbi etiamnùm hodie stipendijs Regijs perutilem Sectariorum transitui portum occupat.

Cornusson. *Diœcesis cohortem instruit præfectis prædonibus.* *Capus.* *Capusi. postulationi eximitur.*

Moris est alariorum præfectis phalangem instruentibus, subsidiarias ab amicis copias petere ostentationi magè quàm prælio, vt interdum quinquaginta Cataphractorum ordo ducentis alarijs constet; breuiùs tamen quàm par sit: atenim nullâ sæpius expeditione, statim ab ordinatâ ad imperatoris oculos in militares turmas phalange, dilapsis qui non nisi gratis militabant, rarescunt ordines quod sæpe excidio vertit. Mauleonum ergo rogauerat Baccius adforet, quo maiore posset alariorum numero, Labastidam item Colomatū: hic nemine obuio cataphractis decem Tolosam venit, illi bis

Baccius phalangem instruens amicos in subsidium rogat. *Mauleõ* *La Bastide de Colomat.*

denos ductanti occurrit ad duo à Bellopodio milliaria Segualierius, Rebellionis apud Fuxenses auctor, qui positis loco percommodo insidijs, vndequaque insederat viam. Iam ad insidias ventum, cùm suggressi propiùs speculatores hostium, visique à Regijs, instantis monuere periculi. laxari illicò fræna equis ad regressum, qui à tergo patere adhuc sperabatur; at hostis eâ parte frequentior viam occluserat, relatóque in concilium districtè periculo, placebat Mauleono medijs hostium agminibus viæ periculum facere; nisu corporum equorúmque impetu peruasuros; imparem hostium phalangem esse; nisi quòd sclopetarijs trecentis fulciebatur, at nec abreptos generoso equorum conamine Cataphractos, fixo peditum vestigio sisti posse, nec à desolata phalange præuerti, sic tutam esse in effugio salutem. atenim Segualierius dubios adhuc aggredi, præcipitísque velocitate equi longè à suis abreptus casu an consilio, deditionem exposcere. Mauleonus obstare, manum conferi, lethali glande traijci Segualierio caput, nutare illicò immani corpore gigas: non procul hinc posita pastorum mapalia, quibus Mauleonus occupatis, diu prohibet hostem, at leuiori aggere firmato loco, vt plumbo peruijs muris nullo obstaculo transfoderentur obsessi post exanimatum, glande medio muro peruiâ, Castrouerdunum, subijt Mauleonus victorum legem.

Mauleono Segualierius struit insidias.

Belpech Segualieres.

Suos in salutem hortatur Mauleonus.

Committitur prælium.

Occupātur leuiora à Mauleono mapalia.

Chasteauverdun.

Capitur Mauleonus.

Peruaserat interim vulnerati Segualierij per vrbem fama, ad quam Maserensis populus, supra Fuxenses reliquos seditionis capax facto agmine ire

Maseres.

victoribus

victoribus obuiam, discerpendúmq; in frusta Mauleonum, Papistasque socios petere, occurrere præfecti populo furore commoto, datam Mauleono fidem opponere, desideratos hostium plures, vnam in Segualierij vulnere victorum iacturam, leui illo. His & similibus restinctâ seditione, inter obscura noctis Segualierio parentatur, posito in arce præsidiaria, loco tutissimo, Mauleono, vnde amissâ supellectile & equis reuoluto mense, non aliâ redemptione dimissus est; quæ magna hostium gratia videatur, inita inter Maserenses & Mauleonum pacta ignorantibus: Bellopodio quippe Mauleoni ditione, posito ad duo à Maseresio milliaria vicinorum sibi infestis inuicem armis, tacitâ lege fuerat conuentum in fœdus, colendis scilicet agris; initíque religione pacti, nullo metu Mauleonus præterlegerat vrbem, quò fluxæ fidei postulatus hostis; quem tamen perfidiæ collatum in se crimen diluisse memini, eâdem pacti religione, quam Mauleonus iam antè violauerat, auxiliares in Sectam copias ad Baccium ductans. sacramento exsolutos se non aliâ denuntiatione, quando hostis sacramento item addictus, primus peierauerat: neque alia ad hæc Mauleono exceptio erat, quàm initum de fœdere pactum, non nisi inter vicinas vrbes, ídque colendis agris; parcitum à se armentis, gregibus, fundis, imò ipsis Rebellis municipij oppidanis, instructámque minùs in Fuxenses à se phalangem, quàm in Carmanios aut Montalbanenses: contrà obijci vnita Sectariorum vota, adeò vt qui prædia Carmaniorum, aut Montalbanensium diripiat, in Fuxenses ip-

Populus Maserensis furore commotus.

Mauleonus sine redemptione dimissus.

Quare.

Fluxa fidei accusati Maserēses.

Eorum apologia.

ſos caſtra mouiſſe cenſeat, non ita diuiſam belli rationem, vnum eſſe bellum, vnum hoſtem, cauſam vnam; neque ab iniuria capiti illatâ immunem eſſe qui pedem vulnerat: diſiuncta quidem membra ſi diſſitam eorum compagem ſpectas; vnita eſſe, ſi ex ijs in vnum coïncidentibus ſpiritum, conflari nobiliſſimum naturæ opus, humanum corpus attendis.

Nulla cum hoſte pacta ineunda niſi ex Regis placito.

Præualuit iure ſuo vſum hoſtem, nec eiuſmodi pactum iure initum, rebus in Gallia ſic lege fundamentali ſtantibus, vt ſubditus ſinè aliâ cauſæ cognitione eum ſibi in hoſtem aſſumere teneatur, in quem Rex bella mouerit, nulla priùs gratiâ, prætextu nullo reconciliandum, quàm aut pace licuerit, aut Regis iuſſu.

Mayenius in arces Sectariorũ caſtra mouet.

Mayennius interim ex Regis placito, transmeato ad Granatæ portum Garumnâ, in arces Montalbano circumiectas caſtra mouebat hoſtili ſolo, præualentibus eâ parte Sectarijs: dum ex aduerſo ad primum à Montalbano milliare Mareſcallus Theminius, lectis tumultuariò copijs, vaſtabat agros: illi aderant Toloſatum auxiliares copiæ, Cornuſſoni patris alariorum ordo, ductante Traueto, cui nullis ſtipendijs aſcripta Toloſæ pubeſcens nobilitas glorioſè multa patrauit poſt aduentum Mayennij; nihil enim à Theminio actum antè, quod Regi commodo verterit, intermiſsâ agrorum hoſtilium populatione in ſpeciem iuſſi, quod noſtris dehinc exitiale fuit. hinc Montalbanenſiũ proteruia inſolens, qui meſſe deſtituti, vix habuiſſent annonæ ſatis vnde præſidiarias diu copias in vrbe ſua alerent. aiunt magnâ audaciâ Theminium, militis hîc ſuſtinuiſſe

Granade. *Cornuſſon. Le Trauet.*

Theminius Montalbanenſium meſſis parcit.

Theminius auarus.

partes magè, quàm ducis, quippe munimentis vrbis admotus, diuisis in quadra militaria agminibus suis, diúque hoste prouocato, vbi in apertam planitiem prorumpebat nemo, ad iactum ab vrbe sclopi penetrauit, quando præfecto Bourflanco, manipulatim erumpit hostis; at neque hîc pugnatum: atenim vineis illicò insessis non ausus pugnam, eminùs displosione egit, nihílq; Regijs damni illatum (quamquam infesta videbatur displosio) præter vulnus quod Fenelonus excepit ad brachium. Mayennius primâ cis Garumnam victoriâ Corbarrium subit, arx erat supra genium loci & munimenta, ducentorum militum firmata præsidio, quâ non expectatis, imò ne visis quidem Mayennij copijs abscessit hostis, ad euulgatam tormentorum famam, quæ in Montalbani obsidionem Regi Tolosa procurauerat: cæsi dehinc Rebellium plures quos Dariatus, vir audax, populóque Montalbanensi præcarus ductabat ad prædam, ille in vincula actus paucis abhinc diebus decessit.

Vrbi admouetur. *Erumpit hostis.* Fenelon. Corbarricu. *Cæsi ad Corbarriũ Rebelles.* Dariat. *Dariatus capitur.*

Præsidiariam Regiorum stationem tuendæ arci destinatam, distento ad expeditiones longius hinc dissitas imperatore ad internecionem iugulant Mõtalbanenses, interceptâ arce: breuis tamen ouatio fuit; quippe ex aduerso Mayennius Nigrepelissam, nobilem Buillionij ditionem, Regalem vrbem, Calciatam opimam Suillij Baroniam, pluresque eodem tempore arces intercipit ea felicitate, vt quatriduo expeditionem confecerit, cui ne annus quidẽ ex æquo suppeteret. Vix credi potest, quid in hostem valeat euulgata imperatoriæ virtutis fama;

Negrepelisse. Bouillon. Realuille. Caussade. *Mayennio deduntur Sectariorũ vrbes.*

quippe ad vnum Mayennij nomen, quasi ad reuelatam Persei parmam in saxa rigebant hostes, nullo conamine, imò & immobiles nisi ad fugam; quod tunc maximè patuit, cùm Calciatę munimentis succedens, saluâ vitâ abscessit hostis, quem propugnacula ex arte compacta, hemicycli, muniminâque id genus non nisi longa obsidione peruia, tegebant: Suillius enim qui sibi eâ parte Heluetiorum more struebat pagum, vulgò Cantonem, vrbem percommodam, magnis sumptibus adeò circumuallarat aggere, vt manus eius dextera vocaretur; sinistra Cardalliacũ, corpus Figeacum, caput Vxellodunũ, circũiectæ arces erãt quas ingenti precio sibi nuper ille parauerat. Parcitũ hîc sanguini, quia se vltrò dedebat hostis, donec Albiasium ventũ, quod Petræus prefectus trecentis præsidiarijs paulò antè ingressus firmauerat milite: at nihil addubitabat Mayennius, quin deditis Calciatâ, & Nigrapelisâ, pateret sibi nullo obstaculo, quocumque pergeret aditus. Iussi ergo præire Mensores, parando de more imperatori prætorio, se sclopetis ab vrbe exceptos referre; quo agnitum de obsidione cogitare Rebelles. nec mora occludi ad vrbem accessus, cingi pedite mœnia, admoueri propiùs legiones, tormenta munimentis succedere, quibus eâdem die ad displosionem paratis, de deditione monitus hostis, audaci proteruiâ succensere Regijs, imbellémque Mayennij conatum ridere, cui incruentis victorijs assueto parare se iactitabat in fossa tumulum.

Calciata dedita.

Suillius ea prouincia potens.

Canton

Cardaillac. Figeac. Caddenac. La pierre.

Paratur Albiasii obsidio.

Vrbi supereminebat Castrum, arctum illud, at pro angustia loci firmatum vallis, aggereq; muni-

tum: post ruinam ad vrbis muros editam, primum oppugnationis cornu Broüillio datur, subsequuta Tolosana cohors, hosti pertinaciter prælium restauranti pertinaciùs instat, donec nouo delectu renouatæ oppugnantium vires, magno impetu propulsant hostem; hîc vulnerati Rebellium, cæsíque plures, reliqui arcem occupant, claustra illicò à Regijs in vrbe exstrui, vbi operis gloriam æmulantibus in uicem præfectis, parum abfuit quin cohortes Franconi, Ornaníque, quæ se pari vtraque affectu operi accingebant infesta in semet arma conuerterint; imò iam collatis hinc inde signis, reboantibúsque tympanis sonabat classicum, nî imperatoriâ Mayēnius auctoritate intercessisset: inter dissidium vulnerati eminùs ab hoste plures. Vignolius Castrametator producendo, hùc illuc vallo distentus, glande ad humerum traijcitur, magno vitæ periculo.

Capitur vrbs inferior.

Extruūtur à Regiis claustra.

Francō. Ornano

Ortum Regios inter dissidium.

A Mayennio pacatur

Petitâ ab obsessis habendi colloquij facultate, in fossam præfectus per funem dilabitur, Mayenniúmque adit, ille vitam & libertatem, hîc vincentis omnia arbitrio linqui petebat, irrito itaque colloquio, fune præfectus in murum euehitur; intereáque Comes Gramoundus Castrametator, captâ ex recessu occasione, tormenta bellica muro propiùs admouet, quasi non aduerteret hostis: ad hæc desiliens iterum præfectus, militiæque regulas id pati negans violatam adijcit fidem, tormentáque retrahi petit, iussus tamen absisteret in vrbem redijt.

Irrita de deditione colloquia.

Gramō.

Gramoundus tormenta propius admouet contra fidē.

Posterâ die mittitur à Regijs tubicen, qui promulgatis hinc inde inducijs, mulieris cuiusdam ab vrbe exitum procuraret; nec mora accurrere ad fos-

Vlciscitur iniuriam hostis contra; fidem regiorum plures interficit. *Arduum in desperatos bellum.*

sas nobilium delecta manus, habitura cum hoste colloquium, quando sclopigerorum manipulus collimatis in turmam sclopetis, certis ictibus confodit plures, reliquísque in fugam actis, magnâ vocis contentione ab vrbe proclamatū, IVSTAM ESSE QVAMLIBET VINDICTÆ RATIONEM IN PRODITORES. Arduum est bello cum desperatis experiri; quippe vbi eò ventum vt spes nulla salutis affulgeat, extrema tentantur, non alio tunc mortis solatio, quàm non inultum cadere.

Vrbs ad Mayennii arbitrium dedita. *In furcam actus præfectus, Consulésque.*

Patentiore iam murorum ruinâ, quàm vt ab illa manipulus leuior propulsare diutius posset audacem Regiorum conatum, qui iam auidius expetitæ oppugnationi instabat, victoris legem nulla conditione subire compellitur. Mayennius ad hęc Vignolio, qui tunc lethaliter saucius credebatur facturus satis, præsidiariorum præfectum Petræum in furcam agi iubet, nec non Consules fautores dissidij; habitóque dehinc reliquorum delectu, quibus erat à puluere tormētario fuliginosa gena ad quam collimari assolet sclopus, patibulo suffecti omnes, non alio illati Vignolio vulneris indicio, quasi sæpius illi in Regios displosissent, reliquis dempta libertate parcitum. Præda ingens militi cessit, póstque diruta propugnacula, vastatámque ferro & flammâ vrbem discessum. Regiorum ducentos, hostium totidem eâ expeditione desideratos memorant. deditur exhinc Bourniquellum, vrbs nō ignobilis, cuius arx inaccesso situ adeò valida habebatur, vt nemo tūc addubitaret, quin trimestrem obsidionem pati posset, quæque ad annum sequētem Du-

La Pierre. *Bourniquel.*

Deditum Bourniquellum.

ci Engolismensi, magnum rebellata facesset negotium, vt suo loco inseremus.

S. Antonin. Post expurgatam rebelli semine eâ parte prouinciam, supererat ad vlteriores Cadurcos, Antonini fanum, destituti præsidiarijs Montalbani spes vna; at longiori vrbs dissita interuallo, quàm vt solo alioquin aspero, ex temporis breuitate citè in eam tormenta traherentur, non datá vt supra diximus obsidionum Mayennio facultate; nisi quæ expeditissimæ forent; attamen præmisso tormentorum apparatu, deductáque in concilium obsidij formâ, Mayennio sistitur Pennauairius, ille si sibi fides haberetur, nihil tormentis opus esse, traditurum se Regijs vrbem, vel leui mille aureorum remuneratione. non distulit ad hęc Mayennius quin schedulâ obligatoriâ se in mille aureos Pennauairij debitorem profiteretur, si obstrictam ille fidem, vrbis deditione exsolueret. ire in vrbem Pennauairius, vbi quia popularibus studijs præpotens erat, specie salutis publicæ Regis obsequium plebeiorum sensim insinuat animis, vrbísque dehinc concilium conuocat, vbi commissæ sibi à municipibus nuper negotiationis cuiusdam redditâ districtè ratione; Reliqua, inquit, in ea charta legetis, oblatam Consul schedam in ea verba legit.

In fanum Antonini paratur expeditio.

Pennauaire.

Pennauairius mille aureis vrbē suam venalem habet.

Pennauairius se ipsũ intercipit aliud agens.

EGO SVBSCRIPTVS MILLE ME AVREORVM ERGA PENNAVAIRIVM FACIO DEBITOREM, SI FANVM ANTONINI EX DATA FIDE DEDIDERIT.

Schedula obligatoria.

MAYENNIVS.

Acrise ingenio Pennauairius periculo eximit.

Hærere ad hæc concio mente, animóque defixa, iámq; tacito murmure conſpirat in proditorem populus, cùm ille nihil commotus, quamquam incautè præbuerat chartam; Lætor, inquit municipes, quòd nemini de Pennauairij fide impoſterum addubitare liceat; quod à Mayennio tacitè habueram ſcriptum, prodo palàm, tot arcani conſcios quærẽs, quot habeo in vrbe commilitones: vtinã ſic omniũ ſecreta in propatulo eſſent. his vos monitos volui, quæri à Mayennio proditorem, adeſſe proditionis præmia, neque omnes acceptas ſchedas eâ in publicum fide prolaturos. Eâ de causâ frequẽtia vrbis hodiernâ die indixi comitia, vobis auctoribus, in ſpeciem rationum, quas nec reddere paratus ſum, nec peti conuenit vbi de rerum ſumma agitur. His & ſimilibus reſtincto populi furore dilapſus eſt. atenim apud omnes ea de re non conuenit; ſunt quippe quibus placet prolatam in medium conſultò ſchedam, præmiſsâ prius de proditoribus in furcam agẽdis oratione, vnúmque ſe ſupra cæteros in vrbe fidum, qui ſcripta in eam cauſam obligatoria aſpernabatur, oportunè geſtum vt poſtulationi occurreret, quam liberiùs agens cum plebe præſenſerat, diſſonis nempe à factione tacita multorum animis; quos deceptos, habitámque Pennauairio fidem hinc palàm eſt, quòd magno dehinc omnium applauſu, præfecturam in vrbe geſſit, quæ neutiquam ei delata foret, ſi habitus reus. Præualuit tamen eorum ſententia, qui deceptum non abſimili ſchedularum formâ memorant commento eluſiſſe fatum: vtcumq; res habuerit, irrito Mayennius

Eorum opinio qui consultò id gestum existimant.

nius dolo, tormenta præire iussa sequebatur ipse, magnáque animi contentione vindictam Pennauairiæ erga se proditionis reposcens, muris exercitum admouebat, cùm à Rege in Montalbanum castra mouere, suburbióque, cui à Borbonijs cognomentum, succedere iussus. paruit ille, quamquam ægrè imperio, prereptam sibi lugens victoriam quà dubijs inter spem, metúmque oppidanis, iam penè triumphabat.

Mayennius in fanum Antonini castra mouet.

Iussus à Rege in Mõtalbanum regreditur.

Ville Bourbõ

Proditum postmodùm, præposterè retractum ab ea obsidione Mayennium, non alio Montalbanensibus effugio, vnâque hâc inter Montalbanum, Castrũ Albigensium, Galliámq; Narbonensem vrbe, quæ cõmeantibus copijs auxiliaribus, asylo esse posset; quâ captâ à nemine addubitatum est, quin & Montalbanum breuiori tempore aut dedi deberet, aut expugnari: præualuit tamen obsidionis dilatio, nempe fano Antonini, reliquísque nullo negotio vrbibus dedendis, vbi Montalbanum, vi, aut gratis subijsset imperia. his addebantur arcana vni nota cõcilio arctiori, quæ dilationem exitialem faciebãt: scilicet quid Luynæo erat cum rei bellicæ Montalbani summam habentibus, quo ad primos accessus sperabatur deditio: at circumuentus ille, vt videbimus posteà, decepto quamquam innocenter Rege, prouinciam nostram luctuosum belli theatrum fecit.

Castres

Infelix differendæ illius obsidionis consilium.

Rohanæus intereà nihil addubitans quin fano Antonini posthabito, in Montalbanum castra mouerentur, ad Albigensium confinia exercitum instruit, seu mittendo obsessis subsidio, seu tentatâ in

Albigenſium vrbem aliquam obſidione, Regis in eam partem copijs auertendis; illi aderant Marchio Malauſius Albigenſium præfectus, leuioris & ipſe ad Realmontium exercitus imperator, Senegaſius, Sant-Amanſius & Cauſſæus Barones, Maſſaguellus, & Bernuyus Villanouanus magni vterque animi, litterarúmq; non minùs capacis, quàm belli, Boyerius, Beaufortius, Maſaribaldus, viri ſeu natalibus, ſeu animo illuſtres omnes: quod fuſiùs infra ad Montalbani obſidionem.

Malauſe. Realmõ. Senegas. S. Amãs. Cauſſe. Maſſaguel. Bernuy. Boyer. Beaufort. Maſaribal.



HISTORIA
PROSTRATÆ
A LVDOVICO XIII.
SECTARIORVM
IN GALLIA
REBELLIONIS,

LIBER QVINTVS.
CAPVT I.
EPITOME.

Montalbani partim in Aquitania situs, partim in Gallia Narbonensi. vrbs armis, commercióque florens. vna in tres vrbes diuiditur. Villam Borboniam. Villam nouam, Villam veterem. eius munimenta. describitur obsidionis ordo. metationes. verberationes. Cohortes. præfecti. perduellis præfectorum auaritia. non nisi in speciem validus Regis exercitus. Engolismensis ... ada, portúsque ad Tarnum occupare iubetur. obsessorum ordo militaris. Oruallus Montalbani quare præfectus. Forcæus priuatim agens, omnia ex voto regit. triginta legionariorum ordines. eorum præfecti. qui munimentorum propugnationi præessent. Oruallus præfectus cohortis. Suillius ad Consules scribit.


RIVSQVAM Montalbani obsidio accingor, è re duxi de situ, dignitatéque vrbis quædam hîc districtè referre, quæ ad pleniorem rerum notitiam spectant.

Montalbanum in Aquitania partim, partim in Septimaniâ

Montalbanum vrbs est, partim Aquitaniȩ ad Cadurcos, partim Galliæ Narbonensis vlterioris cis Tarnum, diues opum, commercióque florens; à Rupella seu munimentis ad bellum, seu negotiatione ad commercium Sectariarum vrbium in Gallia facilè princeps, Tarno alluitur; fluuius est eâ parte nauigij capax, quo frumẽtum, vina, eáque quotannis prunorum copia, quæ fidem superet, Burdigalã inuehuntur, Tarno ad Moissaci caput Garumnã subeunte: hinc supra modum diuites oppidani, bellíque exercitationibus assueti, Tolosates ipsos in pacis diuturnioris desidiâ segnes spernebant, eo vt plurimùm more Sectarijs, vt innatâ sibi à Rege diffidentiâ armis commercióque impensiùs incumbant, quod Catholicis non ita obtingit, seu se immani pondere sustinent nihil reformidatis hostibus, seu diuitijs aliunde florent. Circumstabant vndequaque in ambitu, Sectariorum vrbes, quas iam antè captas à Mayennio memorauimus, Corbarrium, Bartæ, arx Mombetonia, Albiasium, Nigrapelissa, Bourniquelium, Calciata, quarum Montalbanum præsidio, mutuóque olim non parum firmabatur commercio.

Mon-tauban. Guiéne. Quercy Haut Langue-doc. Tarn.

Armis cõmercióque florens.

Olim viciniâ potens

Cor-barrieu. Laibat-tes. Mom-beton. Albias. Negre-pelisse. Bour-niquel. Caussa-de.

Vrbis situs.

Vrbis situs in colle accliui, quem Tarnus alluit, quinque illi portæ, à meridie prostat porta pontis, ab Oriente Monachorum & fratrum Minorum

Mõges.

Mommirat. S.Antoine. duæ illæ; à ſeptentrione, ſancti Antonij; ab occaſu Mommirati. Ponte oblongo, at minùs lato dirimitur à Mõtalbano illuſtre pomœrium, cui à Borbonijs nomen, vbi lapis in medio aſſurgens meta prouinciarum illuſtris, à Gallia Narbonenſi Aquitaniam dirimit. *Pomœrium. Borbony.* Vrbem illuſtrat platea ingens, Lutetianæ Regalis æmula, quæ ad annum M. DC. XIV. fortuito igne abſumpta, ijs dehinc ambitione & faſtu reparata fuit, vt tot palatia demitere, quot mercatorum ædes. *Platea ingens.* E regione portæ ſancti Antonij Vrbs Villenouuelle. eſt noua, illi Villamnouam appellitant, quæ amplioribus cincta muris, veteríque nuper Montalbano aſcripta vrbem non parum auxit: *Vrbs noua* vnde liquet in tres Ville-Bourbõ vrbes diuidi vnam, Montalbanum vetus, Villamnouam & Borbonij pomœrium, quod muris, propugnaculíſque firmatum hodie, vrbs eſt ipſo fortior Montalbano. *In tres vrbes diuiſa vna.*

Ea vrbs magnum hodie ſortita nomen, penè antiquis incognita, pagus olim, à Ioanne XXII. ſummo Pontifice in Epiſcopatum erectus, fertilíque ſolo colonijs auctus, in eam ſenſim amplitudinem creuit, quæ ſtupori ſit eius originem non ignorantibus, à Sectarijs ad annum M. D. LXII. intercepta, triplici obſidione claruit ad Monluci & Terridij tempora. Neque vt hoc obiter dicam, illud ego Mõtalbanũ eſſe putarim, quod ad Caroli magni Renaud tempora Reinaldo nomen indidiſſe memorant vetera Gallorum mònimenta, eo ſcilicet Montalbano ad Duranij defluens ſito, vbi etiamnum hodie maceries proſtant. Moris olim erat primum Conſulem non niſi ex nobilium ordine legi, donec in Rempu-

blicam liberam conuersis omnium studijs, proscripta nobilitas plebeis vrbis præfecturâ cessit. Propugnacula vrbi supra decem & quatuor, tribus hemicyclis, cornibus, ceterísque id genus munimentis adeò firmantur; vt quo tempore Montalbanum à Rege obsessum est, vix alicui in Europa arci secundum dici posset.

Quatuor metationes.

Propositâ militari concilio obsidij ratione, hunc præscribi ordinem placuit. in metationes IV. diuiso exercitu prima Regi, Piquecotij obtigit, non ita procul ab vrbe; altera Luynæo Comestabili, quæ duæ postmodùm non nisi vnam ad Mommiratum facient, tertia Mayennio Duci, quarta Lesdiguerio, & Ioinuillio principi.

Pique-cos.

Distributæ ad verberationes singulas cohortes.

Praslinio & Chaunio Marescallis imperatoribus Comestabili militabant cohortes prætoria excubiarum, Heluetiorum, Pedemontana, Normanniæ & Chapesij. Mayennio, ordinantibus ex voto militiam Marescallo Theminio, & Vilarsio, cohortes Carmanij Comitis, Vicecomitis Arpajoni, Franconi, Barautij, Tolosæ, Susæi, Lausuni, Ornaníque à sancta Cruce. Ioinuillio militabant item, San-Gerano præfecto, cohortes Nauarræ, Pompadourij, Campaniæ, Bellimontis, Villeroij, Picardiæ, Heluetiorum, Roqueti, Comitis Riuensis, Mossolensij, Fabreguesij, Marchioníſque Portesij, quæ vltima Galliæ Narbonensis cohors dicta postmodùm; quamquam Roqueti, Riuensis, Mossolensij, Fabreguesij, Portesiíque cohortes seriùs in castra induxit Mommorancius, vt suo loco memorabimus, vnde leuius earum subsidium.

Chapes Vilars. Carmã. Arpajoun. Francõ. Barraut Susc. Lausun. Saincte Croix. S. Gerã. Pompadour. Beaumont. Villeroy. Roquete. Rieux. Mossolens. Fabregues. De portes.

Tescon ruisseau Estissac. Valliac. E regione metationis Regiæ vrbem inter, & Tesconi riuum agebant Estissaci, Valliacíque cohortes, positis mapalibus, quà in Regiam metationem imminebat periculum. numerus militum ex præscripto militiæ ordine triginta millium esse debuerat: atenim quæ præfectorum fuit ad perduellem quæstum auiditas, contra Gallicæ nobilitatis veterem genium, Rege proditoriè vnâ decepto suorum auaritiâ, vix decem hominum millia militabant, numeratis in triplum stipendijs. imò, quod mali extremum fuit, eò venisse deformitatis memorant degenerem Gallorum nobilium liberalitatem, vt mutua se inuicem proditione militiæ præfecti circumscriberent; ita imperator interdum Castrametatorum ex parte sibi addicebat stipendia; Castrametatores, præfectorum cohortium; hi Centurionum; Centuriones Legatorum; Legati primipilorum, primipili legionariorum, quos, captantibus adhuc lucrum præfectis, non nisi quinquaginta minúsue in quolibet ordine numerasses, vbi centum ex lege, solutóque in eum numerum stipendio esse debuerant; ita qui in speciem validus erat exercitus, terruerátque ad primos accessus famâ vnâ obsessos; postquam rarescere ordines agnitum, hosti ludibrio fuit. At neque præfectis sat erat non nisi mutilas habere cohortes, nisi & ipsismet, qui actu militabant gregarijs furto abriperentur stipendia, quo factum vt miles, qui numquam gratis militat, dilapsus sensim signa deseruerit, quod supremo fuit excidio. *Summa præfectorũ auaritia.* *Non nisi in speciem validus exercitus.*

Quia fama peruaserat Rohançum ad Galliam

Castres. Angoulesme.

Engolismẽsis littora ad Tarnũ insedit.

Narbonensem, Castríque Albigensium confinia, leuem collegisse exercitum, quo nihil addubitabatur, quin in Montalbani subsidium extrema tentaret, iubetur Dux Engolismensis leuis in Gallia phalangis præfectus, quà ad Tarnum auxiliaribus copijs transitus esse poterat vias intercludere, ille mille cataphractis insedit littora. militabant eà parte sclopigerorum equitantium ordines duo Desplani & Arnaldi, phalanges V. D. Gastonis Borbonij Regis Fratris, Vindocinensis magni in Gallia Prioris Hierosolymitani equitis, Ioinuillij, Cornussoni, & Faudoüasij: ex aduerso ad Garumnæ ripam agebant excubias totidem circa equites, præfectis ordinum Mayennio, Theminio, Comite Gramoundo, Marchione Meruillio, & alijs, quibus postmodùm vbi nihil ab Aquitaniâ reformidatum indictæ ad valla excubiæ, rariore gregariorum numero. hic Regiæ militiæ ordo.

Carabins de Desplã. Arnaud. Gaston. Vendosme. Cornusson. Faudoüas. Gramõ. Meruille.

Forcæus Montalbani priuatim agens omnia regit.

Ex aduerso, Montalbanum in dies confluebant turmatim præsidiarij milites, præfectíque non alio tunc in Aquitaniâ, Galliáq; Narbonensi Rebellionis asylo; ibi auctorante Forcæo patre, quamquam in speciem priuato, in hanc formam præscripta belli formula.

Oruallus vrbis summo iure præfectus.

Orual. Millau.

Summo iure, Oruallus imperabat, quia in delatã ei ab Amiliana Synodo prouinciã, id Colloquium, hoc est ea ciuitas incidebat, quod suprà fusiùs; atenim adhuc adolescens, quamquam strenuus, & audax summam rerum socero Forcæo detulerat, qui omnia moderabatur ex voto generi nomine. Vnus vrbi Castrametator Comes Bourflancus Benarnensis.

Bourflancus Castrametator.

Bourflanc.

nenſis, vir magni apud exteros nominis, militiæ haud rudis, ambitioníſque ſupra modum capax, vt ægrè Orualli Comitis pateretur imperia, vnde orta ſæpius inter eos diſſidia. Quorum omnium grauiſſimum fuit cùm inconſulto Oruallo, Bourflancus tympaniſtam iuſſit colligere acies extra vrbem ductãdas, quod ſingulari certamine inuicem dirimebãt, nî obſtitiſſet prudentia Conſulum. Legionariorum triginta ordines totidem præfectis merebant, quibus Lairacenſium primipilus maior Vileſius dabat ex voto legem. Præfectorum nomina quæ reſcire contigit ita habeto.

Viles. Sergẽt Major de Layrac.

Præfectorũ nomina.

Vileſius primipil. & præf.	*Viles.*
Francæi Fratres.	*Frances Freres.*
Moncautij Fratres.	*Moncauts Freres.*
Reyneſius.	*Reynes.*
Toloſæus.	*Toloſe.*
Peyruſſæus.	*Peiruſſe.*
Trabucus.	*Trabuc.*
Ferriereſus.	*Ferrieres.*
Bardonij Fratres.	*Bardons freres.*
Durbanus.	*Durban.*
Veſiſus.	*Veſis.*
Daraſſuſius.	*Daraſſus.*
Guimonetus.	*Guimonet.*
Langladæus.	*Langlade.*
Scourbiacus.	*Scourbiac.*
Verdus.	*Verd.*
Conſtantius.	*Conſtans.*
Moyſæus.	*Moyſe.*
Auſſacus.	*Auſſac.*

Barthæus. | *Barthe.*
Portesius. | *Portes.*

Ado prælij, quod vocant, primipilus erat, quamquam non diu; deficienti quippe à Rebellium partibus successit Brunæus subsidiariæ cohortis primipilus maior. Durando rusticorum circumiecti soli centuria obtigit, Puteano vigilum ad Orualli custodiam ordo delatus est, Dujaüo vigilum item Bourflanci ordo alter.

Ado Sergent de bataille. Bruneau. Durãd. Dupuy. Dujau.

Nullum præsidiariis ab excubiis diludium.

Nullum legionario ab excubijs interstitium, stabántque ad singulas noctes in armis triginta ordines, donec Bellifortis subsidiaria cohors, Regiorum exitio penetrauit in vrbem: at ne quid à Regijs dolo aut largitione in præsidiarios tentaretur, excubias mutari placuit incertis tempore & loco, vt qui noctem eâ parte exegerat vigil, longè hinc excubaturus interdiu mitteretur, numquam detecto nouarum excubiarum ordine, quin in armis positæ legiones, designatæ illicò succederent stationi. quo factum vt nihil penitus præsidiario militicum Regijs commercij fuerit.

Beaufort.

Ameto Forcæi filio equitum præfectura delata est, minoris illa momenti, rariore obsessis phalange, vt assolet.

Amet.

Tuendis munimentis præfecti.

Paliassæi propugnaculi cornibus ad Carmelitas præerat Aufferonus, Monasterij munimentis diu à Ioinuillio verberatis Reyniesus, cui sauciato Riparignus successerat, donec & ipse vulneratus Vignolio Comitis Bourflanci nepoti & heredi locum fecit. A Septentrione ad Sancti Antonij portam Sauiniaco obtigerat tuendorum trium propugnacu

Delpalhas aux Carmes Moustié. Aufferõ Reynies La Riuiere. Vignoles. Sauiniac.

lorum munus: at nihil illic tentatum à Regijs. Teſconi munimina propugnabat Caſtelnouanus Forcæi filius, quibus verberatione Regiâ inſtabant Chaunius & Praſlinius, Villænouæ cornua Santorſius, quà Bellifortis ſubſidiaria cohors vrbem ſubijt: cis Tarnum Villam Borboniam, Vignaucius Bourſlanci Legatus.

Caſtelnau. Villenouuelle. S.Torſe Beaufort. Vignaux.

Oruallo inſuper cohors decem ordinum erat quæ Nigrępeliſſæ ordinibus duobus adſcriptis, præfecto Marmoniæo, mille legionariorum numerum impleuerat.

Marmonie.

Oruallo decem ordinū cohors militat.

Comminiſcitur eò loci Mercurius Gallicus, Suillium Regis iuſſu vrbem ſubijſſe, retrahendis in obſequium oppidanis; at falſum illud: quippe non niſi ſcribere iuſſus, ſcripſit ſatis acri in ſpeciem ſtylo, filióque Oruallo ſuccenſuit; conſultò id geſtum, decipiendo Regi nécne, incertum.

Ad Montalbanenſes Suillius ſcribit.

CAPVT II.

EPITOME.

Ad nuntium Regii aduentus, Montalbanenſes planitiem ipſi ſuam ferro & flammâ vaſtant. Mommirati cornibus admota leui prælio cohors prætoriana. fuſus hoſtis conſternati obſeſſi. felix Caſtrorum metatio. Molendinis ſuis ignem ſubdit hoſtis. Borboniæ vrbi ſuccedit Mayennius. ſtrenuè ab eo dimicatum. Sauuagius vrbem ſubit. oppidanos in obſequium retrahere tentat. proditor habitus. Monaſterio vltimùm admotus exercitus. pugnatum ea parte acriter. oppugnatio triplex. vrbs non

Bbb 2

vndique obsessa. ad tres oppugnationes manus eodem tempore conijcitur. ardet Molendinum tormentarii pulueris. ardent Regiorum armamentaria duo, magnâ iacturâ. moritur ab igne Vilarsius. non conuenire apud omnes de incendii causâ. opinio ea de re certior. exitialem huic obsidioni Sectariorum opem, qui in speciem Regi militabant verberata acriter propugnacula hostium.

Ad nuntiū aduentus Regii.

POSTQVAM ab exploratoribus Montalbani agnitum, Regias acies ad tertium ab vrbe milliare Auarionem transmeâsse, Mayenniúmque in procinctu esse, vt transuadato Tarno, Villæ Borboniæ cum exercitu item suo succederet; in ruinam ipsa suam ingeniosa Rebellio, ædes, prædiáque suburbana, ferro & flammâ vastat, seu præripiendę hostibus prædæ, seu inducendæ struendis metationibus moræ; ipsis etiam hostibus luctuosum spectaculum: pari enim omnium contentione, eodem vbique momento excîtus ignis, vt circumquaque planities, tota è longinquo ardere videretur; sic vnâ die in flammas abijt, quod longiore oppidani parsimonia, assiduóque labore parauerant.

Lauayron riuiere.

Montalbanenses planitiem ipsi suam diripiunt.

Le Tarn

Crepitabant adhuc incendia, quando è speculâ explorator monet adesse hostem; nec diu cum tres magno impetu Regiorum cohortes, duobus circa legionariorum millibus in Mommiratū irruunt. Puteanus sclopigerorum equitantium præfectus, qui iam antè ab Oruallo, visendo hosti præmissus fuerat, redire sinè mora; pósique relatum ordinem, quo aduentabat acies, erumpere iterum; proruere Or-

Leui prælio Regiæ cohortes Mōmirato admouentur.

Mommirat. Dupuy.

Peire-bosc. Reynes Lentil-lac. ualli iussu Petroboscus, Reynesiusque præfecti, sequi Lentillacus, cõgrediúque cum hoste non procul à Mommirati cornibus; iam enim eò penetrauerat prætoriana cohors, infesta obsessis eruptio fuit: plerisque enim desideratis, transfossâque Lentillaco tibià, tormentorum irrità displosione, admouentur muris iactura leui cohortes; claustráque exstruuntur, nequaquam auso prælium hoste, à primo conamine. *Fugatur hostis.*

Fidem superat quâ obsessi consternatione primũ hunc Regiorum impetum exceperint: quos nuper in Regem faciebat audacia garrulos, alto ijdem ad primam obsidionem silentio stupent, ipséque populus Rebellionis auctor, Regiorum furore perterritus, nescio quid præsagâ mente auguratur; quíque heri primores vrbis garriendi licentià longè præuerterat, hodie præ illis silet. Nec dubitauere postmodùm ipsi oppidani si Regijs innotuisset tanta obsessorum formido quin munimenta ad Mommiratum adhuc minùs firma, leui Regiorum conatu expugnari potuissent. At Regij magno duxerant facinori admouisse munimentis nemine desiderato acies, vt ne quidem subierit intercipiendorum cornuum cogitatio, posito supra hominum vires, vt videbatur, facinore: neque præposterè designata eà parte fuerat aggressio prima, destitutis adhuc aggere debito muniminibus; quę tamen inter noctis obscura oppidani valentioribus ad necessitatem animis, ea contentione firmant, vt appetente luce, quadringẽta dolia terrâ cumulata, oppugnationis spem omnem subduxerint. *Consternãtur obsessi.* *Castrametantur Regij magna felicitate.*

Oppidani Molendinis ad Tarnum ignem subiciunt. Augusti XVIII. Momnirato item succedunt nouæ acies; agnitóque ab oppidanis non posse molendina ad Tarnum, nisi magno vrbis incommodo subsistere; priusquàm illuc aduentasset Mayennius, subdito igne, nobilissimum opus absumitur. *Mayennius in Villam Borboniam castra mouet.* Inclinato in occasum sole, Mayennius, hostium nemine pugnam auso, ad pomœrium Tolosanum castrametatur, non procul à Borbonia arce; numerata hîc quinque supra viginti Regiorum signa, quę Tolosæ, circumiectíque soli copijs accedentibus, quatuor circa hominum millibus constabant.

Obscura nox erat, cùm Mayennius moræ impatiens, Ornanum à Sancta Cruce iubet macerierum editiora occupare, locus erat verberationi aptissimus, sensim dilapsa cohors incauto hoste *Commissum à Mayennio præliū.* maceriem occupat. Donec rarescẽtibus ad diluculũ vmbris, Petrus Mombarterij præfectus, stationarios *Capit. Pierre.* priùs in fugam agit, quàm hostem adesse senserint. Aduentu Mayennij redintegratur prælium, póstque exactam mutuis displosionibus diem, non leui obsessorum iacturâ, recepta maceries.

Erumpit ad Mommiratum hostis. Eâdem ipsâ die ad Mommiratum erumpens expedito in Regios manipulo Legelæus, distentos pa- *Legelé.* randæ metationi legionarios intercipit, illi in fugam abripi, donec redeunte in semet regiorum audacia retrusus hostis, loco cessit, leuiori hinc inde iacturâ.

Sauuagius vrbem ingreditur. Postridie, quę in XX. incidebat Sauuagius Monflanquini præfectus, magno populi applausu excipitur, strenuus ille, neque Rebellium subscribens factioni, vt dehinc agnitum. Admissus, copias Regis

extollere, Rebellium conatum dedignari, aspernari audaciam, magno palàm animo adijciens Regi triginta peditûm millia militare, tria cataphractorum: munimentis quidem firmatam vrbem, at præsidiarijs destitutam; nihil à Rohanæo sperandum subsidij, cui iam Dux Engolismensis in florida phalange iuerit obuiam, difficilem Tarni transitum, occupatáque validis stationibus vada & portus viam penitus intercludere. adfuturum mox cum integro exercitu Regem, qui non nisi rorarios designandis castris præmisisset; numeratum militi nudius tertius se præsente stipendium, quatuórque aureis donatū gregariorum quemlibet, confluere vndequaque nobiles, portentóque non absimilem esse reliquum belli apparatum, quem Rex in obsidionem instruxit; leuia tamen hæc nî indefesso labore Rex ipse ductaret exercitum: magni ad res gloriosè gerendas momenti esse, præuio ipso Rege exercitum progredi cui triumphanti, militibúsq; non nisi vincere assuetis obsistere velle, ridiculum. Quibus attentè perpensis, paratum se quidem, vt pulchrâ vitam illustret morte, neq; alio, venisse animo, quàm vt sanguinem florentissimæ vrbi deuoueat; quam tamen Regis copias ab obsidione propulsare volentem breuiùs futuram luget funestum internecionis theatrum. Atenim si iustis conditionibus excidium præsens præuertere placet, nihil addubitatum quin vita, bona, libertas, ipsíque muri sarta tecta habeantur.

Copias Regis extollit.

In Regem vbique victorem futuros imbelles conatus.

Vario oppidanorum affectu exceptâ oratione, in deditionem inclinantibus his, præualente apud il-

Sauuarius in vrbe proditor habitus. los dissidio, apud omnes in proditionis suspicionem venit Sauuagius, conductíque ex hinc exploratores, qui eius gesta tacitè indagarent, quod illi exitiale fuit, vt infrà videbimus.

Postridie præfectis Desplansio, & Vigilantio, (quorum hic genium loci sectarius ipse, Montalbanóque vicinus apprimè nouerat) Monasterij propugnaculis admouentur Regiorum agmina, grauiori quàm antè pugnâ, nempe erumpente à vicinis maceriebus identidem hoste. Donec inclinato in diem medium sole, Bardoni præfecti lethale vulnus præcipiti hostium fugâ diremit prælium; nullâ hîc Regiorum iacturâ cecidere præsidiariorum complures, inter quos Bardonus, quem eximendi periculo militis amor, fatali periculo implicuit. Dum eâ parte in vrbem retrahebatur hostis, ad Mommiratum à Gardesio interceptus legionarius Regiorum, deditionem vltrò mentitur, iussúsque mori, aut arma ponere, dum ea præbiturus officiosam in speciem porrigit manũ, aduolutum propiùs victorem transfodit, vnâ hac salutis expediendæ ratione. Desplans. Veilles. Moustié. *Monasterio admota acies.* Bardon. *Pugnatur.* Gardés *Occiditur à milite Gardesius.*

Positis in hunc modum castris, in Mommiratum, Monasterium, Villámque Borboniam verberatione triplici actum, illam Regionomine Comestabilis, hanc Mayennius, tertiam Ioinuillius procurabat. At nec ideò vrbs vndequaque cincta: quippe à Mommirati cornu ad medium Monasterij propugnaculum præsidiarijs stationibus planitie vacuâ, liberiùs eâ parte diuagabatur hostis; donec Estissaci, Valiacíque cohortes non procul à primo Villænouę propugnaculo, exstructis castellulis, retrusere obsessos, Mommirat. *Oppugnatio triplex.* Villebourbó. *Vrbs non vndique cincta.* Estissac. Valiac. Villenouelle.

ſeſſos, at neque penitus: patebat etenim etiam tunc ad Sancti Antonij portam lata hinc inde planities; qua leuiori periculo peruiâ obſeſſis, in dies arcana Regiorum detegebantur, proditoribus vt plurimùm Sectarijs, qui non niſi in ſpeciem Regi militabant.

Mayennius verberationem incoat. Nondum tormentorum diſploſio terruerat hoſtem, cùm ad XXI. Auguſti, Mayennius tragicam aperuit Scenam: verberatis eâ die magna contentione muris. Poſtridie occupantur ſuburbia duo Toloſanum & Gafferaſum, retractis in ea munimenta hoſtibus, quæ vulgò Coridoros vocant, ductâ ab Hiſpanis ambulacrorum ratione. hæc Mayennius. *Gafferas. Corridors.*

Valla ad Mommiratum excauantur. Ad Mommiratum valla tunc primùm excauata indefeſſo labore producebantur; cùm expedito eâ parte manipulo primipili tres in nouum Regiorum opus nullis adhuc firmatum caſtellulis erumpunt; cunicularij fugam capeſſere, adeſſe illis excubiarum præfectus, reſtaurari pralium, dúmque *Manus cōferuntur.* ſe audaciùs hoſtibus miſcet Regiorum quidam, haſtâ ad latus impeti, quam dehinc retrahere hoſtis incaſſum tentat, hærente ſcilicet ad oſſa cuſpide, vt fuſo hoſte in caſtra redierit miles, haſtam adhuc infixam vulneri trahens, ibi Tenantij Miniſtri frater, Sectariorúmque cum eo plures deſiderati. *Tenans.*

Ad XXVI. Auguſti vno, eodémque tempore triplici ad tres metationes prælio collata ſigna, *Ad tres metationes eodem tempore pugnatum.* eâdem vbique audaciâ, nec diſpari fato. Vaſa viminea nondum humo referta proximæ in Mommiratũ verberationi propiùs induxerat Chapeſij cohors *Chapes.*

cùm Castronouanus Forcæi filius eâ parte præfectus militiæ, Rosierum deijciendis in flumen adjacens vasis emittit, data illi sclopigerorum delecta manus, quæ arduum ausa facinus, disiecerat vasa omnia, ni in subsidium accurrisset Regiorum manipulus. Intereà cis fluuium, ad Borboniam metationem, fluminis ripam præterlegere ductante Capusio Mayenniana cohors, positúmque in ripa vlteriore hostem ad latus impetere, cùm Petrus Mombarterij præfectus à Borboniâ arce erumpens pugnam eâ parte adornat. hîc à prælio graui, magnam sibi laudem promeruit Capusius, qui milites suos in fugam abreptos, ad Mayennij demirantis oculos in hostem retrahens, victorem vnus vicisse dici potuit.

Castelnau. *Rosier.* *Capus.*

Committitur ad Borboniam metationem prælium.

Ad Monasterium item.

Ad Monasterium interim seu exemplo, seu fato è regione propugnaculi Rohanæi, manus conserebatur acriter, Regijs cunicularios hostium ab opere prohibere volentibus: desiderati vtrimque milites æquali numero; retrusísque, post graue vndequaque prælium hostibus, disiecta ad Mommiratum vasa, appetente luce eodem à Regijs loco in duplum restituta.

Molendinum hostiũ ardet.

Pridie Kal. Sept. seu consultò, seu assiduâ malleolorum contentione pulueris tormentarij molendino inditus ignis supra quindecim pulueris centupondia, pluresque hostium equos consumpsit, leue illis damnum. Atenim Kal. Sept ad Mommirati, arcísque Borboniæ metationes eo furore ignis tormentarium puluerem depastus est, vt luctuosa etiamnum hodie sit vel ipsa incendij fatalis memoria: illic prætorianæ cohortis plerosque gregarios,

abſumpſit ignis, præfectum neminem, quidquid de Lauallæo imponat Mercurius; quem glande traiectum infrà memorabimus: hîc iactura maior; quippe deüſtis luctuosè tormentorum præfectis, Comitis Ribeiracij filio, legionariiſque pluribus, igne eodem correptus Marchio Vilarſius caſtrametator, Mayenniique ex matre frater, paucis abhinc diebus inter cruciatus, magno omnium mœrore occubuit: deüſtos inſimul memini, nec enim tunc procul aberam, Franciſcani ordinis Monachos duos, qui, rem dictu mirabilem! depaſcentibus piloſas veſtes flammis, dum ſubtus carnes aſſabantur, non niſi hymnis ſe ſolabantur inuicem, leui hoc ab igne dolore, eum adijcientes redimi, qui poſt mortem noxias purgat, quod aſtantibus ſtupori erat, & exemplo; luctuoſus ſupra fidem vlulantium clamor, flebilis in flumen ſe velociter abripientium curſus, quos in via interdum correptus igne linquebat ſpiritus.

Lauallæc. Ribeirac. Vilars.

Ad Momirati Berbonique metationes iacturâ magnâ inditur ignis.

Non apud omnes de incendij causâ conuenit: attamen nemo ſorti dedit, quòd eâdem met die, tanto Regiorum diſpendio puluerem tormentarium, locis adeò diſſitis ignis abſumpſerit. Erant quibus placebat ab hoſte ſubditum ignem, qui vt ad libitum ab vrbe in caſtra commeabat ignotus; imò, vt plurimum Roſario ſe mentitus Catholicum, quaſi aliud agens, potuerat ſubdere ignem; quod item duplici argumento inualuit: ſcilicet quòd maiore Regiorum iacturâ, deſerto plerumque primoribus loco numquam oportuniùs ignis ſubdi potuerat, quódque ægrè tuliſſe. circumferebantur obſeſſi dicacita-

Incendij cauſam neminem certò agnouiſſe.

tem Regiorum, qui pridie ſecundùm excubias, ad molendini incendium ridebant effuſiùs, aquámque reſtinguendo incendio deluſoriè offerebant. Præualuit tamen Sectariâ quidem manu immiſſum ignem, eorum ſcilicet proditione qui perniciosis ſectæ dogmatibus imbuti, Regi mentiebantur obſequium, quod eò magis vero ſimile viſum omnibus, quòd rei tormentariæ præfecti fere omnes tunc Sectarij erant, Suillio ſcilicet tormẽtorum pręfecto primario, qui non niſi Sectarios, Sectarius ipſe tormentis à ſe præfeciſſet; gentem eſſe fidei inexpertem, maximè vbi de Religione agi exiſtimat: quò magè accuſatos tunc memini Regij Concilij moderatores, qui ſignis in rebellem ſectam collatis, Caluiniſtas Regi militare patiebantur; hinc frequens Regiorum excidium. Quid enim rationis erat, quo ſperari poſſet, exitio filij patrem, ruinæ parentis filium incubaturum? Síccine mutuâ inuicem caritate coniuncti fratres, ſibi vnâ Regij obſequij cauſsâ inſidias ſtruant? pleraque iuſta eſſe, quorum imbellis hominum indoles incapax ſit, arduum etiam probis ad Regis imperia proſcribere ſanguinem, quid improbis? hinc arcanorum, etiam arctioris Concilij toties hoſtis conſcius, hinc communicata illi toties teſſera, hinc denique Montalbani obſidio feliciùs inchoata in peius vertit.

Opinio certior.

Tormentorum præfecti Sectarii ferè omnes.

Ruinam obſidionis à Regiis Sectariis ortã.

Eâdem die, continuâ machinarum muralium verberatione pulſantur Mommirati, Borbonij, Monaſteriíque propugnacula, machinis XXVII. in Mommiratum VIII. in Borboniam arcem XIII. in Monaſterium V. collimatis, numeratíque ad occaſum ſolis DCCC. circiter tormentorum ictus.

CAPVT III.

EPITOME.

Engolismensis Sectariorum ad Tarnum transitui obsistit. duplex illis exercitus. simulatur in Lombersium obsidio. hostium copiæ & vires. Malausius Fauchium expugnat. Castra in illum Engolismensis mouet. Regiorum ordo militaris. Malausius aciem instruit. Albiensis cohors in subsidium oportunè adest. fortuitò à Lopesio pugnatum. fusi eâ parte hostes. in vrbem retruditur Malausius. deditur Fauchium. deditionis leges. laudatur Engolismensis. cur hosti pepercerit.

DVM Regij sensim hostium munimentis succedunt, ad AlbiensesDux Engolismensis Sectariorum transitui Regiâ phalange obsistit. Commissum id illi muneris iam suprà retulimus, Tarni littora, portúsque occuparet. Triplex subsidiarijs copijs Montalbanum iter patebat, quod fusiùs infra, quò & aditus omnes insidere arduum & periculosum. Duplex hosti exercitus erat leuis vterque; huic Marchio Malausius, illi præerat Rohanæus: hic ad quartum ad Albâ Augustâ milliare, ille ad Masameti vallem metabat: inter vtrumque medius Engolismensis, in varias turmas phalangem diuiserat, locatísque ad Tarni ripas statio-

Engolismẽsis Sectariorum trãsitui obstat.

Sectariis duplex exercitus.

Alby. Masamet.

nibus, Albæ tunc diludium à Marte quærebat, cùm relato Malausium non procul hinc diripere Catholicorum prædia, statuit ire obuiàm: atenim auertendis aliò hostium copijs, intercipiendóque incautè Malausio, in Lombersium sectariam vrbem obsidionem simulat, tormenta Albâ Augustâ, eâ portâ educit, quâ prostabat Lombersium; percrebrescit hinc inde obsidionis rumor, ipséq; Rohanęus cohortes duas in subsidiũ mittit, pręfectis Masaribaldo & Boyerio: ex aduerso Marchioni Malausio merebant quadringenti equites, cohortésque legionariorum tres, præfectis Baronibus à Sancto Amantio, Noguaredæo & Senegasio; quibus postquam adiunctæ cohortes Masaribaldi & Boyerij, nihil addubitatum, quin Engolismensem instructâ acie non ægrè debellarent. Quocunque ergo re casurâ, seu Lombersiũ obsiderent Regij, Realmontiúmve; seu delusoriè in obsidionum speciem progrederentur, placuit operiri primos obsidionis conatus, fortiori dehinc potentiâ, opprimendis vndique lacessitis: enimuerò Engolismensis, qui nihil de obsidione, nisi in speciem cogitauerat, hærere dubius nouis iam subsidijs fortiore hoste, quàm vt cum eo nisi summo periculo signa conferri possent. Ad hæc superbiens Malausius, Fauchium Catholicam vrbem diuturnâ verberatione expugnat; tormenti bellici strepitus, Engolismensem longiùs hinc dissitum monet tentatam ab hoste alicubi obsidionem, dubio diu quò signa conferret, adsunt hinc inde nuntij, quibus de obsidione monitus, nihil moratus eò castra mouet, aut soluendo obsidio, aut debellan-

In Lombersium obsidio simulatur.

Lombers.

Masaribal.

Boyer.

Hostium copiæ.

S. Amás.

Nougarede.

Senegas.

Malausius Fauchium expugnat.

Fauch.

Castra in illum Engolismensis mouet.

do hosti. Progresso renuntiatur deditio, neque dum Sectarios cessisse loco, quem prohibendæ obsidioni, (neque enim addubitabant quin breui adforet regiorum subsidium) claustris, aggeréque firmabant. Engolismensis quamquam raris legionariorum ordinibus, capto oppugnandi pagi consilio in hunc modum acies ordinat.

Desplan. Arnaut. Lacurée. Elbene. Primum cornu Desplani, & Arnaldi sclopigeris equitantibus obtigit, illos Curæus, & Elbenus duobus Cataphractorum ordinibus sustinebant; Curæo à dextra stabant in armis magni Galliarum Prioris, à sinistrâ Faudoüasij ordines, quibus in subsidium rebus desperatis aderant Comitis Alesij, ipsiúsque imperatoris alæ, omnium expeditissimæ. Coaceruatum agmen componebat Regius cataphractorum ordo, vnus ille Hurræo & Lopesio præfectis, qui nõ nisi ad extremũ, signa collaturi, iubentur collem occupare, quà subsidiarijs hostium copijs iter erat. *Regiorum ordo militaris.*

Hurré. Lopes.

Malausius agnito adesse hostem, loco oportuno, cohortes locat, vineæ hinc inde, præruptíque saltus vallem exasperabant, locatæ hîc ad iactum ab vrbe lapidis cohortes duæ, quæ sclopis eminùs, hastis cominus hostem impeterent. vrbem à tergo tuebantur cohortes item duæ, arctam non procul planitiem phalanx expedita, quorum omnium conatui fauebat immane tormentum, quod loco accliui in obuios collimatum, indesinenti displosione Regios infestabat. *Malausius aciem instruit.*

Imperator intereà huc illuc circũequitans territus ad hostium numerum, obseruatâ valle parum phalangi aptâ, addubitare prælium adornaret, nécne,

cui non nisi alariorum præsidium erat: adesse interim nuntius, qui si vel breuiore horulæ spatio differatur pugna, adfuturam Albâ Augustâ cohortem monet. Legionariorum penuriâ laborantibus, placuit subsidium præsens, expedita, diúque expetita cohors, cui, post reparatas cibo leuiori vires, quas longior via absumpserat, propulsandi à vineis hostis, munus incumbit. classicum canitur, nec mora desiliunt in ima proni quingenti Regiorum pedites, leones diceres, ita generoso conamine, in prædam spe iam victoriæ certâ feruntur.

Albiensis cohors Engolismensis in subsidiū adest.

Fortuitò ad montis supercilium pugnatum à Lopesio.

Dum ad monticelli radices manus conseritur, in ipso supercilio, quà patebat planities latior, ex occasione pugnatum, in hunc modum. Diximus suprà Hurræo, & Lopesio conglobatum agmen commissum, quo ad rupis edita subsisterent, non irrupturi in hostem, nisi præuio imperatoris mandato. Hærentibus occurrit subsidiaria hostium phalanx, quæ ductante Sanromæo, Sectarijs in auxilium aderat. hîc decepti vtrimque prefecti, quia cassides operuerant frontem, amico se inuicem colloquio compellare, Hurræus Cornussoni quæ etiamnùm expectabatur phalangem esse autumans, Sanromæus, contrà minimè dubius, quin in Malausij alariorum ordinem incidisset; his ita Sanromæus, vrbanâ comitate Lopesium, Huræúmque salutans; Benè, inquit, vobis commilitones; quò nostram amabò hodiernâ die deduxit fortuna militiã? Lopesius adhęc; Collatis iam acriter signis oportunus ades, &, si me non decipit assuetus eiusmodi casibus animus, vacillat hostis, victoriáque iam in spem nostra est; Sanro-

Sainct-Rome. Lopes. Hurres.

Decepti in simul Regii, Sectariique

Sanromæus, ſibimet ad victoriæ nuntium intimâ gratulatione applaudens; Bene, inquit, at, magnáne hoſtium ſtrage tormentum diſploditur. Ad eam vocē proditus hoſtis (nam Regij tormento carebant) *Pugna cõmittitur.* obſtupuit ad Hurræi, Lopeſiíque ſilentium altius, qui nihil morati, laxatis in obliquum habenis, hoſtem adeſſe clamitant. Lopeſius in Sanromæum incidens, diſploſo in eum ſclopeto, niſu valentioris equi abripitur, inſtat in equi veſtigia Sanromæus, regreditur alio ad manum ſclopeto Lopeſius, quod *Lopeſius occiditur.* diſploſum item incerto ictu, euaſit in aërem; at non ita irritus Sanromæi conatus, quin magno abreptum in ſe impetu præſtolatus, ſclopeto ad caput transfodit; ille in momento leuiori niſu fatum eluctatus, cadit Rebellioni infelix victima; dum à tergo Hurræus ſternebat hoſtem, fruſtraneo Sanromæi conatu, qui iam à ſingulari certamine ouans, in medium ſe proripuerat agmen. Edita hîc hoſtium ſtrages ad internecionem, ſi Sanromęum eximis, quem *Cæſus ad internecionem hoſtis.* vnum generoſi velocitas equi poſt rem bene geſtam, in aſylum traduxit. magnum ſui deſiderium reliquit Lopeſius, felici alioquin ſupra fidē victoriâ.

Cornuſſon. Ex aduerſo Engoliſmenſis Cornuſſonum, qui re- *La Curee.* cēns aduenerat, in hoſtē ad ſaltus emittit, ſequutus *Alés.* Aleſius, Curæum habet à tergo ſuſtinentē, Curæus Engoliſmēſem, hinc in vineas Albiēſis cohors abripitur, illinc hoſtium clauſtra perrumpuntur, vtrimque ęmulatoriè depugnatur. Laudatam hîc memi- *Laudatus* *Font-uieille.* ni Fontisveteris Albienſis adoleſcentis audaciam, *Albienſis* qui perrupto hoſtium clauſtro, in ſigniferum inci- *adoleſcens.* dens reluctantem ferro adegit ſigno cederet, quod

in victoriæ monimentum imperatori obtulit, nō mediocrem exhinc promeritus laudem, Regíque in remunerationem ab Engolismensi magno virtutis applausu oblatus. Nec diu cum à Regijs circumiectæ ædes occupantur, quas nec vallo obduxerat hostis, neque præsidio ex ęquo firmauerat, genio loci fisus: at quia Regiorum hinc infesta displosio erat; iussa illicò hostium cohors ædes oppugnare, redintegratur hîc pugna, nouis identidem subsidijs rediuiuâ Regiorum audaciâ. Comes Alesius, Baro Contenantius ipséque imperator, animo supra fidem magno, vacillantes Regios firmant voce & exemplo, donec viribus defecti legionarij in vrbem se laxâ fugâ proripiunt, fugacibus instare phalanx, cùm occasione alarij hostium opportunè arrepta, in pedites Regios irruunt, rati defuturum eâ parte alariorum præsidium, quando Hurræus coaceruatum agmen iussus emittit, quo maxima clade affectus hostis in vrbem retruditur. CCCC. hostium eo prælio cæsos memorāt, quos inter Boierius cohortis præfectus, XLq; Nobiles; captos C. vulneratos Barones à Sancto Amantio, Nogaredæum, & Senegasium. Regiorum iactura leuior nō nisi XX. alarijs XXX. peditibus, Larmandio Desplani signifero, Lopesióque desideratis.

Occupātur à Regijs ædes.

In vrbem retrusus hostis.

Post debellatos instructâ acie Rebelles, quia se reliquiæ prælij in vrbem receperant, placuit obsidionis consilium; procurantur Albâ Augustâ tormenta, nouísque ad victoriæ famam, delectibus supplentur acies. Comes Aubijonus ex antiquâ Ambasianorum prosapiâ, illustris heros, cataphrac-

Subsidiaria Engolismensi copiæ aduentant.

Aubijoux. d'Amboise.

tos quinquaginta, ſexaginta ſclopetarios equitantes, Granuallus quadraginta alarios, ſupra quinquaginta ducentos legionarios, Engoliſmenſis ſubſidio armant. accurrit vndequaque turmatim vicinarum circum vrbium populus, quà inermis, quà tumultuario ferro; ipſimet ruſtici magnâ Regiorum metationes frequentiâ ſubeunt, palis, & ligonibus, producendis ſcilicet vallis: denique Engoliſmenſi ſtatim à fugâ hoſtium, omnia rident: adeò verum eſt, vbi ſe ſemel blandiens fortuna prodiderit, omnia ſecum in melius rapere; fugientibus è conuerſo omnibus, vbi fortuna eadem fugam meditatur.

Gráual.

Engoliſméſi omnia rideat.

His accedebat hoſtium conſternatio tanta, vt cæſis aut ſauciatis, quibus animus ad prælium audacior, ad obſidionem experientia maior erat, ne quidem de propugnanda vrbe cogitarent. Malauſius habito diſtrictè ſermone, conſternatis animos addit, donec imminente nocte, perpenſis ipſemet attentiùs hoſtium audaciâ, & numero, de ſalute addubitare cæpit: coït militare concilium, ibi triplex expediẽdæ ſalutis ratio aperitur; prima, vt perruptis Regiorum clauſtris per calcatum hoſtem pergeretur; altera, vt inter obſcura noctis, fauentibus obiectę vallis receſſibus, fuga pararetur; tertia deditionem continebat. Non placuere priores: quia repentino effugio, ſauciati victorum furori exponebantur; in deditionem ergo itum omnium calculis.

Proponitur triplex expedienda ſalutis ratio.

Deditionis conſilium præualet.

Appetente ad craſtinũ luce, tympaniſta ad extima murorũ muniméta, pulſatione amicâ Regios colloquij monet: miſſus nobilis, refert petitum ab hoſte, habendo cum imperatore ſermoni, nobilibus tribus

commeatum; datur illicò. adsunt Malausius (quod iure cuilibet mirari liceat, numquam obsessa vrbe absistente præfecto, nisi vbi de deditione conuentum) Caussæus, & Baro Senegasius. ibi multa hinc inde agitata, hostis vrbe absistere tympanis pulsantibus, expassis signis, accenso fune, glandéque quod aiunt, in bucca petebat; sibi alioquin satis adhuc adijciens virium & audaciæ, quò diu obsidium propulsaret. Ad extrema, desperationem magnum esse ad gloriosam mortem incitamentum, imò mortem effugere quisquis contempserit, quæ timidissimum quemque cõsequatur. denique arduum, etiam longè valentioribus cum desperatis contendere.

Mutuum de deditione colloquium.

Ad hæc Engolismensis, effecturum se, vt desperatio non nisi in hostile resiliat caput, neque effugij viam patere, nisi quam aperuerit victor, occupatos vndique saltus, vineas legionarijs obstructas, vallem vndequaque infessam, vnam in misericordiâ salutem ponere, debitámque sibi gratiam vitæ, si eâ saluâ absistitur. His plura addita, quibus suasus Malausius deditionis leges subscripsit in hâc formulâ.

Deditionis leges.

Ex placito Regis, Dux Engolismensis, Marchioni Malausio, Senegasio, Caussæo, præfectis cohortium, Centurionibus, primipilis, nec non gregarijs quibuscumque has deditionis leges imponit.

I. Obsessi sacramento solemni adigent fidem, posituros se capta in Regem arma, neque militaturos Sectæ intra sex menses abhinc numerandos; datâ item Regis nomine fide, futuram illis in tuto stationem, vbicumq; prædictâ conditione lubuerit.

II. Arce absistent saluis vitâ, impedimentis, &

armis, dabitúrque commeatus ductandis ex Malausij animo legionibus

III. Tormentum bellicum imperatoris arbitrio suberit. Actum in castris ante Fauchium 3. Sept. 1621.

CAROLVS VALESIVS.

HENRICVS BORBONIVS.

CAVSSÆVS. SENEGASIVS.

MERCERIVS.

Placuit Regi supra quàm dici possit victoriæ nuntius, magnaque laude publico omnium applausu donatus Engolismensis, qui leui suorũ dispendio tantam hostium stragem edidisset: quamquam non defuere, nescio an inuidos dixerim, qui laudem in peius referrent eo colore, quòd hosti pepercisset, quem ad internecionem delere potuerat; subscriptas deditionis leges, quo tempore nullo omnia periculo victoris arbitrio suberant: at nec ideò apud sagaciores militiæque non inexpertes minùs laudatus imperator, seu ex veteri Gallorũ parœmià, quâ fugienti hosti circumfertur struendum pontem aureum, seu militiæ lege, quà in hostem vltrò cedentem victoriâ, extrema tentari inhibetur, clementiâ scilicet præualente, aut ipsamet victorum salute, quos si reciprocans fortuna pari aliquando infortunio implicuerit, non disparem ab hoste gratiam sperare decet.

Laudatus Engolismẽsis.

Hosti tunc pepercisse arguebatur.

CAPVT IV.

EPITOME.

Regiorum cataphractus vnus editam in hemicyclo ruinam explorat. Bourfrancus milites hinc indè propugnationi distribuit. Regii in hostem irruunt. retruduntur. cæsi hinc inde plures. Palareti cadauer ab hoste honorificè habitum. Sauuagius in furcam agitur. Maurçus in vrbem incautus abripitur. præscribitur magnæ oppugnationis in hemicyclum ordo. Theminius occiditur. Cataphracti dilapsis gregariis pugnam adornant. sequuntur confusis ordinibus nobiles. fugatur hostis. expugnatur hemicyclus Bourfrancus occiditur. funesta Regijs victoria quare. legionariorum ignauia. Dalonus cadit. cæsorum & sauciatorum numerus. Bourfranco à tergo vulnus illatum. quæ ducta hinc in Sectarios auguria. Mayennius summo dolore commotus. Fiasquius & Maraussanus incauti necantur.

Regiorum cataphractus ruinam explorat.



ROVECTA iam nocte, Comes Bourfrancus editam ad Villæ-borboniæ propugnaculum ruinam indagabat, cùm Regiorũ Cataphractus vnus sensim suggressus, munimentum extimum superat, capitéque in hostilem fossam, locum exploraturus, immisso, post ruinam agnitã, ingenti vociferatione consternat vigiles, effusóque dehinc in fugam abripitur cursu: adhæc

Bourfrancus nihil hærẽs, quin capto de oppugnatione consilio Mayennius exploratorem agnoscendæ ruinæ præmisisset, distribuere militiam, Coridoros, fossæ ambulacra, præsidiarijs firmare, ad munimenta extima supplere nouo delectu numerum; ad intima palis & tignis superstruere claustrum, quod obductum fossa in longum, præcisorium munimẽtum faciebat, obsessorum ad extrema effugium: hæc inter ad fossam vigil, viso hostium manipulo ad arma clamat; Vignaucius qui ab hesternâ verberatione ruinam reparabat, sclopetarios in hostem displodere iubet; Bourfrancus distentus ad hemicyclum operi, bacillóque hinc inde designans imperia, irruentes Palaretum, & Montesquium, bacillo morari tentat, at leuiori propugnantium conatu, perrumpunt heroës, hemicyclúmq;, luctuosum dehinc internecionis theatrum penitus expugnabant, nî Vignaucius vir audax, fugaces in prælium accendisset, lapidibúsque & tignis retrusisset in munimenta extima Regios. Displosis interim in pontem magnâ contentione tormentis, viam Mayennius in Borboniam vrbem subsidiarijs intercludere tentat, irrito nisu; quippe nouis ab vrbe delectibus, vnâ Bourfranci diligentiâ suppletis obsessorum aciebus Regij victoria cedunt.

Bourfrãcus militiam distribuit.

Regii in hostem irruũt.

Palaret Mõtesquieu.

Hemicyclũ occupant.

Retrusi ab hoste.

Desiderati hostium Bellimontius, præfectus centuriæ, legionariíque cum eo IV. vulnerati plures, Regiorum cęsi plerique, quos inter Montesquius & Palaretus viri natalibus, animóque illustres, quibus ea die Rex multum debuerat, si eorum exemplo in hemicyclum irruisset miles. Memini laudatum

Beaumont.

Cæsi propugnãtium plures.

Magna Regiorum iactura.

ad ea tempora ab ipso hoste Palaretum, quem vmbone tectum, circumferebat penetrasse in intimam arcem, gloriosóque à diutina pugna vulnere cecidisse.

Appetente ad Sept. III. luce, Mayennius tympanistam ad fossæ oram mittit, retrahendis hinc inde cadaueribus, qui procul absistere iussus, ne hostium scilicet munimenta interim obseruaret, hæsit ab vrbe longiùs, donec præsidiarij cadauera eduxissent. Inducias inter, dum liberè hinc inde agebatur Comes Grammoundus, Bourfrancum quo cum olim amicè vixerat, rogat; ille se ad munimina exhibere vocatúsq, in familiare colloquium ab amico, nihil se cum hoste habiturum respõdere, nisi propalàm. ferunt Lariuierum pręfectum militiæ, legionarij mentitum habitus, cadauera in Regiorum valla gestantem, explorasse munimina, quod obsessis postmodùm ad eruptiones commodo fuit. Nudis cadaueribus quæ restituebãtur, vnus in syndone tenuissimâ Palaretus, quatuor præsidiariorum ope redditus est, supremo hoc Forcæi in carissimum sibi agnatum officio. Redintegratâ dehinc verberatione, ad oppugnationem eâ die Borboniam numerati CCXCV. tormentorum ictus, ad Mommiratum XC. circiter, ad Monasterium CLXXIII.

Inducias inter Gramoundus Bourfrancũ rogat.

La riuiere.

Palaret.

Palareti cadauer ab hoste in tenuissima syndone restitutum.

Sauuagius quem supra audiuimus retrahendis in obsequium oppidanis, magno erga Regem affectu perorantem, iam à Kal. Sept. in vincula actus, eâ die in furcâ glorioso pro Rege supplicio finijt: diffidentiam induxerat habitus ab eo in publicum de Rege sermo, hinc dati illi speculatores monuere petitam ab eo

Sauuagius seipsum prodit.

Sauuage.

ab eo papyrũ, scribẽdóq; pennã, auxit intempestiua petitio diffidentiã: reddita illi inter hęc furtim scheda, adegit militare concilium, vt non aliã causæ cognitione in vincula ageretur; lectáq; dehinc publicè, prodidit quid illi cum Luynæo esse, vnde super vrbis deditione pacta iniri, nõ incertum argumentũ duci poterat. Schedæ (ne quid intactum abeat) hic sensus erat. Remunerationem quamlibet petentibus, fidẽ in eam astringeret exsoluturo haud dubiè Rege: vnde iudicio militari condemnatus, magnâ constantiâ obijt. *In furcam agitur.*

Mauro. Eâdemmet die, Mauræum inter, & Regij ordinis equitem, priuatim orto dissidio, accurrentibus in subsidium equitis commilitonibus, Mauræus impar se in viam fortuitam præcipiti fugâ abripit fato infelici; quippe laxatis effusiùs equo habenis, in munimenta vrbis abripitur: hîc rem consultò gestam, deposcíque se à Regijs non incertæ morti mentiri; singulari certamine cæsum à se heroëm, cuius ea in castris auctoritas, vt vna salus in effugio fuerit. at nec minùs ideò ab hoste captus, non nisi magnâ redemptione dimittitur. *Mauræus nisu equi in vrbẽ abreptus capitur.*

Mayennius ab hesternâ iacturâ, dolore simul & irâ commotus, IV. Septemb. in oppugnationem hemicycli parari omnia iubet. Nec dum penitus Sol nouâ luce noctis horrorem discusserat, cùm intentiùs quàm antè XIV. tormentis maioribus, quassata hemicycli munimenta, dolijs terrâ cumulatis in ambitu spoliantur, quo præstitus ad hemicyclum accessus facilior, dissiliente scilicet humo, accliuémque, post refertam fossam, in munimenta viam ster- *Captum de oppugnãdo hemicyclo consilium.*

Eee

Praescribitur oppugnationis ordo.

nente. Horâ post meridiem circiter secundâ, intermissâ verberatione, præscribitur oppugnationis ordo, sclopetarios XXX. sequebantur hastati XII. totidem scalis; illos à tergo sustinebant XL. cataphracti, quos Mayennius ipse inter alarios legerat: his aderat agmen vltimum, expeditissima nobilium manus, quæ Gallicâ, meliùs dixerim exitiali, pugnandi auiditate præscriptum interuertit ordinem: claudebant aciem, Susxi & Franconi cohortes.

Quem nobilitas interuertit.

Theminius in eam partem prælii æstu abripitur.

Indictæ oppugnationis fama Regiam metationem peruaserat, cùm Marchio Theminius, eâ parte Castrametator, mortem vbique væsano magni animi impetu quærens, in metationem Borboniam fertur: illi obuius Carbonus vir magni nominis, quò præceps accurreret, rogat. Marchio nihil hærens, indictam ait à Mayennio in Borbonium hemicyclum oppugnationem, in quam datâ OCCASIONE abripitur: ad hæc sequi Carbonus, vno tunc OCCASIONIS, hoc est prælij æstu, præualente. Carbonu.

Sequitur Carbonus.

Præscripto iam oppugnationis ordine metationem Borboniam subeuntes, à Castrametatoribus pugnæ copiam petunt: datur dextrum Theminio cornu, Carbono sinistrum. Intereà dum expectatur prælij signum, accurrere hinc inde Iesuitæ, felicésque proclamare eos, qui pro Dei causa vitam profunderent, satisque ad salutem & gloriam videri vixisse, qui animam, quam Deo debebant, tam religiosè támque decorè ei redderent. Sonante hæc inter classico, primus è vallo in hostem irruit Theminius, ferro ad manum, reliqua inermis, rem ausus multò magis ad famam temeritatis, quàm gloriæ

insignem, víxque pedem vallo extulerat, cùm ad caput lethali glande traijcitur. hæsere attoniti diu sclopetarij, quin & exitialis oppugnatio in ipso exordio finem inuenerat; nî Mayennij ordinis Cataphracti XL. Sayano, Mombano, & Dangio ducibus ingenti repente in hostem clamore irrupissent: hîc confusis ordinibus voluntariæ nobilitatis expedita manus in fossam abripitur.

Occiditur Theminus.

Cataphracti pugnam adornant.

Sayan. Monbã Dangy.

Sequuntur confusis ordinibus nobiles.

Ex aduerso Comes Bourfrancus legionariorum centurias duas, ità propugnaculo, hemicyclóque distribuit, vt sclopigeris ad fossæ pluteos, muniminísque extimi ambulacra, seu Coridoros distentis, hastati de more ruinam propugnarent, præfectis Ferriereso & Moncautio minore: quia tormentarius à verberatione puluis irruentes tegebat, muniminis extimi ambulacra, ne tentatâ quidem ab hoste displosione priùs occupantur, quàm in eam partem irrumpere Regios agnitum. nullà ergo citra Theminij necem iacturâ in fossam deuoluti oppugnantes, scalas muris accommodant: atenim Regijs infestà ad latus à pluteis (fossarum illi arcas vocant) explosione, iubetur primipilus leui hinc manipulo propulsare hostem; nec diu cùm actus in fugam, munimina extima, fosśásque Regiorum arbitrio linquit. Ad hæc inflati lætâ victoriâ Regij in agmina duo diuidere aciem, quorum altero hemicyclus inuaderetur, dum propugnaculum alij adpugnarent, non spe capiendi, sed vt clamore, sclopetorúmque strepitu, suo quisque periculo intentus, sonorem alterius prælij non acciperet, sícque faciliùs distento ad propugnaculum hoste ex-

Ferrieres. Moncaut.

Coffres

Fugatur hostis.

Expugnatur hemicyclus. pugnaretur hemicyclus qui petebatur vnus; attamen in propugnaculum breuiores ſcalæ non niſi Regiorum excidio inferuntur; ad hemicyclum via facilior; quia interiecta ad continuam verberationem humus oppleuerat foſſam; terga hîc præſidiarij vetere, Bourfrancus quà exemplo, quà voce obſiſtere, falſóque ſemel ſclopeti ſui igne deluſus alium expoſcere, ſclopo nouo ſternere obuium, cùm ad occiput ipſe traiectus occumbit. Fuſis Ferriereſo, & Moncautio, Forcæus, Comeſque Oruallus ab vrbe ponte medio, ſubſidium inferunt, quamquam ea parte tormenta indeſinenti diſploſione commeantibus infeſta erãt, ſequitur Sauiniacus C. circa gregarijs; at neque minùs ideò triumphus cani poterat, ſi ex præſcripto ordine, illata victoribus dolia forent, ſaccis, vt aſſolet terrâ refertis cumulata, quibus munitionem doliarem tumultuariò parare licuiſſet. rem lugendam! clamabant irritâ victoriâ nobiles, eorúmque fidem, ſi quæ miſericordia, appellabant, quibus id muneris datum ante, vt victoribus procurarentur dolia; ſed actis in fugam militibus nemo reſpondebat. dubiâ iam re miſſis identidem nuntijs vim legionum implorabant, cùm gliſcente ad Forcæi, Oruallli, & Sauiniaci aduentum audaciâ hoſtium, crebreſcentéque numero, reſtauratur Regiorum exitio pugna; hîc quæ in præcipiti fuga ſalus quæri debuerat, in prælio deſperato miſerè proſtituitur: non erat ſclopetis iam locus; neque enim hinc inde niſi cominùs pugnabatur, haſta in haſtam, in mucronem mucro, imò & deficiente interdum ferro vngulæ

Bourfrancus occiditur.

Irrita Regiorum victoria.

Renouatur in eorum excidium pugna.

inuicem ſæuiebant; intereà dum, nobilitas Gallica, quæ turmatim in eam occaſionem confluxerat, cadebat ſenſim, nemine deficientes in prælio vires alleuante. Digna res eſt quam poſteritas ſciat; produnt nobilium, qui hemicyclum ſuperarant neminem (quidquid tentarit, numero hoſtis in centuplum fortior, Regijs ipſis, aëre, ſolo, & ſi fas dicere, cœlo in eorum excidium armatis,) inglorio vulnere ſaucium, neminem, vindicando à præſenti exitio capiti, in fugam abreptum. Cæſis nobilibus, foſſam, munimentáque extima recipit hoſtis, nullo Franconi legionariorum obſtaculo. Dalonus vir audax, qui legionarios ſequi ratus, viam ſibi per hoſtes cæde ferróque in Villam Borboniam ſtrauerat, poſtquam ſuorũ neminem ad latera vidit, agnitâ ſeriùs temeritate meditatur regreſſum, cùm, hoſti iam triumphanti albeſcente faſciâ proditus, ferro cadit infelix Bourfranci manibus victima.

Ignauia legionariorũ.

Dalonus occiditur.

Ad eam oppugnationem gregariorum deſiderati pauci, nec mirum, quia fugerant omnes: nobilium X L. vulnerati L X. cæſorum nomina vtinam in promptu eſſent omnia, quæ hîc referrem; habent enim glorię ſatis vnde venturis retrò nepotibus debeant commendari: præ alijs magnâ virtutis famâ Marchionem Theminium illuſtrem tunc memini, quamquam ad eam oppugnationem ſpretis thorace & galeâ quibus tegeretur, magè adoleſcentis audaciam prodidit, quàm heroïcam virtutem, quæ, ſi prudentiâ deſtituitur, temeritas eſt: quidquid id eſt, nemo diffiteatur magni hîc animi heroëm cecidiſſe, cui etiamſi panegyricum rependeret hiſto-

Cæſi Regiorum vulneratique plures.

Laudatur Theminius.

ria verax, nequaquam ſanè virtutem heroïs aſſequeretur: deſiderati cum eo Carbonus Neboſanenſium Seneſcallus, Lafretæus, Leſpinellius, Valancęus natalibus, virtutéque bellica præ alijs notus, Larreququelus, & Dalonus commilitones, mihi indiſſolubili neceſſitudinis nexu copulatus ille, cuius ideò laudibus parcam, ne mihi ipſe videar in cariſſimo capite ablandiri. Sauciati poſt rem glorioſè geſtam Valancęi duo, viri illuſtres, Mayennióque, vno magni animi indicio præcari, Baro Poullæus, pluréſque alij quorum hodie pars maxima mutila eſt.

Carbounn. *Lafrete.* *Leſpinelle.* *Valācé.* *La Reququele.* *Dalon.* *Poullé.*

Iactura bellorum magna.

At neque hoſti victoria incruenta fuit; Comes quippe Bourfrancus, magnum ſui deſiderium glande traiectus reliquit, cæſis IV. aut V. præfectis, præſidiariiſque circiter XL. luctu ſupra fidem magno ad Bourfranci necem affectus Montalbanenſis populus, ſolatijq; incapax in pullâ ei veſte parentauit, dictúmque publicè liberatorem vrbis, genialémque religionis Deum occubuiſſe: non apud omnes tamen de eius fato conſtat, aſſeuerantibus pleriſque proditoriè à ſuis interfectum, quod hinc liquebat, quia ſcilicet poſtico vulnere cecidiſſet, quem in cōperto erat terga hoſti numquā dediſſe: priuatis inter eum, Oruallúmque odijs accedebat, quòd ſtudijs popularibus eam oppidanorum ſibi conciliarat gratiam, vt vrbis deditio vnius eius arbitrio ſubeſſe crederetur, in quam non ægrè inclinaturus hinc maximè timebatur, quòd ambitioni ſupra modum addictus & pauper, Regis munificentiâ in momento primoribus regni adſcribi poterat. Nihil eâ de re certò agnitum, ſeu proditionem operuit

Bourfrancus à tergo impetitus Suſpicioni causā dedit

luctus, seu non illegitimo vulnere cecidit.

Ferunt Mayennium, dum adpugnabatur hemicyclus, prælij comminùs ineundi æstu, arripuisse hastam, correptúmque ab amicis irrito diù conatu luctasse, donec strage suorum auditâ penè exanimis in faciem cecidit, tot nobilium iacturâ commotus, Valancæi maximè, cui ad renes transfosso Camerâ ipse suâ, stratóque cessit, vbi postridie magno mœrore finijt. At neque hîc prætereunda silentio Montalbanensium feminarum audacia, quæ adeò virilibus curis sexus fragilitatem exuerant, vt vno ordine viri & feminæ munimina propugnarent, nullo sexus delectu. hæc ad Borboniam oppugnationem Mayennius.

Mayēnius magno dolore commotus.

Valancæo camerâ suâ cedit.

Feminarū audacia.

Ad Mommirati metationem leuiori iacturâ producebatur vallorum opus, ductis sensim labore assiduo lineis, quæ per anfractus in hostium cornua penetrabant, & vbi plus tēporis, minùs etiam sanguinis impendebatur. Eâdemmet die Comes Fiasquius liberiùs per valla commeans, glande in tormentariam fenestram fortè immissâ, ad latus traijcitur, postridiéque occumbit: vir erat magni nominis, patre Italo, Gallus ipse, bellicâ virtute, & pietate clarus, vt Seraphicam in militiâ vitam traduceret.

Fiasque

Comes Fiasquius occiditur.

Marossan.

Marossanus ibidem, eodem tempore, paríque fato magno Luynæi mœrore cecidit, ingeniosus ille, nec contemnendum ad ea tempora FAVORIS instrumentum.


Maraussanus cadit.

CAPVT V.

EPITOME.

Pacta hinc inde humandis cadaueribus induciæ. superbè præsidiarius quidam Regium alloquitur. Bourfranci obseßis iactura magna. victor diu Mayennius in valla demum retruditur. vsti plerique militum. de deditione priuatim actum. fortuna inconstans. prętoriani post rem bene gestam pedem referunt. Cotidoros Mayennius & Joinuillius superant. Robanæi ad Consules litterę. Oratorum electio intercessione populi reuocatur. Nobalianus ad Robanæum delegatur. subsidiaria cohors Montalbanensis procuratur. captus explorator se mentitur Catholicum. conuersus in Catholicam fidem, moriturus votum Virgini nuncupat. eximitur morti magno miraculo. Gasto Borbonius, Baróque Hayæ, Legatus Britanniæ Regis, Moissaci malè habent.

Datæ educendis cadaueribus induciæ.



SEPTEMB. V. quæ in Dominicam incidebat, in Mommirati cornua CV. in Monasterij propugnacula CCV. machinarum muralium ictus displosi; ad metationem Borboniam, educendis cadaueribus, inducijs pactis, confluxit vndequaque oppugnantium, obsessorúmque multitudo, dicacibúsque proteruiâ militari præsidiarijs, in momento hinc inde displosum, non aliâ quàm oppidani cuiusdam iacturâ, qui notarium olim

olim agebat, restinctóque breui dissidio restituta cadauera Regijs, eâ conditione, vt capti ad Albiasium Sectarij restituerentur; quod infectum scriptis illi suis queruntur, iure vel iniuriâ mihi non liquet. Laudatum memini superbum præsidiarij responsum, qui à legionario Regiorum rogatus, quid rerum ageret ea nobilium turma, quæ tunc ad munimenta prostabat, dum pridie oppugnabatur hemicyclus, respondit; Præposterè quæsitum à se quod vel ipsa loquũtur cadauera; quasi diceret, nihil esse Regíjs, quod acceptâ clade riderent: attamen caro obsessis vnâ Bourfranci nece victoria constitit. Imminente nocte minùs eâ parte intensa displosio fuit, non nisi XXII. machinarum ictibus numeratis. Eâque ipsâ die Tesconum inter & Tarnum excauata tunc primùm à Regijs valla, breuiorì tempore munimentis succedent, conatu, vt videbimus, irrito.

Albias.

Superbum præsidiarii responsum.

Grauior obsessis Bourfranci iactura.

Ad VI. Septemb. displosi in Mommiratum machinarum muralium ictus CLIX. in Borboniam arcem LVI. producendísque hinc inde vallis æmulatoriè actum; donec appetente nocte ad VIII. circiter à meridie horam, quia tunc plenilunium erat, Mayennio placuit tentatam toties fortunam experiri denuò, stationémque suis non procul ab arce parare, vbi ad hemicycli latus assurgebat ingenti mole doliũ. Procuratis ergò ex circumadiacenti solo cunicularijs, nouum opus aggreditur; intereà ad dextram, hemicyclũ inter, & propugnaculum, Tolosana cohors iussa fatigare hostẽ, dum assiduo cunicularriorum opere statio firmaretur; leuiori prælio

Indicta à Mayennio oppugnatio.

Tolosana cohors prorumpit in prælium.

occupatur dolium ingens, dum à tergo vasa viminea terrâ oppleta (Gabionos appellitant) magnâ contentione inferuntur. Hîc diu muniminis extimi ambulacra possedit victor, Vignaucio, Lariuieróque magnâ in vrbem vi retrusis, atenim periculo in militare concilium districtè deducto, placitum suppletis aciebus expugnari firmatam iam à Regijs stationem; vocati Reyniesius, Marmoniæus, Periúsque præfecti, totidem centurias in oppugnationem ductant. Pererius à tergo, Vignaucius, Lariuierúsque à fronte Regios adoriuntur; non antè maiore nostrorum pertinaciâ dimicatum; donec productâ in mediam noctem pugnâ, numero hostium victi Regij loco absistunt.

Victor Regius. Gabiõs

In castra retruditur. Reynies Marmonié. Perery.

Magnum hîc Regiorum detrimentum si numerum, minimum si conditionem cadentium spectas XL. legionarijs desideratis, ad internecionem cecidere cunicularij L. Lapeirosium fratris Lapeirosij legatum, lapidum grandine, nullo lethali vulnere oppressum memorant, Mondosilius Mauuesini signifer traiecto, dum cunicularios ad opus accendit, humero cadit; Lacauberum ita absorbet artificij flamma, vt vnâ rei bene gestæ memoriâ superstite, reliqua absumpserit ignis, vnde ne ossa quidem à prælio inuenta sunt. Sauciati Lapeirosius centuriæ Tolosanæ præfectus, Feudi Marchio spei maximæ adolescens, Paulhacúsque Tolosanæ cohorti nullis stipendijs ascriptus. Luctuosa præ alijs legionariorum sors fuit, qui dum vasa viminea subeunt, fune illa traiectitio in designatam stationem humeris illaturi, vncis ferreis in fossam hostium tra-

Regiorum damnum. Lapeirouse. Mondousil. Lacaubere. Lapeirouse. Fimmarcon. Paulhac

Vsti cum vasis milites.

cti subditâ vasis flammâ, lento igne inter cruciatus dispereunt. Nihil die VII. hinc inde actum, quod nos hîc morari diutius debeat, lentâ displosione, numerati machinarum muralium in Mommiratum X.L. ictus:in Villam-Borboniam XLIX. in Monasterium CVI. habitum tamen ad vesperam Regios inter, præsidiariósque de deditione colloquium; Veireriesus tanti proxeneta negotij Sectarius ipse, Oruallum, Adonem, Chamieriúmque dato commeatu egressos, hortatur diu salutem ipsi suam, decus & dignitatem vrbis ne prostituant gratis, afflictíque commiseratione gregis tandem aliquando in deditionem ducantur; nullam esse bello salutem, quantocumque hodie fortuna applausu obsessis ridere videatur; diem eamdemmet, fortunam duodecim horis metiri, quarum si suprema in primam æquabilitate coïncidit, portentum esse. Raros Regiorum ordines, nouis breui delectibus supplendos, casúque fortiorem assurgere Gigantæam eius audaciam, qui arcem Borboniam oppugnat; moriturum breui, aut expugnatâ arce triumphaturum. Nihil à Rohanæo sperandum subsidij, qui exercitus sui florem nuperà ad Fauchium clade amiserit; insessas ab Engolismensi ripas, quà illi transitus, eámque prouinciæ oram ad singula stadia ita vrbibus refertam Catholicis, vt non nisi summo periculo commeari possit. Sic ille ad Regij Oratoris præsentiam proloquutus, eo districtè responso dimittitur; Nullam equidem bello salutem esse, hostibus scilicet, quibus acceptæ iam sæpius clades spem omnem salutis subduxerint: eo tamen

Veirieres. | Colloquiũ de deditione priuatim habitum. | Fortunâ volubilis. | Fauch. | Sectariorũ responsum audax.

esse in publicum amore obsessos, vt nullatenus legitimæ pacis conditiones recusent; nihil tamen de deditione agi posse, nisi postquam Regē inter & Comitia de pace in vniuersum conuenerit, quam nec ipsi tractare audeant, nisi Comitiorum, Rohanæique assensu.

Occupatā prætoriani stationem deserunt.

Irrito in hunc modum colloquio redintegratur postridie verberatio, in Monasterium, Villámque Borboniam lentior, in Mommiratum eâ pertinaciâ, vt post C X L I. ictus, prætoriani vigiles fossis successerint, vnde tamen infestis artificij ignibus, nondum firmatâ ex æquo statione pellūtur: discerptam eâdie memorant tormentariâ pilâ puerorum turmam, dum in plateâ liberiùs agit, cęsis, vulneratísque pluribus.

Discerpti tormētaria pila pueri.

XI. mensis, post quassatum CXXXIX. machinarum muralium ictibus, Tarni propugnaculum, indicitur à Mayennio non procul ab eo, ad Coridoros (ita imposterum quamquam barbarè extimi muniminis ambulacra vocabimus) statio; quæ fusis hostibus, doliaríque munitione firmata, Mayennianis dehinc commodo vertit.

Ad Coridoros Mayenniana statio.

Ad XII. renouatâ acriùs verberatione in Tarni propugnaculum Mayennius displodit C X L. ictus, Comestabilis in Mommiratum X C I V. incertos magnâ ex parte omnes, in Monasterium Ioinuillius C C C X X X I X. subsequutâque ad vesperam eâ parte oppugnatione, Coridoros Regij, quantâcumque illos pertinaciâ propugnaret hostis, expugnant; neque enim in Reyniesij hemicyclum penetrare ex animo datūm, obsistentibus magnâ con- Reyniesi

Coridoros item Ioinuillius superat.

Lague-pie. Saui-niac. Duräd. Lacoste tentione Sauiniaco, Baronē Guepio, Durando, Costęóque præfectis. Cæsis XXX. hostium inter cadauera inuenta virago, quæ virilem mentita habitum diu restaurauerat pugnam; munimenti extimi (Contrescarpam fossæ appellitant) possessoribus in eum modum Regijs, ab Adone prælij maiore primipilo, in vrbe publicè, sæpiúsque dictum, saluo honore deditionis leges subiri ex militari regulâ posse; cùm fossæ munimen extimum hostis occupat. *Deditionē Ado suadet*

Iam suprà diximus Veirierum, plura cum Oruallo, Adone, & Chamierio loquutum; ex hinc Rohanæum adijsse, à quo demum, die mensis XIV. codicillos ad Consules, in hæc verba retulit; Se gratiæ à Montalbanensibus acceptæ imparē esse multis nominibus, eò maximè, quòd nisi sui ipsius cōsensu nullas deditionis conditiones subire velint; in eâdem se cum illis sententia esse, scilicet differendam deditionem, donec in vniuersum de pace pactum fuerit. Pleraque sibi in abdito esse, quæ metu proditionis non ausit committere nuntio, de quibus, si cum eorum Oratoribus cōferre dabitur, sibi abundè esse, quod pacem sperare audeat. Adon. *Veirierus Rohanæi codicillos Montalbanensibus præbet.*

Nihil ad hæc cunctati Consules habito districtè consilio, Adonem, Chamierúmque legunt, qui vrbis nomine, cum Rohanæo Reipublicæ vtilitati prospicerent; obtinetur non ægrè à Comestabili commeatus, viæ se legati accingebāt, cùm ortâ repentè seditione, intercedentis auctoritate populi à delegatione prohibentur: conuocari iterum concio, adesse stipante populo Tribunus, intercessionis eam caussam addere, quòd in vrbe Ado prælij pri- *Lecti Oratores duo.* *Populo intercedente reuocantur.*

mipilus maior, non possit nisi contra militiæ leges procul absistere; quódque adeò Regijs inuisu mst vel vnum Chamierij nomen, vt neutiquam tutus illi commeatus habeatur. legi ad hæc Nohaillanum Montalbanensem oppidanum, municipiíque Syndicum non inexpertem; quod adeò Adoni ingratum fuit, vt ipsamet die vrbe egressus, fidei sacramentum Regi præstiterit. Nohaillanum sequutus iussu Regis Desplanus irritâ postmodùm negotiatione Rohanæum adit; nisi quòd à Comestabili indicto illi colloquij die Villamurij, designato se tempore adfuturum respondit. Intereà tamen à Nohaillano monitus nihil differri deditionem posse, si subsidium deforet, coram ipso Desplano, qui in speciem cultus importunâ illi vbique præsentiâ aderat, simulatâ in vrbeculam adiacentem obsidione, Bellifortis cohortē, quam in eam expeditionem emittere fingit, iubet rectà Lombercium ire, traiectóque vbi commodiùs Tarno, Fanum Antonini, hinc mediâ Gresiniâ (sylua est profundissima) Montalbanum. at hæc infrà.

Ado Sergent de bataille.

Nohaillanus delegatur.

Nohaillan.

Eum Desplanus sequitur.

Villemur.

Subsidiaria cohors obsessis procuratur.

Gresinie.

Per id tempus, vrbem inter & Tesconi riuum, quâ parte Valliaci, Estissacíque cohortes metabant, interceptus hostium explorator, eò solùm quòd mente, animóque defixus hærebat, non vltrà ire, non regredi ausus; in vinculis Valliaco Comiti sistitur, rogatúsque, Quid proditionis altâ secum mente perpenderet? respondit, Catholicum se orthodoxum, Regi militaturum ex agro recèns Petragorico aduenisse; prodidere tamen perduellem codicilli, quos albescente papyro, vt nihil legi pos-

Valliac. Estissac.

Captus explorator mentitur se Catholicū.

ſet, negauit ille litteras, donec ignis abſumpto humore, qui ex arte obduxerat chartam, aperuit fraudem. Nec diù cùm præpoſiti rerum capitalium ſententiâ reſti addicitur. Dati illi Traſrius & Langladæus Franciſcani ex Recollectis, ſæpius de ſalute animæ monito, conuictis Caluini erroribus, ſuadent, vt Catholicum ſe Romanum moriturus profiteatur, profeſſus, multa ſe audijſſe olim adijcit de Deiparâ Virgine quæ fidem ſuperent, cui & votum nuncupare in ſpem ſalutis audeat. Ad hæc Traſrius, nihil differri ſupplicium poſſe, adeſſe carnificem reſte ad manum, nec procul hinc patibulum: nihil tamen cunctatus Sclarmondus (id reo nomen erat) votum Virgini nuncupat, ſi fatum eluctari dabitur, habiturum ſe grates ad ſacroſanctam Montiſſarrati ædem præcaram illam Virgini, vti in dies miraculis prodit. Non iuit inficiàs Traſrius, ſupremâque hortatione commonitum, ſalute conclamatâ carnifici linquit. Iámque à ſcalâ in imum detruſo pedibus tortor inſultabat, cùm ſponte interciſo fune reus in terram ruit; rogari hîc rerum capitalium præfectus morti eximeret, quem Deus portento ſupra vices humanas mirabili viuere adhuc velit: ille id Regis imperia pati negãs, iubere reſte duplici patibulo ſuffigeretur iterũ. Res ita habet, legitur firmo ſtamine duplex funis, collo inditur, agitur in altũ reus, in imũ detruditur, collo inſilit carnifex; iámq; nemo mortuũ diffitebatur, cùm pari fato deficiens iterùm duplex funis, humo reum exponit: nunquã intentiùs acclamatum; vndique MIRACVLI, MIRACVLI nomen perſonat, ipſóque capitalium præfec-

Reſti addicitur.

Traſrieu Langlade. Recollects.

Ad fidem Catholicã conuerſus votum Virgini Deiparæ nuncupat.

Sclarmond.

Bis morti non niſi miraculo eximitur.

tus equo præceps desiliens, laxari restē iubet à collo pendulam, quæ vestigium iugulo tam altè impresserat, vt primâ fronte strangulatum nemo addubitarit; cùm ille placidè oculos explicans prodit à reste, aut præcipiti casu sibi damni illatum nihil. Præfectus ad Regem accurrere, crebrescentéque miraculi fama, Sclarmondus adesse, aduolui Regis genibus, veniámque criminis petere, quod tanto ipsemet Deus miraculo condonasset; Rex se vltorem negans, vbi Deus ipse miraculo parceret, vitam donat, exsoluendóque ad Virginem Montissartati voto, numerari iubet profusâ largitione pecuniam. Vidi ego à voto reducem, Franciscaníque Recollecti supra publicam fidem eâ de re scriptum habui, propriâ ipsius manu ita obsignatum, HIPPOLYTVS LANGLADÆVS RECOLLECTVS INDIGNVS.

Miraculo mortis exēptus.

Regi exhibetur.

Ad hæc ipsa tempora militari morbo, qui tunc grassabatur Gasto Borbonius Regis frater Moissaci, magno vitæ periculo laborabat, iámque præsentibus malis futura perpendens pullam Gallia vestem induerat, quando ad habitas publicè preces meliùs habuit princeps; faxit Deus, vt qui à Rege in Galliâ primus est, nobilitate sanguinis, virtutum omniū cumulo primus item ab illo dici possit: multū dixi, parem enim LVDOVICO nostro si virtutes attendis, etiam venturis retrò seculis natura negabit. Baro Hayæ extra ordinem Britanniæ Regis legatus, contracto ibidem ab aëris pestilentiâ morbo, diu salutem in periculo habuit, assiduæ medicorum, quos illi Rex procurauerat curæ, vitam à Deo debens.

Gasto Borbonius magno vitæ periculo æger.

Votum illi.

Baro Haya Britanniæ legatus ægrotat.

Intereà quia subsidiariam Montalbanensibus cohortem

Engouleſme. Mommorancy. Vendoſme. Lautrec Lavaur. S.Supplice.

cohortem aduentare fama peruaſerat, Ducibus Engoliſmenſi, Mommorancio, & Vindocinenſi, ſtationes ad Albienſem prouinciam diſtribuuntur, Lautricum illi, huic Vaurum, tertio Fanum Sulpitij; quamquam eâ parte tentatum nihil, ſuprà Albienſis agri deſolationem, quem, obluctantibus licèt imperatoribus, proteruia legionariorum depopulabitur. at hæc infrà.

Stationes in ſubſidiariam cohortem diſtributæ.

CAPVT VI.

EPITOME.

Infortunatus Mayennius à caſu fortior hoſtem premit. à Guiſio, & Schombergo inuiſitur. magno omnium mœrore occumbit. Guiſius & Schombergus defectis animo legionariis adſunt, caſtráque ſalua habent. Toloſæ Mayennio velut parenti patriæ parentatum. habita ad principis Lotharingi funus oratio. multis illi nominibus Aquitania deuincta. laudatur quòd vitulo numquã aureo immolauerit. quòd inueterato odio Luynæum proſequutus, numquam FAVORI *litauerit. Mayẽnii in Sectarios odium. expugnatæ ab eo in Aquitania vrbes. illata Aiguillionum eius oſſa. Pariſienſis populi ab eius funere immenſus dolor. ortâ ſeditione Carantonio Tẽmplo ſubditur ignis. actis in furcam ſeditionis auctoribus reſtincta ſeditio. Pontes Lutetiani ardent. iniuriâ dictos incendiarios Caluiniſtas. decretæ de publico eleemoſynæ. Mommorancęa principem Galliæ parit. in pontem Bor-*

bonum magnâ contentione disploditur. expugnantur Monasterii à Ioinuillio munimenta magnâ laude. Reyniesius vulneratur. sufficitur ei Riparianus. cuniculus ad Mommiratum Regiis infortunatus. vasta ruina reparatur. Robanai ad Consules codicilli.

Infortunatus Mayẽnius à casu oritur.

QVÆ aliũ consternassent infortuniâ, quibus violentiùs in dies affligtabatur Mayennius, in eo rupem inueniebant Caucaso duriorem; glomerabantur in eius caput mala, vt virtuti heroïcæ aduersa consultò fortuna videretur. Iam valla in fossam hostilem induxerat, occupatísque muniminibus extimis, deditionem breui eâ parte sperabat aut expugnationem, cùm ad Sept. XVI. Guisium & Schombergum amicè eum inuisentes in valla ducit (quasi vnâ hâc festiuè habendi hospitis ratione) sequi Guisius & Schombergus, celeritatémque operis mirantibus; Minimum, inquit, istud; quamquam nihil hosti est, quo effugiat, si pluteum semel, qui portæ adiacet tormentis disiecero; his dictis designaturus locum assurgit, cùm in eam partem collimato præsidiarius sclopo eâ fati malignitate displodit, vt leuissimo in speciem ad sinistrum oculum vulnere ceciderit heros rotulati sclopi, vt dehinc agnitum tenuissimâ glande. Schombergus ruentem excipere, nec diu cùm de salute animæ sæpius monitus, sublatis in cœlum oculis penè in momento expirauit.

A Guisio & Schombergo inuisitur.

Guise. Schomberg.

Occiditur Mayẽnius.

Hîc supra fidem est, quo luctu in vniuersum miles imperatoris sui fatum prosequutus sit, vnâ ipsius nece, vulnerati lethaliter legionarij desertâ militiâ

impedimenta legunt; cùm Guiſius effuſus in lacrymas, victo ex rei neceſſitate gemitu, præſentiâ ſuâ acies erigit, agmináque huc illuc circumequitans, adeſſe clamat, amiſſo principe Lotharingo, nouum Lotharingum, redirent ad caſtra, viuere in Guiſio imperatorem illis, ſi non ingrata imperia forent: atenim vbi diſparem animo vultum diutiùs ferre nequit, ſecedit; ex aduerſo dilapſos Schombergus milites quà minis, quà precibus in valla retrahit, Mayennium non niſi leuiter vulneratum, ſi ſtarent in armis nihil eſſe periculi, ſi dilaberentur omnia deſperata. His plura hinc inde addita, quibus in valla rediijt miles, ſic caſtrorum ad Borboniam metationem eâ die Guiſio & Schombergo debita conſeruatio.

Guiſius & Schombergus conſter natos milites confirmant.

Maior hìc Galliæ, ne Chriſtiani orbis dixerim, iactura fuit, quàm vt cōcipi poſſit, nihil ſtylus habet, quo mœrorem populi, nobilium eiulatus, parlamētorum, ipſiúſque Regis dolorem exprimat: ſilebo igitur ne contra hiſtoricam dignitatem, alijs in ſpeciem proloquentibus, videar queſtus ipſe meos depromere: vbique in Galliâ principi parentatum, Toloſæ maximè, vnde in publicum prodijt Oratio funebris, quâ, non ineptè, Iudæ Iſraelitæ comparabatur in ea verba ex I. Machab. cap. IX. FLEVERVNT IVDAM OMNIS POPVLVS PLANCTV MAGNO, ET LVGEBANT DIES MVLTOS, ET DIXERVNT; QVOMODO CECIDIT POTENS QVI SALVVM FACIEBAT POPVLVM ISRAEL? His addebatur; Soluamus bono principi ſtipendiarias lacrymas, flent omnes, flent ignoti, flent timentes, flent & inuiti, flent & qui

Toloſæ Mayennio parentatū.

Habita ad eius funus Oratio.

videbantur inimici : omnes enim non imperatorem tantùm , ſed & parentem Patriæ obijſſe illacrymant , ſuáque omnes funera dolent. heu! heu! ſublatus es,& hæc omnia ſimul tecum: omnes pariter abiere deliciȩ & lætitiæ noſtræ, iam curæ irruunt,iam moleſtiæ hinc inde pulſant,& ſolæ anguſtiæ te abeunte remanſerunt. Accedebat ex II.Regũ cap. III. NEQVAQVAM VT MORI SOLENT IGNAVI MORTVVS ES ABNER, MANVS TVÆ LIGATÆ NON SVNT , ET PEDES TVI NON SVNT COMPEDIBVS AGGRAVATI : SED SICVT CADERE SOLENT IVSTI CORAM FILIIS INIQVITATIS, ITA CORRVISTI, adhuc Bordonius (id Oratori nominis erat) ego nihil habeo , quod adijciam , quàm vniuerſum Aquitaniæ luctum , quȩ ſupra publicam iacturam prorege cariſſimo deſtituebatur,cuius virtuti minimum eſt voces , & verba rependere , nî ſtylo pluſquàm ferreo ignitus amor,pulchrum MAYENNII nomen inurat cordibus,quæ illi à Rege debẽt,quod ſpirant.

Bourdon.

Multis nominibus Aquitania Mayẽnio deuincta.

Rex naturâ,virtutéque conſtans diu ad nuntium, lacrymas eluctatus, dolorem cohibere non potuit; quinimò obortis ad mœrorem lacrymis ſeceſſúique commiſſo dolore , multa ſecum altâ cogitatione volutabat ſolus , qui neminem in ſecreti conſcientiam adeſſe voluerat; vnum aiunt væſanâ crudelitate FAVOREM, explicatis placidè ad rei nuntium oculis , nihil prodidiſſe doloris; quia nempe purpuratis omnibus AVREO VITVLO immolantibus , vnus Mayennius idolorum cultu conſtanter abſtinuerat,ab vnoRegis obſequio,quidquid aliun-

Numquam aureo Vitulo immolauit Mayennius.

de ſeruitutem ſapit aſpernatus: hinc mutua inter Luynæum,& illum odia,potentioribus vtriſque,ille gratiâ populari, hic diuitijs, quàm vt ſe ferre inuicem poſſent.quippe arduum eſt eodem loci potentiam & concordiam eſſe. Silentibus reliquis principibus,vnus ille operam conductitiam Luynæo negabat,vnde exhinc potentiùs viri audacia velut fręnis exſoluta prorupit.

Inueterata inter Mayennium & Luynaeum odia.

Mœrorem Regiorum augebat triumphus hoſtium, quibus in momento res patuit, quidquid illi non niſi biduo pòſt compertam aſſeuerent; nec enim niſi collimato in Mayennij caput ſclopo diſploſerat infelix legionarius,quinimò obſeruatâ mitellâ cæruleâ, quam ad collum Torquatus eques geſtabat, non incerto ictu agnitum caput transfoderat. Vidi ego priuata Montalbanenſium eâ de re ſcripta,quibus virtutem principis, quam nemo diffiteri audeat,in altum efferunt, poſitúmque aiunt vno vulnere vitæ Mayennij finem, odióque, quod non ita diu (ſic enim loquuntur) in Sectam vniuerſam conceperat.Sic Mayennius finijt principum exemplar, imperatorum ad militiam typus, præcarus ſuis,hoſtibus vnâ denominatione formidabilis: ſic finijt poſt captum Neracũ, Caumontiũ, Caſtrũjalouſium,Manſum Verduni, Inſulam Iordanæam, Malouicinum, Albiaſium, Bourniquellũ, Nigrampeliſſam, Calciatam, Regalẽ vrbem, Mombetoniã arcem, Bartas, Corbarrium, aliáſque his ſimilibus arces,quod ſupra enarrauimus. Sic iterum Mayennius finijt, cuius virtus, ſi vel vnum ad Regis latera habuiſſet imitatorem aut æmulum, confectam pe-

Mayennii in Sectarios odium.

Expugnatae à Mayennio vrbes.

nitus, Rebellionem hodie gauderet LVDOVICVS, quam ense ipse suo, vnius ope Mayennij prostrauit victor, retinentem quid adhuc possessionis antiquæ, in duabus vrbibus Rupellâ & Montalbano, ad quas firmat etiamnum vestigia, expugnatis reliquis. sed hæc infrà suo loco.

Postquàm ad Mombetoniam arcem, exposito de more cadauere, exercitus Mayennij suprema defleuerat, habitus illi extremus honor, ossáque gentili tumulo secundo Garumnâ Aigullionum inlata, vbi suprema illi officia rependêre sui.

Eius ossa Aigullionum illata. *Aiguilloon.*

Lutetiæ ab eius funere summus dolor.

Vbi occubuisse heroëm Lutetiæ constitit, nihil in vrbe supra populi planctus, & lamenta auditum, neque dici potest, quis arctum Regis Consilium, quis Senatum habuerit mœror; in Sectarios vbique clamor; delendum ad internecionem perfidæ gentis semen; fatale Regijs aciebus eorum contubernium, qui in obsequij speciem Regem circumstant, toties peieratum ab ijs, vt vix ferro & flammâ expiabile scelus. Qui Lutetiam nôrunt, eam sciunt immani pondere vrbem, quæ non nisi ex gladiatoriâ viuentes habeat eo numero, qui componendo prædonum exercitui satis esse possint, gens desidiosa, nõ nisi fortunę arbitrio viuens, aliorum damno, capitísque in dies periculo. Illi ad rei nuntium, rati prædæ occasionem oblatam, vrbem per turmas circumire, iurgijs primùm Sectarios vrbis oppidanos excipere, à verbis ad verbera; à verberibus ad incendium, ab incendio ad prædam iri: inter seditionem dilapsi plerique Carantonium oppidum (ibi Lutetiani Sectarij, religionis suæ ritus non procul

Orta seditio. *Charenton.*

ab vrbe celebrabant) circumstant; nec diu cùm direptis ædibus, templum occupatur, ibi conferri in medium scamna, cathedram ipsam & libros, subdíque ignem; vt arserit eâ die pagus, diuitijs recèns ad Sectariorum frequentiam auctus. *Ardet Carentonium templum.*

Lutetiæ interim, municipij Magist-ratus (quem torum præpositum vocant) restinguendæ seditioni vrbem circumequitare, agere in vincula reos, furori opponere purpuram; at irrita penitus erat, præualente seditione, auctoritas; nisi ad commoti præsentiam populi dissidij auctores duo, in furcâ proditionis pœnas luissent. *In furcam acti seditiosorum duo.*

Ad XXIV. Sept. prouectâ iam nocte, fato an consilio, incertum, arsere nobilissimi pontes, quibus à molitoribus & mercatoribus nomen, illius iactura leuior, quippe à carbaseâ supellectile, quæ eo loci prostabat vænalis igne absumptum nihil, præter magni pretij ædes: huius id fuisse dispendium memorant, vt octingenta aureorum millia supra ædium æstimationē, mercatoribus perijsse haud in dubio fuerit: enimuero vasa hîc aurea, argenteáque, eâ à mercatoribus copiâ asseruabantur vt supra fidem sit quid illis perierit; argentum solidum, signis aspera pocula, pura, cælatáque vasa, primùm ignis liquauit, dehinc absorpsit defluens; quamquam minimi ea iactura momenti; si cum vnionibus, adamantibus, topasijs, armillis, aliísque id genus à muliebri mundo conferantur, quæ omnia aut Sequana secum in Oceanum inuexit, aut deuorauit ignis. Nondum probè liquet, cui infortunium debeatur; sunt quibus placeat inditum à Sectarijs ignem, *Le pont aux Musniers, aux Marchans.* *Pontibus Lutetianis subditus ignis.* *Seine.*

Falso creditū à Sectariis subditū ignem. quasi ægrè tulissent Carantonij templi incendium, tacitâque secum mente vindictam meditati, non aliam in promptu habuissent, quæ in vniuersum magis infesta foret; atenim deest postulationi probatio, vel vno hoc indicio, quod si tempora ritè perpendimus, inueniemus dubio procul Septemb. XXIV. conflagrasse pontes, & insequenti XXVI. inditam pago Carantonio flammam; vnde ea feliciùs probatio duci poterit, immissum pontibus ignem, vnâ in Sectarios suspicione, accendisse in eorum ruinam nullâ causæ cognitione populum.

Decreta de publica eleemosyna. Parlamentum ruinâ agnita publicas decreuit eleemosynas, eorum solatio quibus ab igne, omne penitus patrimonium aberat; at leue viris olim ditissimis eleemosynarum subsidium; ferunt Lutetiani parlamenti præsidem, eo incendio ædes amisisse quæ in singulos illi annos viginti librarum millia rependebant.

Mommorācia principem Galliæ parit. Per id tempus Mommorancæa Condæi primarij principis vxor, hæredem illi, Galliæque masculum peperit, optatus diu masculus ille partus in Gallia, ex quo ab Henrici fato luctuoso, tribus è prosapiâ Regiâ principibus viduatum fuerat regnum, Aurelianensi Regis fratre, Contio, & Suessionensi. magno omnium applausu exceptus fœtus, cui si Delphinus, cœli liberalitate accresceret, foret liliorum amantibus lętitiæ complementum. *Monsieur d'Orleans. Conty. Soissōs*

Mayennio Marescallus Theminius suffec Extincto ad metationem Borboniam imperatori suffectus Marescallus Theminius, qui primi antè Castrametatoris officio fungebatur: ille nihil Mayennio magnitudine animi impar, eâdem die

(ne

(ne vniuersi exercitus consternatio pateret obsessis) verberationem acriùs redintegrari iubet, ictúsque machinarum muralium numerati ad vesperam CXV. Iam suprà memorauimus Borboniam arcem, ab vrbe Tarno amne dirimi; visum militari concilio operæpretium, collimari in pontem tormenta IV. quorum indesinenti displosione quassatus ille, Villæ-Borboniæ, vrbísque commercium intercluderet: Septembris ergo XVII. in pontem L. ictus displosi, postridie, totidem circiter, donec post diutinam verberationem agnitum conatu irrito lapideam molis ingentis columnam verberari.

In pontem magna à Regiis contentione displosum.

X.X. mensis intensiori quàm antè displosione actum: in Villam-Borboniam CCCXXVII. ictus, quibus disiecto propugnaculi apice, Coridori omnes facto impetu expugnantur, vnde Vignaucio, qui tunc fortè aberat, immensus dolor; in Mommiratum nullo dehinc prælio C. circiter, in Monasterium quà ad fossam munimen ingens assurgebat (passerem vocant) CCXLVIII. nec dubitauere obsessi quin magni aliquid in eam partem Ioinuillius meditaretur. Nihil moratus Reynierius stationem nouo milite supplet, hemicyclum, illíque claustrum adiacens nouo præsidio firmat, centurias ad fossam duas in quadra distribuit: euaporatur interim magnâ cuniculus violentiâ, irrumpunt in claustra & Coridoros Regij, pellitur hinc magnâ iacturâ hostis, ab hemicyclo in fossam artificij ignes iaculatur, femina prę alijs audaciâ habitúque conspicua vbi ollas liquatâ pice refertas in turmam irruentium iactat, glande transfossa viam in hemicyclum

Moyneau.

Oppugnatio ad Monasterium.

aperit. Hæc inter adesse Forcæus, iámque à Regijs
Reyniesius vulneratur. expugnatos Coridoros, tentare irrito nisu. Reynie- Reyniés
sius ad imperia huc illuc distentus ad tibiam glande Dubois
traijcitur, Bucæus, Ripurianúsque vulnerantur: de- Larièere.
nique XXX. hostium cæsis, sauciatis XL. quos in-
In Regios victoria inclinat. ter præfecti plerique, in Regios non nisi nocte ap-
petente victoria inclinauit; magnâ Arpajoni Lou- Arpajoun.
sieriíque laude expugnatis munimentis extimis, Lorsieres.
Coridoris magno & minore, claustro, hemicy-
clóque.

Reyniesio sufficitur Riparianus. Postridie post suffectum Reyniesio Riparianum, Forcæus qui hesternam Regiorum victoriam ægrè ferebat, claustra à Ioinuillio recèns locis expugnatis constructa, tormentis ab vrbe quassari iubet, oppugnandi animo: imò & displosæ machinæ ruinam ediderant, oppugnatióque in procinctu erat, cùm ad raros præsidiariorum ordines, militari consilio pugna inhibetur, conseruando scilicet militi.

Cuniculus ad Mommiratum Regiis infortunatus. XXII. Sept. cuniculo ad Mommiratum eo Regiorum infortunio inditur ignis, vt resiliens in ipsosmet propugnaculi disiecta moles, penè omnes obruerit, quibus primum cornu obtigerat; hîc miserè sepultum memorant Lamaisonum magnum Lamaison.
Chapesianæ cohortis primipilum, qui euaporato
Lata à cuniculo ruina. cuniculo parabat irrumpere. Non antè à cuniculo ruina vastior: quippe XX. pulueris tormentarij centupondia ruinam aperuerant V. circiter & XX. passuum. Ad rem vtrimque impræuisam, vtrimque pauor; primum Regiorum cornu ruina oppresserat, reliquis vix progredi ausis; præsidiarios qui eâ parte agebant humus item dissiliens absorpserat viuos, vt

oppugnantibus, propugnantibúsque diu desertus locus; donec Regiorum Lantasius, ruinam occupare iussus, Normannicæ cohortis centuriam, cuius ipse præfectus erat, magno in hostem impetu agit; at munitâ præsidiarijs iam antè ruinâ, post graue prœliũ retrusus in fossam glande cadit. Fusis Regijs obsessi ruinam reparabant, cùm tormenta in eam partem displosa magnâ illos clade afficiunt, occiso inter alios Barone Guepio, in cuius audacia magnum obsessis erat rebus gerendis momentum. Auertendis ergo à verberatione ad prælium Regijs, quò murus interim reficeretur, erumpit præsidiarius, manúmque strenuè conserit, dum à tergo cunicularij palis, & ligonibus nouum ducebant murum: fatigatis à prælio qui primi eruperant, habito legionum delectu, noui substituuntur; donec ad noctis crepusculum productâ pugnâ, æquali hinc inde iacturâ in munimenta retruditur hostis; quod ruinæ supererat nocte intempestâ reparatur. Parum abfuisse memorant quin Forcæus, Oruallus, Castronouanus, & Puteanus primus Consul, quorum consilijs & auctoritati rerum summa inerat, munimenti ruinâ obruti fuerint, qui vix inde pedem extulerant, cùm disiectum est.

Lantas. — Laguepie. — La Force. Orual. Gastelnau. Dupuy.

Tormenta Regiorum ruinam reparantibus infesta.

Magnum Forcæo Cr ualloque periculum.

XXVII. eiusdem mensis lentâ supra modum verberatione nullo vtrimque prælio actum: imminente nocte Insuladomus Sectarius nobilis codicillos ad Consules mittit; Rohanæi se Oratorem cum Oratore item Regio tractandæ paci adesse, prætérque commeatum expectare nihil; re in concilium deductâ datur commeatus; legati ad hæc vrbem su-

L'Islemaisō.

Initum de deditione consilium.

Rohanæi litteræ. bire, redditísque à Rohanæo litteris, de fide Insulædomui habendâ constat, qui Rohanæi animum rogatus depromere, adiecit; huc se à Rohanæo missum, habendis primùm Montalbanensi populo gratijs, quòd nihil nisi se consulto ad ea vsque tempora gesserint, monendis dehinc de statu in quem fortuna militiam suam deduxit, amissum nuper ad Fauchium exercitus sui florẽ, quíque prælio etiamnùm superstites forent, sacramento in fidem Regi adactos ad certum tempus; vix residuas sibi cohortes V. vbi nec hominum quatuor millia, nec arma ex æquo. tentata à se mittendo obsessis subsidio extrema; at irritum fuisse conatum, Tarno ad Regiorum continuas stationes imperuio: superesse id vnum, vt iustis conditionibus victoris legem subeant, duram esse legem quam imponit necessitas, cedendum tamen. Ad hæc stupere oppidani, *Obsessos habet stupor.* animóque defixi, in dubium trahere quæ audierant, aut non eam esse Rohanæi sententiam, quam ad Regij Oratoris præsentiam, non audeat Insuladomus depromere, aut deceptum falsâ de vrbis statu relatione Rohanęum. agnoscendæ rei vocatur in secretum ille, intercedit Desplanus Orator Regius, ferendam negans hanc subditorum à Rege suo diffidentiam; exhinc oppidanorum coïre concilium, conueniréque omnium calculis non habendam Insulædomui fidem, donec oppidanis apertiùs Rohanæi animus pateat; petendum in eam rem à Rege commeatum, *Re infecta hinc inde discessum.* mittendo scilicet ad Rohanæum Oratori, qui oppidanis eius animum, præsentémque militiæ statum certò referat: atenim negato certis de causis à Rege

commeatu, nihil hinc inde actum.

Quæ sequitur Septemb. XXIII. hosti quidem funesta fuit, desideratis Sectariorum aut captis D. nec ideò minùs infesta Regijs non nisi in speciem victoribus. expeditionem paulò altiùs repetamus.

CAPVT VII.

EPITOME.

Obsessi, vigiliis aßiduóque labore fracti subsidiariam cohortem expetunt. triplex legionariis Montalbanum iter patebat. Rohanaus in Labruguieram obsidionem simulat. de subsidii transitu monitus Engolismensis stationes nouo delectu supplet. fanum Antonini Bellifortius subit. transuadato flumine in quadra agmina acies ordinat. Pennauairio duce cohors Gresiniam subit. incutitur timor ingens cohorti. sacramento in viam adactus miles. variæ ea de re Regiorum sententiæ. decepti communicatâ hostibus tesserâ Heluetii. primum agmen sinè prælio vrbem ingreditur, in secundum acriter pugnatum. tertium ab Aguienno postera die capitur. accusatur Luynęus. signa hostium capta. irritum hostem inter & Theminium colloquium. dißidium in vrbe. Regiorum cuniculus ab hoste aperitur.

Debilitati hostes cohortem subsidiariam in dies expectabant.



EGIORVM assiduus labor, eò rerum summam deduxerat, vt obsessi citra præsidiariæ cohortis spem vnà, desperatâ salute languerent; cæsis à diutinâ iam obsidione plerisque, pluribus sauciatis, debilitatis labore & æstu qui superabant, vt vel ferendis armis impares forent, res in extremum illis discrimen venerat: cùm Rohanæus ratus (vt res erat) Sectæ salutem in Montalbano sitam, Bellifortium (cui ex militari audaciâ non iniuria id naturâ inditum nominis) iubet calcatis hostibus rectà Montalbanum ire. triplex iter patebat. Inter Albam Augustam, & Insulam Albigensium Catholicas vrbes, vadus erat, nec procul hinc portus, ad quem apertâ dehinc planitie, transmeari poterat Tarnus; id primum iter, arduum illud circumstantéq; hincinde phalãge Regià, legionario periculosum. Ad sinistrâ Castro Albigẽsium in plano erat Reuello Sectariâ vrbe, Carmanium via; Carmanio Montalbanum, non nisi mediâ Tolosâ, transmeando scilicet Tarno ad Villæ-Borboniæ pontem, eò tutiore itinere, quò imprǫuisum erat, id secundum. A dextrâ, non procul assurgebant montes, non nisi legionarijs peruij, hàc in aduersam planitiem cohors deuoluta, fanum Antonini non ægrè subitura sperabatur, placuit tentari eâ parte fortunam.

Beaufort.

Triplex Castro Montalbanum iter.

Alby. L'Isle.

Reuel. Carmã.

Nihil ad iussa moratus Bellifortius, Castro Lombersium pergit; intereà Rohanęus auertendæ à Tarno procul Engolismensis phalangi, in Labruguieram obsidionem simulat, educuntur Castro tormenta bellica, obsidionísque in promptu appara-

Rohanaeus obsidionem simulat.

Lõbers. Labruguiere.

tus, cùm Bellifortij cohors à præfecto Lombersiæ arcis, quæ vrbi supereminens à Rege stabat, detegitur. Nec morâ, tormenti ab arce iteratâ displosione, monetur Engolismensis, cuius non hinc procul statio erat, monitus, in armis ad ripam Tarni esse iubet alarios, stationésque nouo delectu supplet: atenim Bellifortius, qui non nisi nocte appetente se commiserat viæ, superatis nocte intempestâ per varios anfractus periculis, ad primum diei crepusculum, Corduam Catholicum pagum ad Tarni ripam venit, non alibi facilius vadum; Regiorum statio leuis in fugam agitur, interiectóque trium horarum tempore, quo Regij interim adesse potuerant, vlteriori ripæ sistitur cohors, non nisi legionariorum duobus aut tribus ad fluctus aduersos desideratis; trans flumen Bellifortius agmen in quadra distribuit, militaríque gressu explicatis signis, tympanísque sonantibus fanum Antonini ad vesperam venit, ieiuno adhuc post XXIV. horas milite: quamquam sunt quibus placeat traiectitiam cuilibet militi annonam Lombersij procuratam, panem viritim, quem munitionarium vocant, medio fune tormentario in fasciæ modum, ad latus pendulum.

De subsidii transitu monitus Engolismẽsis.

Cordes.

Stationes nouo delectu supplet.

Fanũ Antonini Bellifortius subit.

Trans Tarnum patebat hinc inde planities lata, ad quam vel leuissimus L. equitum ordo, cohortem mille & ducentorum hominum ad internecionem deleuerat. Nihil metu solutus Bellifortius, quamquam amnem iam transuadarat, in duas turmas aciem diuidit, creditóq; sibi extremo cornu vtpote quà imminebat periculum, Rossilierum à frõte primo agmini præficit, à dextrâ progredi in armis

Trans flumen acies ordinat.

Rosselicre.

videbantur inimici : omnes enim non imperatorem tantùm, ſed & parentem Patriæ obijſſe illacrymant, ſuáque omnes funera dolent. heu! heu! ſublatus es,& hæc omnia ſimul tecum: omnes pariter abiere delicię & lætitiæ noſtræ, iam curæ irruunt,iam moleſtiæ hinc inde pulſant,& ſolæ anguſtiæ te abeunte remanſerunt. Accedebat ex II.Regū cap. III. NEQVAQVAM VT MORI SOLENT IGNAVI MORTVVS ES ABNER, MANVS TVÆ LIGATÆ NON SVNT, ET PEDES TVI NON SVNT COMPEDIBVS AGGRAVATI : SED SICVT CADERE SOLENT IVSTI CORAM FILIIS INIQVITATIS, ITA CORRVISTI, adhuc Bordonius (id Oratori nominis erat) ego nihil habeo, quod adijciam, quàm vniuerſum Aquitaniæ luctum, quę ſupra publicam iacturam prorege cariſſimo deſtituebatur,cuius virtuti minimum eſt voces, & verba rependere, nî ſtylo pluſquàm ferreo ignitus amor,pulchrum MAYENNII nomen inurat cordibus,quæ illi à Rege debēt,quod ſpirant.

Bourdon.

Multis nominibus Aquitania Mayēnio deuincta.

Rex naturâ,virtutéque conſtans diu ad nuntium, lacrymas eluctatus, dolorem cohibere non potuit; quinimò obortis ad mœrorem lacrymis ſeceſſuíque commiſſo dolore, multa ſecum altâ cogitatione volutabat ſolus, qui neminem in ſecreti conſcientiam adeſſe voluerat; vnum aiunt væſanâ crudelitate FAVOREM, explicatis placidè ad rei nuntium oculis, nihil prodidiſſe doloris; quia nempe purpuratis omnibus AVREO VITVLO immolantibus, vnus Mayennius idolorum cultu conſtanter abſtinuerat,ab vnoRegis obſequio,quidquid aliun-

Numquam aureo Vitulo immolauit Mayennius.

de ſeruitutem ſapit aſpernatus: hinc mutua inter Luynæum, & illum odia, potentioribus vtriſque, ille gratiâ populari, hic diuitijs, quàm vt ſe ferre inuicem poſſent. quippe arduum eſt eodem loci potentiam & concordiam eſſe. Silentibus reliquis principibus, vnus ille operam conductitiam Luynæo negabat, vnde exhinc potentiùs viri audacia velut fręnis exſoluta prorupit. *Inueterata inter Mayennium & Luynæum odia.*

Mœrorem Regiorum augebat triumphus hoſtium, quibus in momento res patuit, quidquid illi non niſi biduo pòſt compertam aſſeuerent; nec enim niſi collimato in Mayennij caput ſclopo diſploſerat infelix legionarius, quinimò obſeruatâ mitellâ cæruleâ, quam ad collum Torquatus eques geſtabat, non incerto ictu agnitum caput transfoderat. Vidi ego priuata Montalbanenſium ea de re ſcripta, quibus virtutem principis, quam nemo diffiteri audeat, in altum efferunt, poſitúmque aiunt vno vulnere vitæ Mayennij finem, odióque, quod non ita diu (ſic enim loquuntur) in Sectam vniuerſam conceperat. Sic Mayennius finijt principum exemplar, imperatorum ad militiam typus, præcarus ſuis, hoſtibus vnâ denominatione formidabilis: ſic finijt poſt captum Neracũ, Caumontiũ, Caſtrũjalouſium, Manſum Verduni, Inſulam Iordanæam, Malouicinum, Albiaſium, Bourniquellũ, Nigrampeliſſam, Calciatam, Regalẽ vrbem, Mombetoniã arcem, Bartas, Corbarrium, aliáſque his ſimilibus arces, quod ſupra enarrauimus. Sic iterum Mayennius finijt, cuius virtus, ſi vel vnum ad Regis latera habuiſſet imitatorem aut æmulum, confectam pe- *Mayennij in Sectarios odium.* *Expugnatæ à Mayennio vrbes.*

nitus, Rebellionem hodie gauderet LVDOVICVS, quam ense ipse suo, vnius ope Mayennij prostrauit victor, retinentem quid adhuc possessionis antiquæ, in duabus vrbibus Rupellâ & Montalbano, ad quas firmat etiamnum vestigia, expugnatis reliquis. sed hæc infrà suo loco.

Postquàm ad Mombetoniam arcem, exposito de more cadauere, exercitus Mayennij suprema defleuerat, habitus illi extremus honor, ossáque gentili tumulo secundo Garumnâ Aigullionum inlata, vbi suprema illi officia rependère sui.

Eius ossa Aigullionum illata.

Aiguillon.

Vbi occubuisse heroëm Lutetiæ constitit, nihil in vrbe supra populi planctus, & lamenta auditum, neque dici potest, quis arctum Regis Consilium, quis Senatum habuerit mœror; in Sectarios vbique clamor; delendum ad internecionem perfidæ gentis semen; fatale Regijs aciebus eorum contubernium, qui in obsequij speciem Regem circumstant, toties peieratum ab ijs, vt vix ferro & flammâ expiabile scelus. Qui Lutetiam nôrunt, eam sciunt immani pondere vrbem, quæ non nisi ex gladiatoriâ viuentes habeat eo numero, qui componendo prædonum exercitui satis esse possint, gens desidiosa, nõ nisi fortunę arbitrio viuens, aliorum damno, capitísque in dies periculo. Illi ad rei nuntium, rati prædæ occasionem oblatam, vrbem per turmas circumire, iurgijs primùm Sectarios vrbis oppidanos excipere, à verbis ad verbera, à verberibus ad incendium, ab incendio ad prædam iri: inter seditionem dilapsi plerique Carantonium oppidum (ibi Lutetiani Sectarij, religionis suæ ritus non procul

Lutetia ab eius funere summus dolor.

Orta seditio.

Charenton.

ab vrbe celebrabant) circumſtant; nec diu cùm direptis ædibus, templum occupatur, ibi conferri in medium ſcamna, cathedram ipſam & libros, ſubdíque ignem; vt arſerit eâ die pagus, diuitijs recèns ad Sectariorum frequentiam auctus. *Ardet Carentonium templum.*

Lutetiæ interim, municipij Magiſt-ratus (mercatorum præpoſitum vocant) reſtinguendæ ſeditioni vrbem circumequitare, agere in vincula reos, furori opponere purpuram; at irrita penítus erat, præualente ſeditione, auctoritas; niſi ad commoti præſentiam populi diſſidij auctores duo, in furcâ proditionis pœnas luiſſent. *In furcam acti ſeditioſorum duo.*

Ad XXIV. Sept. prouectâ iam nocte, fato an conſilio, incertum, arſere nobiliſſimi pontes, quibus à molitoribus & mercatoribus nomen, illius iactura leuior, quippe à carbaſeâ ſupellectile, quæ eo loci proſtabat vænalis igne abſumptum nihil, præter magni pretij ædes: huius id fuiſſe diſpendium memorant, vt octingenta aureorum millia ſupra ædium æſtimationẽ, mercatoribus perijſſe haud in dubio fuerit: enimuero vaſa hîc aurea, argenteáque, eâ à mercatoribus copiâ aſſeruabantur vt ſupra fidem ſit quid illis perierit; argentum ſolidum, ſignis aſpera pocula, pura, cælatáque vaſa, primùm ignis liquauit, dehinc abſorpſit defluens; quamquam minimi ea iactura momenti; ſi cum vnionibus, adamantibus, topaſijs, armillis, aliíſque id genus à muliebri mundo conferantur, quæ omnia aut Sequana ſecum in Oceanum inuexit, aut deuorauit ignis. Nondum probè liquet, cui infortunium debeatur; ſunt quibus placeat inditum à Sectarijs ignem,

Le pont aux Muſniers, aux Marchans. *Pontibus Lutetianis ſubditus ignis.* *Seine.*

Falso creditũ à Sectariis subditũ ignem. quasi ægrè tulissent Carantonij templi incendium, tacitâque secum mente vindictam meditati, non aliam in promptu habuissent, quæ in vniuersum magis infesta foret; atenim deest postulationi probatio, vel vno hoc indicio, quod si tempora ritè perpendimus, inueniemus dubio procul Septemb. XXIV. conflagrasse pontes, & insequenti XXVI. inditam pago Carantonio flammam; vnde ea feliciùs probatio duci poterit, immissum pontibus ignem, vnâ in Sectarios suspicione, accendisse in eorum ruinam nullâ causæ cognitione populum.

Decreta de publico eleemosyna. Parlamentum ruinâ agnitâ publicas decreuit eleemosynas, eorum solatio quibus ab igne, omne penitus patrimonium aberat; at leue viris olim ditissimis eleemosynarum subsidium; ferunt Lutetiani parlamenti præsidem, eo incendio ædes amisisse quæ in singulos illi annos viginti librarum millia rependebant.

Mommorãcaa principem Galliæ parit. Per id tempus Mommorancæa Condæi primarij principis vxor, hæredem illi, Galliæque masculum peperit, optatus diu masculus ille partus in Gallia, ex quo ab Henrici fato luctuoso, tribus è prosapiâ Regiâ principibus viduatum fuerat regnum, Aurelianensi Regis fratre, Contio, & Suessionensi. magno omnium applausu exceptus fœtus, cui si Delphinus, cœli liberalitate accresceret, foret liliorum amantibus lętitiæ complementum. *Monsieur d'Orleans. Conty. Soissõs*

Mayennio Marescallus Theminius suffectus. Extincto ad metationem Borboniam imperatori suffectus Marescallus Theminius, qui primi antè Castrametatoris officio fungebatur: ille nihil Mayennio magnitudine animi impar, eâdem die

(ne

(ne vniuersi exercitus consternatio pateret obsessis) verberationem acriùs redintegrari iubet, ictúsque machinarum muralium numerati ad vesperam CXV. Iam suprà memorauimus Borboniam arcem, ab vrbe Tarno amne dirimi; visum militari concilio operæpretium, collimari in pontem tormenta IV. quorum indesinenti displosione quassatus ille, Villæ-Borboniæ, vrbísque commercium intercluderet: Septembris ergo XVII. in pontem L. ictus displosi, postridie, totidem circiter, donec post diutinam verberationem agnitum conatu irrito lapideam molis ingentis columnam verberari.

In pontem magna à Regiis contentione displosum.

XX. mensis intensiori quàm antè displosione actum: in Villam-Borboniam CCCXXVII. ictus, quibus disiecto propugnaculi apice, Coridori omnes facto impetu expugnantur, vnde Vignaucio, qui tunc fortè aberat, immensus dolor; in Mommiratum nullo dehinc prælio C. circiter, in Monasterium quà ad fossam munimen ingens assurgebat (passerem vocant) CCXLVIII. nec dubitauere obsessi quin magni aliquid in eam partem Ioinuillius meditaretur. Nihil moratus Reynierius stationem nouo milite supplet, hemicyclum, illísque claustrum adiacens nouo præsidio firmat, centurias ad fossam duas in quadra distribuit: euaporatur interim magnâ cuniculus violentiâ, irrumpunt in claustra & Coridoros Regij, pellitur hinc magnâ iacturâ hostis, ab hemicyclo in fossam artificij ignes iaculatur, femina prę alijs audaciâ habitúque conspicua vbi ollas liquatâ pice refertas in turmam irruentium iactat, glande transfossa viam in hemicyclum

Moyneau.

Oppugnatio ad Monasterium.

Hhh.

aperit. Hæc inter adesse Forcæus, iámque à Regijs
Reyniesius vulneratur. expugnatos Coridoros, tentare irrito nisu. Reyniesius ad imperia huc illuc distentus ad tibiam glande traijcitur, Bucæus, Riparianúsque vulnerantur: denique XXX. hostium cæsis, sauciatis XL. quos inter præfecti plerique, in Regios non nisi nocte appetente victoria inclinauit; magnâ Arpajoni Louſieriíque laude expugnatis munimentis extimis, Coridoris magno & minore, claustro, hemicyclóque.
Reyniés Dubois Lariuiere.
In Regios victoria inclinat.
Arpajoun. Lorsieres.

Reyniesio sufficitur Riparianus Postridie post suffectum Reyniesio Riparianum, Forcæus qui hesternam Regiorum victoriam ægrè ferebat, claustra à Ioinuillio recens locis expugnatis constructa, tormentis ab vrbe quassari iubet, oppugnandi animo: imò & displosæ machinæ ruinam ediderant, oppugnatióque in procinctu erat, cùm ad raros præsidiariorum ordines, militari consilio pugna inhibetur, conseruando scilicet militi.

Cuniculus ad Mommiratum Regijs infortunatus. XXII. Sept. cuniculo ad Mommiratum eo Regiorum infortunio inditur ignis, vt resiliens in ipsosmet propugnaculi disiecta moles, penè omnes obruerit, quibus primum cornu obtigerat; hîc miserè sepultum memorant Lamaisonum magnum Chapesianæ cohortis primipilum, qui euaporato cuniculo parabat irrumpere. Non antè à cuniculo ruina vastior: quippe XX. pulueris tormentarij centupondia ruinam aperuerant V. circiter & XX. passuum. Ad rem vtrimque impræuisam, vtrimque pauor; primum Regiorum cornu ruina oppresserat, reliquis vix progredi ausis; præsidiarios qui eâ parte agebant humus item dissiliens absorpserat viuos, vt
Lamaison.
Lata à cuniculo ruina.

oppugnantibus, propugnantibúſque diu deſertus locus; donec Regiorum Lantaſius, ruinam occupare iuſſus, Normannicæ cohortis centuriam, cuius ipſe præfectus erat, magno in hoſtem impetu agit; at munitâ præſidiarijs iam antè ruinâ, poſt graue præliũ retruſus in foſſam glande cadit. Fuſis Regijs obſeſſi ruinam reparabant, cùm tormenta in eam partem diſploſa magnâ illos clade afficiunt, occiſo inter alios Barone Guepio, in cuius audacia magnum obſeſſis erat rebus gerendis momentum. Auertendis ergo à verberatione ad prælium Regijs, quò murus interim reficeretur, erumpit præſidiarius, manúmque ſtrenuè conſerit, dum à tergo cuniculari palis, & ligonibus nouum ducebant murum: fatigatis à prælio qui primi eruperant, habito legionum delectu, noui ſubſtituuntur; donec ad noctis crepuſculum productâ pugnâ, æquali hinc inde iacturâ in munimenta retruditur hoſtis; quod ruinæ ſupererat nocte intempeſtâ reparatur. Parum abfuiſſe memorant quin Forcæus, Oruallus, Caſtronouanus, & Puteanus primus Conſul, quorum conſilijs & auctoritati rerum ſumma inerat, munimenti ruinâ obruti fuerint, qui vix inde pedem extulerant, cùm diſiectum eſt.

Lantas.

Lague-pie.

Tormenta Regiorum ruinam reparantibus infeſta.

La Force. Orual. Caſtel-nau. Dupuy.

Magnum Forceo C-ualloque periculum.

XXVII. eiuſdem menſis lentâ ſupra modum verberatione nullo vtrimque prælio actum: imminente nocte Inſuladomus Sectarius nobilis codicillos ad Conſules mittit; Rohanæi ſe Oratorem cum Oratore item Regio tractandæ paci adeſſe, prætérque commeatum expectare nihil; re in concilium deductâ datur commeatus; legati ad hæc vrbem ſu-

L'Iſle-maiſō.

Initum de deditione conſilium.

Rohanæi litteræ. bire, redditísque à Rohanæo litteris, de fide Insulædomui habendâ constat, qui Rohanæi animum rogatus depromere, adiecit; huc se à Rohanæo missum, habendis primùm Montalbanensi populo gratijs, quòd nihil nisi se consulto ad ea vsque tempora gesserint, monendis dehinc de statu in quem fortuna militiam suam deduxit, amissum nuper ad Fauchium exercitus sui florẽ, quíque prælio etiamnùm superstites forent, sacramento in fidem Regi adactos ad certum tempus; vix residuas sibi cohortes V. vbi nec hominum quatuor millia, nec arma ex æquo. tentata à se mittendo obsessis subsidio extrema; at irritum fuisse conatum, Tarno ad Regiorum continuas stationes imperuio: superesse id vnum, vt iustis conditionibus victoris legem subeant, duram esse legem quam imponit necessitas, *Obsessos habet stupor.* cedendum tamen. Ad hæc stupere oppidani, animóque defixi, in dubium trahere quæ audierant, aut non eam esse Rohanæi sententiam, quam ad Regij Oratoris præsentiam, non audeat Insuladomus depromere, aut deceptum falsâ de vrbis statu relatione Rohanęum. agnoscendæ rei vocatur in secretum ille, intercedit Desplanus Orator Regius, ferendam negans hanc subditorum à Rege suo diffidentiam; exhinc oppidanorum coïre concilium, conueniréque omnium calculis non habendam Insulædomui fidem, donec oppidanis apertiùs Rohanæi animus *Re infecta hinc inde discessum.* pateat; petendum in eam rem à Rege commeatum, mittendo scilicet ad Rohanæum Oratori, qui oppidanis eius animum, præsentémque militiæ statum certò referat: atenim negato certis de causis à Rege

commeatu, nihil hinc inde actum.

Quæ sequitur Septemb. XXIII. hosti quidem funesta fuit, desideratis Sectariorum aut captis D. nec ideò minùs infesta Regijs non nisi in speciem victoribus. expeditionem paulò altiùs repetamus.

CAPVT VII.

EPITOME.

Obsessi, vigiliis assiduóque labore fracti subsidiariam cohortem expetunt. triplex legionariis Montalbanum iter patebat. Robanaus in Labruguieram obsidionem simulat. de subsidii transitu monitus Engolismensis stationes nouo delectu supplet. fanum Antonini Bellifortius subit. transuadato flumine in quadra agmina acies ordinat. Pennauairio duce cohors Gresiniam subit. incutitur timor ingens cohorti. sacramento in viam adactus miles. variæ ea de re Regiorum sententiæ. decepti communicatâ hostibus tesserâ Heluetii. primum agmen sinè prælio vrbem ingreditur, in secundum acriter pugnatum. tertium ab Aguienno postera die capitur. accusatur Luyneus. signa hostium capta. irritum hostem inter & Theminium colloquium. dissidium in vrbe. Regiorum cuniculus ab hoste aperitur.

Debilitati hostes cohortem subsidiariam in dies expectabant.



EGIORVM assiduus labor, eò rerum summam deduxerat, vt obsessi citra præsidiariæ cohortis spem vnã, desperatâ salute languerent; cæsis à diutinâ iam obsidione plerisque, pluribus sauciatis, debilitatis labore & æstu qui superabant, vt vel ferendis armis impares forent, res in extremum illis discrimen venerat: cùm Rohanæus ratus (vt res erat) Sectæ salutem in Montalbano sitam, Bellifortium (cui ex militari audaciâ non iniuria id naturâ inditum nominis) iubet calcatis hostibus rectà Montalbanum ire. triplex iter patebat. Inter Albam Augustam, & Insulam Albigensium Catholicas vrbes, vadus erat, nec procul hinc portus, ad quem apertâ dehinc planitie, transmeari poterat Tarnus; id primum iter, arduum illud circumstantéq, hincinde phalãge Regiâ, legionario periculosum. Ad sinistrâ Castro Albigẽsium in plano erat Reuello Sectariâ vrbe, Carmanium via; Carmanio Montalbanum, non nisi mediâ Tolosâ, transmeando scilicet Tarno ad Villæ-Borboniæ pontem, eò tutiore itinere, quò impręuisum erat, id secundum. A dextrâ, non procul assurgebant montes, non nisi legionarijs peruij, hàc in aduersam planitiem cohors deuoluta, fanum Antonini non ægrè subitura sperabatur, placuit tentari eâ parte fortunam.

Beaufort.

Triplex Castro Montalbanum iter.

Albi. L'Isle.

Reuel. Carmã.

Nihil ad iussa moratus Bellifortius, Castro Lombersium pergit; intereà Rohançus auertendæ à Tarno procul Engolismensis phalangi, in Labruguieram obsidionem simulat, educuntur Castro tormenta bellica, obsidionísque in promptu appara-

Rohanæus obsidionem simulat.

Lõbers. Labruguiere.

tus, cùm Bellifortij cohors à præfecto Lombersiæ arcis, quæ vrbi supereminens à Rege stabat, detegitur. Nec morâ, tormenti ab arce iteratâ displosione, monetur Engolismensis, cuius non hinc procul statio erat, monitus, in armis ad ripam Tarni esse iubet alarios, stationésque nouo delectu supplet: atenim Bellifortius, qui non nisi nocte appetente se commiserat viæ, superatis nocte intempestâ per varios anfractus periculis, ad primum diei crepusculum, Corduam Catholicum pagum ad Tarni ripam venit, non alibi facilius vadum; Regiorum statio leuis in fugam agitur, interiectóque trium horarum tempore, quo Regij interim adesse potuerant, vlteriori ripæ sistitur cohors, non nisi legionariorum duobus aut tribus ad fluctus aduersos desideratis; trans flumen Bellifortius agmen in quadra distribuit, militaríque gressu explicatis signis, tympanísque sonantibus fanum Antonini ad vesperam venit, ieiuno adhuc post XXIV. horas milite: quamquam sunt quibus placeat traiectitiam cuilibet militi annonam Lombersij procuratam, panem viritim, quem munitionarium vocant, medio fune tormentario in fasciæ modum, ad latus pendulum.

De subsidii transitu monitus Engolismẽsis.

Stationes nouo delectu supplet.

Cordes.

Fanũ Antonini Bellifortius subit.

Trans Tarnum patebat hinc inde planities lata, ad quam vel leuissimus L. equitum ordo, cohortem mille & ducentorum hominum ad internecionem deleuerat. Nihil metu solutus Bellifortius, quamquam amnem iam transuadarat, in duas turmas aciem diuidit, creditóq; sibi extremo cornu vtpote quà imminebat periculum, Rossilierum à frõte primo agmini præficit, à dextrâ progredi in armis

Trans̃ flumen acies ordinat.

Rosselicre.

iubet Brunæum magnum cohortis primipilum, Boyerij centurias nuperæ ad Fauchium cladi superstites ductantem. Bruneau.

Pennauairio ductante cohors Gresiniam subit. Posterà die inclinato in occasum sole, iussa progredi subsidiaria cohors, Pennauairio ductãte Gresiniam subit, ibi exactâ nocte, crastinóque ad vesperam, viæ denuò salus committitur; longus hîc ducis imperitiâ error; iámque Bellegardam die appetente ad tertium ab vrbe milliare ventum, cùm regredi iterum ad noctem vsque placuit, faciliore scilicet inter obscura accessu, minúsque periculoso. Hæc inter, ad rarescentes vmbras detecti X. nõ procul equites, vsqueadeò subsidiarijs timorem incutiunt, vt turbatis illicò ordinibus, dilapsóque hinc inde milite, vix Bellifortio præfecti astiterint IV. donec agnitum non alios esse Cataphractos, quàm præfectorum ipsiusmet cohortis pedisequos, quos procul à cohorte egerat diutinus error, dominorum equis subuectos: atenim deficiente in sylua commeatu (iam enim X L. horas ieiuni exegerant) fanum Antonini regredi placuit; hîc dubius inter spẽ, metúmque miles hæsitare, hærere quippe inglorium, regredi turpe & periculosum, progredi exitiale videbatur; cùm Bellifortius habitâ districtè concione, sacramento in viam adactos iubet vrbe absistere, rogátque municipes, si pari iterum ignauiâ regredi legionem contingeret, pelleretur ab aditu procul. Pennauaire. *Incutitur timor ingens cohorti à suismet.* *Sacramẽto in viã adigitur miles.*

Varia Regiorum sententiæ. Quia Montalbani salus vna in subsidio posita erat, statim à legionis transitu monitus Rex, in militare concilium rem districtè refert; in duas hîc sen-

tentias

tentias itum; ſtabat potior ab ijs ratio, qui eundum hoſti obuiàm cenſebant phalange expeditâ; at prę-ualuit eorum opinio cuius Leſdiguerius auctor, quibus duci foſſam placebat, quà hoſti iter; commiſsâ Eſtiſſac Heluetijs, Eſtiſſacíque cohorti ſtatione: cauatis ergò ad primum ab vrbe lapidem foſſis, exſtructíſque firmandæ ſtationi clauſtris, operiebantur Heluetij hoſtem; cùm ille Albiaſium inter & Nigrāpeliſſam transuadato Auarione, per obſcura noctis, in leuem equitum ſtationem incautus incidit; at non alio quàm ſclopetorum niſu in fugam abripitur eques; Baſſompetrus, alariorum turmâ à tergo inſtare; cæſis hinc pleriſq;, pluribus illinc vulneratis nullo prælio ſubſidiarij vltrà pergere, inulti cadere quos à tergo Regij feriebant; à fronte, ſibi viam per foſſas, per valla armis ſternere, aduerſæ Heluetiorum cohorti (vbi detectâ proditio) obluctari: communicata etenim hoſti per nefas teſſera Heluetios diu decepit, vt primum agmen elabi in vrbem permiſerint, rati cohortem regiam, quæ ſtationem eâ parte ſubiret. Secundum agmen ductabat Roſſelierus, Paſcaletus & Pennauairius tertium. hîc prælium acre: quippe Heluetij fraude agnitâ, clamore ingenti, diſtrictis acinacibus irruere; Roſſelierus à dextrâ viam moliri per clauſtra; Bellifortius qui iam primo agmine vrbem ſubierat, deſignandæ ſuis quà facilior tranſitus vię, regredi, ſeu militis amore, ſeu prælij æſtu. atenim vbi errantibus meme adſum Bellifortius, clamitat, duplici vulnere ſauciatus ab alarijs capitur. Intereà oppidani accenſis ad pinnas lucernis, errantibus vrbem indicabant, tympaníſque ad

Commiſsũ Heluetiis, Eſtiſſacóq; propulsãdi ſubſidii munus.

Albias. Negrepeliſſe. Lauairon.

Baſſompierre.

Primum agmen ferè illaſum vrbẽ ingreditur.

Roſſeliere. Paſcalet. Pennauaire.

Manus cũ ſecundo cõmittitur.

Accenſæ ab obſeſſis ad pinnas faces.

Pulsatæ campanæ. munimenta, tubis, & campanis indesinenter pulsantibus accendebant ad prælium; atenim pars viæ ignara præcipiti cursu in profundiores agi fossas, pars in claustra munitósque incidere aggeres, pars suggressa feliciùs in vrbem elabi, tentatáque nunquam nisi in obsistentes pugnâ, Regios magnâ ex parte intactos præterire.

In tria agmina diuiserat Bellifortius cohortem M. & C C. legionariorum; primum agmen proditione prædictâ, nullo in vrbem prælio euasit: secundum partim viam sibi ferro aperuit, partim intercidit: tertium quod C C C. circa militibus constabat Pēnauairio duce, ab vrbe prohibitum Gresiniam syluā appetente luce subibat, cùm ab alarijs Regiorū, quos Comes Aguiēnus ductabat, in vincula acti omnes, Tolosam in Sectæ ludibrium missi sunt, vnde post afflatos diu pestilenti halitu carceres, vt sententiam iudicum, reorum mors inopina præuerteret peste luctuosâ cadentium, Burdigalam secundo Garumnâ ad triremes, quæ tunc Rupellam circumstabant mittuntur: atenim Oceano perduellionis vltionem Garumna inuidens, actas in scopulos cymbas absorbet, vt ne vnum quidem caput euaserit. quod infrà.

Primum agmen ingressum. *Secundum magna ex parte cæsū.* *Tertium in vincula actum.* *Aguien*

Infortunio inopino aquis absorpti.

Iacturam hîc hostium memorant D C. hominum fuisse, ducentos circa cæsos, reliquos actos in vincula, vrbem ingressos D C. plerisque sauciatis, vnde non leue obsessis præsidium.

Iactura hostium simul & victoria.

Memini iactatos ad ea tempora in moderatores concilij militaris ab ijs questus, quibus res innotuerat. Infelix Luynæus, qui seu simplicitate plusquàm

Accusatur eâ de re Luynaus.

puerili,seu innatâ sibi rei militaris imperitiâ decipi se ab hoste passus illusoriam hîc præstitit Regis auctoritatem. Oppidanorum illi plerique mentiebantur fidem, vt in spem quotidie Montalbanum expugnaretur; habebatur præ alijs in vrbe potens aliquis, Forcæus ille, nécne, mihi nondum constitit, qui sæpius à Comestabili literis compellatus, optatam à se quidem responderat vrbis deditionem, & procuratam pro tenui facultate; at irritum fuisse conatum præualente Rebellium factione, neque sibi ad manum esse milites, quibus aut portam occupet intromittendis Regijs, aut seditione in vrbe valentiùs excitatâ, viam expugnantibus facilem sternat; si dabitur subsidiaria cohors, non dilaturum se vrbis deditionem, aut si dedi nequit, positurum in plano expugnationem. Habitâ Comestabilis fide, alarijs ad Tarnũ pugnã inhibuisse, Bellifortioq; aperuisse vrbem circumferebatur, quod ab Elbeno detectum memorât, qui desertæ ad Tarnum stationis, datíque hostibus transitus postulatus, codicillos in medium produxit, quibus hosti commeatum dare iubebatur. At incertum illud, mihíque non alio auctore datum, quàm tacito tunc rumore.

Deceptus ingentiosa fraude.

D'Elbene.

Signa hostium capta V I. quorum primarium hocam inscriptionem præferebat VI VIA FIT. Bellifortius, Pennauairiúsq; capti, quique temeritatis pœnas non nisi capite luisse debuerant, mansuetè habiti, præter spem omnium, illi castris pro carcere datis, hoc Tolosam misso, vnde pactâ ad annum sequentem pace saluus dimittetur.

Signa hostium capta
Mansuetè cum Bellifortio à Rege actum.

Ad Kalen. Octobr. inito Theminium inter &

hostem colloquio multa ille de Regis clementiâ, pleraque hic de diffidentiâ quam se iustè concepisse aiebat: irritísque viri olim Montalbano amici precibus & minis, iussis absistere Oratoribus indesinẽti displosione actum. Eâ die vallis in hostium fossam inductis, propugnaculo, quod à læuâ Borboniæ portæ assurgebat, succedunt Regij, stationémque in fossâ solido aggere firmant, vt propûgnaculum manu ipsâ contingerent.

Irritum, hostem inter & Theminium colloquium.

Ortum Brunæum inter, & Rosselierum super subsidiariæ cohortis præfecturâ, capto Bellifortio, dissidium; Rosseliero scilicet præfecto primę centuriæ, Brunæo eiusdem cohortis maiore primipilo vtroque sibi primariam dignitatem vindicante, ita compositum est; vt Brunęo primipili in vrbe maioris (prælij primipilum vocãt) munus quod ab Adonis secessu vacuum adhuc erat, Rosseliero præfectura cohortis obtigerit: atque ita satisfactum vtrique; indecisâ quæstione, cuius etiam ijs, qui quotidie militiam tractant, difficilis decisio videatur.

Dissidium Brunæum inter & Rosselierum vnde ortũ.

Rosseliere premier Capit. Bruneau Sergent Major du Regiment.

VII. eiusdem mensis productus in vrbem à Regijs plus æquo cuniculus, ab hoste qui vallum ducebat incautus, aperitur; cunicularij illicò in fugam abripi, hastati Regiorum (quamquam angustum foramen erat) cum præsidiarijs manum conferere; at leuior ea pugna fuit, quâ nec hostem hostis videbat, nec vtrimque irruere poterant.

Productus in vrbem cuniculus ab incauto hoste aperitur.

CAPVT VIII.

EPITOME.

Eruptionem in Borbonia castra hostis meditatur. præscriptus à Forçeo eruptioni ordo. Barrautii cohors negligenter ad valla excubat. erumpente Sauiniaco manus conseritur. fugantur vigiles. Carmanius restaurat pugnam. in fugam agitur hostis. magnum hinc inde dispendium. Franconi virtus. Carmanius sauciatus. hostium Riparianus plumbo traiectus. stratagema non illepidum. oppugnatio à Regiis vniuersa. Chamierius magno oppidanorum luctu occiditur. irritum Comestabilis, & Robanæi colloquium. Proconsules in vrbe in subsidium Consulum creati. Mombrunus in Delphinatu Sectarios armat. captus Lasusæus Comes. fanum Fidei, & Monhurtium rebellant. à Sauiniaco trucidatur Boësfius. accusatos filium eius & generum. quare. Rex à funere dolet.

AVII. Octobr. ad XI. nihil memorabile vtrimque actum, solitóque displosio lentior: XI. tandem Forcæus nouæ cohortis subsidio auctus, non antè tentatam in Borbonia castra eruptionem indicit: quippe Regijs muro succedentibus, nî disiectis citò aggeribus, & claustris repellerentur, imminebat Borboniæ arci fatale periculum. eruptionis hic fuit ordo. *Eruptionē in castra Borbonia meditatur Forcæus.*

Iubetur maior vrbis primipilus ex qualibet cen-

turiâ legionariorum VI. habere delectum, duorum hastatorum, IV. sclopetariorum, quo habito CC. LXX. milites mediæ plateæ sistuntur. lecti Pascaletus, & Pratæus qui eruptioni eâ lege præessent, vt primùm Regiorum ad fossam stationi subderetur ignis, aggerésque & claustra disturbarentur; dum Sauiniacus vir audax C. & L. militibus ab hemicyclo in valla, machinásque murales penetraret. Sauiniacum Durfortius cohortis Orualli primipilus maior sustinebat; stabat ad munimenta tubâ prælio legem daturus Forcæus.

Eruptioni præscribitur ordo.

Pascalet. Dupred

Sauiniac Durfor

Præscripto in eam formam ordine, iubetur delecta manus pontem ab vrbe in Borboniam arcem transmissura, ignitos scloporum funes extinguere, ne ab igne Regij vigiles in eruptionis suspicionem venirent. Ex aduerso, nondum orto crepusculo Barrautij cohors, quæ ad excubias noctem exegerat, labore eneruis, vigiliísque fracta, pars laxatis in somnum membris altâ quiete decumbebãt, pars appetente iam iam luce, solutis excubijs deseruerant valla, cùm, tympanis Regiorum, Dianam quod aiunt, summo manè pulsantibus, Sauiniacus circumire, hortari sua quisque munia obirent, sclopetísque non in falsum displosis progrederentur intrepidi. Nec mora, præsidiarij cateruis decurrere in valla Regiorum; vbi defecerant sclopi, nunc manualia saxa, præustas modò sudes, obiectáque fortuitò ligna iacere, nunc claustrorum trabes manu prensare, auellere, & in renitentes cominùs niti. Regij contrà (quamquam incautos deprehenderat hostis) depellere obuios, deturbare vmbonibus, congestas la-

Barrautii cohors ad Regiorum valla excubans.

Erumpit hostis.

Manus conseritur.

pidum moles tueri, nox alijs in audaciam, alijs ad formidinẽ opportuna, incerti ictus, vulnera improuisa, suorum atque oppugnantiũ ignoratio: at crebrescente numero hostium, rariores Regiorum excubiæ cedunt; iam nullo obice valla, imò & machinas murales possidebat Sauiniacus victor, cùm Comes Carmanius vir strenuus, neque animi magnitudine indignus, qui à magno olim Monlucio originem ducat, arreptâ tumultuariò hastâ in hostem abripitur, sequuntur præuium Ornanus à Sancta Cruce, Franconus, Vice-comes Bosquius, Benquesius præfectique cohortium, coëunt legionarij, primorúmque exemplo manum strenuè cõserunt.

Fugatur Barrautii cohors.

Le Cõte de Carmã. Mõluc.

Carmanius restaurat prælium.

Ornano Francõ. delbosc Benque

Sequitur Franconus & alii.

A tergo interim Pascaletus & Pratæus, progresso vlteriùs Sauiniaco minoris modi tormentum in fossam trahunt, machinásque murales clauis corrumpere tentant conatu irrito; dum enim se operi accingunt, Regij auxiliares, qui clamore turbido, præcipitíque occursu Sauiniacum viæ incertum agebant in fugam, renouato hîc acriùs prælio sternunt obuios, fugientésque ad ipsa hemicycli munimenta insectantur.

Fugatur hostis.

Obsessorum eo prælio XXX. desideratos memorant, quos inter Petroboscus centuriæ præfectus, popularibúsque studijs magnæ in vrbe auctoritatis. Regiorum iactura maior: quippe suprà legionarios centum, occubuere Vice-comes Bosquius, Marescalli Theminij ex sorore nepos, Franconúsque cohortis præfectus, quorum ille in primo adolescentiæ flore magnæ spei adolescens, hic animo præ ceteris commendabilis & pietate, quod in ex-

Iactura hinc inde.

Peire-bosc.

Desiderati Bosquius & Franconus.

tremis prodidit; lethali enim ad pectus glande traiectus, statim à vulnere deficientibus cum viribus, sacrum in tabernaculo quod moriturus subierat, celebrari iubet, Eucharistiæque sacramento munitus, nihil mortem eluctatus placidè in momento expirat, vir magnæ apud Aquitanos auctoritatis.

Carmanius duplici vulnere saucius.

Comes Carmanius duplici vulnere sauciatus magnum virtutis specimen edidit; quippe post retrusum in munimina hostem, fossam, aggeres, claustráque Regiorum muris adiacentia recipit magnâ laude; dignus sanè cuius memoriæ lauros appendat posteritas, eius tamen virtutem heroïcam adeò fortuna æmulatur aut inuidet, vt à Regiâ procul, vbi non nisi fortunæ litatur, secessum apud suos quærens ambitionem cogatur exuere. Carmain.

Laudatur eius virtus

Die III. collimatis in Mommiratum tormentis X. magnâ contentione disploditur, póstque ruinâ hexapodum X. apertam, oppugnatio parabatur, cùm à præmisso exploratore relatum, immensâ densitate murum ad IV. à ruinâ passus assurgere, nisúque non nisi irrito redintegrari eâ parte verberationem.

Riparianus glande traiicitur.

Inter hæc Riparianus, dum à muniminibus caput exerit, ab exploratore Regio glande ad caput traijcitur, vir magnæ apud obsessos auctoritatis; quíque Reyniesio paulò antè, ad Monasterij propugnationem successerat, Vignolium Bourfranci nepotem successorem habet. Vignoles.

Obsessorum strategema.

Die XIV. prouectâ iā nocte Vignaucius Borboniæ arcis præfectus, terrendis Regiorum excubijs equo fame languido longiorem ad collū baculū aptat, colligatis ordine certo ignitis funibus, vt secundum

dum tenebras è lóginquo primũ erupturi hostis agmẽ videretur. Ad arma illicò in castris clamari, suppleri nouo delectu excubias, accendi ad prælium milites, equus fame tabescẽs nõ procul à vallis hærere defectus viribus, Regij vltrò prælium ausi quò scintillabat ignis displodere, donec acto in terram equo, credidere metu dilapsum hostem.

Postridiè indici placuit vniuersam ad Mommiratum, Borboniam arcem, & Monasterium oppugnationem: vnde, dubio procul certa expugnatio sperari poterat, nî proditoriè à Sectarijs, qui Regem circumstabant monitus hostis: ille Regij consilij conscius, præfectis ad metationes munia distribuere, hortari milites, præcisoria à primis muniminibus valla ducere, in effugium; cùm eodem ferè tempore, quamquam disparibus militum alacritate, & animo, euaporati cuniculi tres ruinam edunt; in Mommiratum prætoriana cohors irrumpit, pósttque diutinam pugnam leuiori hinc inde iacturâ munitionem doliarem expugnat, loco displosioni percommodo. Accendebat præsentia Regis legionarios, donec glande non longè ab eo traiectus miles primores adegit, quà precibus, quà vi amicâ procul hinc periculo imminenti Regium caput eximerent.

Indicitur ad tres metationes in vniuersum oppugnatio.

Monetur proditoriè hostis.

Rex non procul spectabat pugnam.

In Borboniam arcem, propugnaculúmque Palliassij ad Monasterium minore contentione dimicatum, quamquam ibi à cuniculo, hîc à recenti tormentorum displosione ex æquo ruina patebat: etenim oppugnatione præuisâ hostis, ita militum stationes diuiserat, vt quòcumque Regij ferrum verterent, adesset in armis præsidiaria manus, cui quò res

Pallias.

cumque caderet, cauatis opere interno fossis, non procul à ruinâ, effugium in tuto patebat. Tormentariâ pilâ ad Palliasseum propugnaculum, Minister Chamierius occubuit, vir apud Sectarios vanâ eruditionis opinione clarus, cuíque Montalbanensis populus iamdiu summam rerum crediderat, concionem ipsamet die dimiserat, patheticè peroratus in hæc verba, NON INGREDIENTVR, quæ demissâ primùm voce, dehinc clariore, postmodùm intensissimâ, magnâ populi acclamatione pronuntiarat: thorace ferreo tectus, hastáque ad manum cecidit, quíque vnus Rebellionis in Galliâ auctor dici poterat, in Rebellione perduellem animam posuit.

Chamierius Minister tormẽtaria pila occumbit.

Cha. mier.

Suprà diximus à Comestabili indictum Villamurij, Duci Rohanæo colloquium; quippe commeantibus vtrimque nuntijs nihil in summâ pacis proficiebatur; atenim mutato certis de causis loco, Reynesium tertio à Montalbano milliari circa id temporis conuenêre. Multa hinc inde proposita; Rohanæus, firmam tota Gallia pacem, Comestabilis præter debitam Regi obedientiam proponebat nihil, paratum Regem vt parceret; attamen firmandæ in posterum oppidanorum fidei, quę identidem vacillabat, arcem in vrbe designari, magè in ciuium salutem, quàm in libertatis excidium. Rohanæus seu potestatis in Montalbanenses diffidentiâ, seu iniustis ex animo conditionibus, re infectâ Castrum Albigensium redit.

Comestabilis & Rohanæi colloquium irritum.

Villemur.

Reyniés

Ad XXIX. Octobr. nocte concubiâ in Ioinuillij castra erumpunt obsessi, præfectis Ameto Forcai filio, & Santorsio; numquam maiore hinc

Erumpens hostis.

Amet. Sainct. Torse

inde contentione dimicatum. Sternuntur primi vigiles, vaſáque tormentorum viminea diu ab hoſte occupantur; donec appetente luce Regij, ad nouum delectum redintegratâ audaciâ, retrudunt niſu valentiore hoſtem. Pręſidiariorum Peirilius adoleſcęns glande cadit; nec procul hinc Peirilius pater, filio in extremis adfuturus aduolat, illum item transfodit plumbus, vt morienti filio moriturus pater incubuerit, ad nuntium præceps accurrere, qui ſuperabat è familiâ vnus Peirilius, dúmque fratri, parentíque prouoluitur nō diſpari fato inter vtrumque medius cadere. Quia huc vſque obſeſſi Conſulum auctoritati crediderant vrbem: imparibus oneri IV. imò & magnâ ex parte ægris, placuit Proconſules totidem ad munia illis publica adeſſe, Conſtantium, Burgadeſium, Roqueſium, & Reſtæum.

Peirille. — *Cū Peirilio patre pereunt filii duo.* — Cōſtās. Burgades. Roques Reſte. — *Proconſules in vrbe creati.*

Pridie Kal. Nouembr. parato in Mommirati cornu cuniculo, prætoriana cohors in armis præſto eſſe iubetur: quia tamen ab exploratore relatum fuerat procul inde abeſſe præſidiarios; ne cuniculi innoxia illis euaporatio foret, placitum ad extima cornu munimenta, præmitti gregarium, qui amico in ſpeciem dono, racemos obtulit, adeſſe illicò magnâ frequentiâ ſtationarij, vt ſubdito igne euaporatus cuniculus ruinâ pleroſque obruerit, quos inter Imbertus præfectus, Masgrenierus, Bardonúſque viri primarij.

Hoſtes Regiorum dono decepti. — Imbert. Masgrenier Bardon

Per idem tempus, Sectarios in Delphinatu Mombrunus ad arma concitabat, tacitáque factione Gratianopolim intercepturus, Laſuſæum Comitem operiebatur: nec diu cùm Laſuſæus turmam alario-

Mombrun. Laſuſe. Grenoble. — *Mombrunus in Delphinatu Sectarios concitat.*

rum expeditam Mombruni copijs auxiliarem in Delphinatum ducit; inualescit proximè adfuturi subsidij rumor, armantur rustici, locorúmque haud inexpertes, insidias rupes inter & saxa struunt: locus erat arctiore ad circumiectos montes semitâ, saxis confragosus, ideóque alarijs non nisi ægrè peruius: ibi rusticorum insidijs interceptus Comes aut mori iubetur, aut sistere. ille in fugam abripi, póstque lõgiores anfractus, viarum ignarus, quia in gyrum vertebatur semita, in easdem insidias recidere, vbi mori iterum iussus, aut sistere, in vincula cùm Vicecomite Machautio actus, Gratianopolis Parlamento sistitur. Monitus intereà de Mombruni proditione Rex, Lesdiguerio iubet codicillis generi audaciam morari, si à suspicione criminis, quod in eum iactabat populus, immunis esse vellet: succensuit ille temeritati, scripto irrito; donec post solutam Montalbani obsidionem, pacatis præsentiâ suâ dissidijs, innoxium se à Mombruni Rebellione prodidit. at hæc postmodùm suo loco.

Capitur à rusticis Comes Lasusaus.

Machaut. Grenoble.

Ad Mombrunum Lesdiguerius scribit.

Suprà memorauimus Boëssium Pardallianum, virum omni virtute præditum, nisi quòd erat Caluinista, Monhurtium, fanúmq; Fidei in Regiam retraxisse ditionem. Rex in gratiam facti, præfecturam illi vrbium saluis munimentis concesserat: atenim maioribus heros experientiâ & animo, quàm vt magnis expeditionibus distento Regi non adesset; Mirambello filio Monhurtij, Theobono genero fani Fidei præfecturas paulò antè crediderat. Illi vbi Montalbani obsidionem in peius Regi vertere audiunt, perniciosè à Comitijs suasi rebellare in-

Fanũ Fidei & Mõhurtium rebellant.

consulto Boëssio, præcipitíque Octobri hostilitatem in Regios omnimodam exercere. Iussus malo medelam adhibere Boëssius, citatis equis Monhurtium, venit vbi (quâ pollebat auctoritate) vná sui præsentiâ consternatis Rebellibus, non ægrè restaurat debitam Regi fidem: imò, quod mirum cuilibet videatur, præsidiarij perduelles, quos ex circumiecto agro ad prædam, tutelámque vrbis acciuerat Marchio Mirambellus, vbi adesse Boëssium audiût, laxâ se ab vrbe proripere fugâ, arctioribúsque ad frequentiam fugientium portis, se in fossam à muris præcipites agere; adeò verum est, domandis hostibus, præualere interdum legionibus integris vel vnius capitis famam.

Missus Boëssius.

Rebellionē vna sui præsentia dissipat.

Sopitis eâ parte dissidijs, vrbéque nouâ præsidiariorum statione in Regis obsequio firmatâ, Gensacum pergit, vrbecula erat Castro non inualido, quæ Monhurtium inter, fanúmque Fidei media, fidem cum illis deposuerat: admissus, nemine palàm obsistere auso, præsidiarios Rebelles absistere iubet, locíque pedaneo iudice, & Nausio viris non contemnendæ in vrbe auctoritatis accitis, fidem Regi debitam placidâ insinuabat oratione, modúmque conseruandæ dehinc vrbis proponebat, cùm Sauiniacus Ainessæus, vir ad omne flagitium natus, XL. sclopetarijs Boëssij cameram subit, ille amicos ratus, primùm comiter salutare, dehinc agnitâ ad silentium altius proditione, accurrere ad sclopum, adesse illi Sacerdos ex familiâ, sclopo ad manum: Sauiniacus Iudici, Nausióque, qui Boëssium etiam tum circumstabant iubere absisterent, displodere

...nsac. *Nau-* *...i- ...e ...i- ...se.*

A Sauiniaco occiditur

Sacerdos cum eo cadit.

exin X L. in momento ſicarij, cadere inultus heros, plusquàm X X X. vulneribus: Sacerdos quem inſimul morti addixerant, diutino niſu eluctatus mortem, cæſis gladiatorum duobus, numero cedit, cadítque Rebellioni victima.

Multi Boeſſij necem parricidium dixere.

Non defuere ad ea tempora, qui Boëſſij necem parricidium dicerent, reis ſcilicet Marchione Mirambello filio, & Theobono genero; illo reſtituendæ Monhurtij, hoc conſeruandæ apud fanum Fidei Rebellionis: quod ſi ita habet, pereant vltoribus ferro & flammâ, qui probiſſimum, inuictíque animi virum, qui patrem proditoriè trucidarunt; ſi ferrum & flamma deſunt, diſpereant vltrice conſcientiâ ferro & flammâ internis, quos væſana prędæ, imperandíque libido fecit parricidas: quamquam non ità de parricidio conſtitit, vt non aliâ cauſæ cognitione condemnari hîc debeant, vix aliâ in eos probatione, quàm recentis in Boëſſium odij, præſtitíque ſicarijs ad fanum Fidei, Monhurtiíque aſyli; capta exhinc in Regem apertiùs arma.

Non apud omnes ea de re conuenit.

Rex ad nũtium vehementer dolet.

Vix dici poteſt, quàm fuerit Regi ingrata viri bello perutilis, magníque momenti cædes, cui debitam primam Aquitanicarum vrbium obedientiam nemo ambigebat; quamquam eò tunc infortunij Galliam deduxerat belli atrocitas, vt cadentibus in dies magnis viris, renouando toties ad noua funera dolori impares animi callum malis obducerent, vnde deſideratis interdum primoribus vix in exſequiarũ ſuprema rependebãtur gemitus. Redeamus ad Regem, cuius virtutem ad Montalbani obſidionem perfida ſuorum eludit induſtria.

CAPVT IX.

EPITOME.

Mommorancius à Galliâ Narbonensi tribus hominum millibus adest. magno vitæ periculo ægro, dilabuntur vniuersæ eius acies. militaris morbus in castris pestilens. sparsus à milite in Luynæum rumor effugio causam dat. luctuosus legionariorum status. ab imbre noua pestis. ægri milites Tolosam inuecti. immensa matronarum caritas. decem oppidanorum millia Tolosæ militari morbo cadunt. togati arctioris Regis consilij eâ peste malè affecti. erumpit in castra Ioinuillij hostis magnâ hinc inde iacturâ. irritum de deditione colloquium. rarescit in dies ad morbos, militúmque fugam exercitus. soluitur obsidio. quare. in Luynæum postulatio. eius ad Modenæum litteræ apologeticæ.

Languedoc

PER idem tempus Mommorancius Galliæ Narbonensis copias, quæ tribus circiter legionariorum millibus constabant, ad Regis imperium in Montalbanum ducit, præfectis Comite Riuensi, Marchione Portesio, Barone Roqueto, Mossolensio, Fabreguesióque; data illi ad portam sancti Antonij metatio. Nec diu cùm morbo militari correptus, Rapistagnum Albigensium vrbem inuehitur; vbi magno vitæ periculo diutiùs ægro imperatore, Narbonensis miles sensim dila-

Mommorãcius tria hominum millia in Regias acies inducit.

Rieux. Portes. Laroquete. Moussolens. Fabregues. Rabasteus.

Magno vitæ periculo ægrotat.

bitur, vt paucis postmodùm diebus, ne quidem vnus à fuga superstes remanserit. Marchionum Villaregij & Annonæensis cohortes, exercitui statim adscriptæ, subsidio vtcumque fuere afflictis: atenim præsidium leue vbi XV. adhuc peditum millia in iustam obsidionem deerant.

Dilapsi ad vnum milites.

Ville-roy. Anno-nay.

Dilapsi milites signa in dies deserebant, seu deficiente illos stipendio, eorum scilicet perfidiâ, qui tractabant ærarium; seu militari morbo, qui adeò grassabatur, vt à Rege (quam vni Deo gratiam Gallia debet) vix aliquis ab ea peste immunis euaserit. Accedebat tacitus apud legionarios rumor, primores inter de pace conuentum, fictitiáque esse quæcumque in obsidione gererentur; fidos Regi milites vni Luynæo victimas cadere, cuius ita ingenium est, vt innatâ ad iniustam potentiam diffidentiâ, ex Villamurio, Montalbano, agróque hinc inde circumiacente Ducatum sibi destinet, ad Montalbanum primariam vrbem struendâ arce: his addita pleraque infortunia, quibus metationum imperatores ad præcocem victoriæ auiditatem, indebito tempore munimenta oppugnantes, tot militum, tot nobilium capitibus hosti luctuosè litauerant. Ad hæc mœsti manipuli, vicem commilitonum miserantes, ne lacrymis quidem temperabant, decesserat ambitio gloriæ felicium hominum vulgò affectus, vna misericordia præualebat.

Militaris morbus grassatur.

Sparsus in Luynæum rumor.

Deplorabilis militum status.

Postridie Kal. Nouemb. tantâ imbrium copiâ afflictas Regiorum excubias memorant, vt ad valla, vbi miles excubare cogebatur, restagnantes aquæ, nouam aëri pestilentiam adiecerint, quâ miserè cadens

Ex imbre noua in milites pestis.

dens exercitus in dies rareſcebat, eâ ergò peſte afflictis aciebus, ſubuehendis Toloſam ægris currus procurantur, vbi eâ matronarum caritate exceptos memini, quæ fidem omnem ſuperet, glorioſâ ſæpius inter eas æmulatione, quæ plures priuatim ægros aleret, impenſis proprijs (ipſis etenim ægris, quod inauditum, aberant ſtipendia) at, quod Toloſatibus mali extremum fuit, arctioribus noſocomijs, quàm vt vel centeſimam ægrorum partem caperent, oppidanorum illis diſtribuuntur ędes, quod adeò vrbi lethale fuit, vt militari morbo graſſante in ipſa oppidanorum capita, decem millia eâ peſte perierint. Ioüſa Comes à Magno Prato, eâ febre, quam medici exanthema vocant, vulgus purpuram, extinctus, magnum Regi ſui deſiderium reliquit, ſtrenuus adoleſcens, qui Ioüſææ ſtirpis ſurculus vnus nondum exactâ ætatis olympiade quarta ſe comitem ad pericula Regi præbuerat. Toloſæ iacet, ad Diui Stephani Metropolim, columnam inter & maius parrochiæ altare; neque ab ea peſte immunes obſeſſi, quippe aut fœtore cadauerum, aut recidentibus penè in ſingulos dies excubijs adeò malè afficiebantur, vt rareſcentibus morbo peſtilenti præſidiarijs videretur ferro Regiorum vindictæ gloriam malè afflatus aër inuidere.

Matronarum Toloſanarum erga milites caritas.

Decem oppidanorum millia Toloſa militari morbo extincta.

Ioyeuſe Comte de grād pré.

Comes à magno Prato morbo excedit.

Secundùm obſidionem togati magni nominis duo eodem morbo intercidūt, Philipeauxius, quem naturâ rudem, fecerat experientia longior ſagaciſſimum, Seauxiúſque adhuc iuuenis, Regi ad publicas negotiationes à ſecretis vterq;, Status vulgò Secretarios vocant. Illi ſuffectus Aruautius fra-

Togati magni nominis pereunt.

Philipeaux.

Seaux.

ter, vir sagax magnæque in concilio Regis arctiore auctoritatis; huic Seausius ætate iam decrepitâ pater, qui nuper eâ dignitate filio cesserat. Tolosę item eodem exanthemate ad castra aëris pestilentiâ contracto excessit Faber Pibracius D. Tarabelli, in sanctiore Regis consilio Senator magni nominis, stirpísque nobilissimæ. *De Seaux.* *Pibrac. Tarabel.*

Obsessi, quorum ad Monasterium munimenta extima hemicyclúmque, Ioinuillius victor iam antè expugnarat; in consilium deducto districtè periculo, reparandam eruptione ruinam statuunt (neque enim spes aliunde salutis affulgebat) præscribitur in obliquum cuniculi modus, Iossæo datur id in crastinum muneris, habetur ex qualibet centuriâ VIII. legionariorum delectus; primum cornu Boutarico, Portusio, & Pererio præfectis committitur; Sauiniaco & Puteano procurandi in tuto regressus cura incumbit ad Tesconi ripam; Salsæo & Rosseliero erupturum è fossâ agmen obtingit. Ex aduerso Picardiæ cohors agebat excubias, firmatis ex ęquo milite stationibus, solidóque aggere munitis claustris; vt non nisi grauissimo hinc prælio pelli posset. Præcipiti nocte, dilapsi à Paliassæi propugnaculo Rebelles, Tesconi riuum ponte superant, hîc Regiorum vigiles ad prænitentis lunæ radios detecto hoste, clamare ad arma; hærere in vestigio Rebelles, Regij vocem intensiùs tollere, audaciâque militari, modo prouocare ad prælium, ignauiæ modò exprobrare moras; cùm Oruallus, timidi haud dubiè hostis id strategema ratus, cuniculo quem ad primam Regiorum

Eruptionis in castra Ioinuillii forma. *Iossé.* *Boutaric.* *Portus.* *Pereri.* *Sauiniac.* *Dupuy.* *Salsse.* *Rosseliere.* *Picardia cohors excubias agit.* *Enaporatur cuniculus.*

ſtationem produxerat, ignem ſubdi iubet; nihil moratus Boutaricus irruere, ſterni primos vigiles, manum ad vaſa viminea conſeri; numero victi Regij cedere, corrumpi tormenta, ſubijci vaſis vimineis ignem. Non procul hinc ſtationem è regione oppugnans hoſtis, magnâ vi in Teſconum retruditur, ea Regiorum felicitate, vt cùm ad quingentos hinc inde paſſus eſſet tranſuadabilis riuus, in eum ſe locum precipiti fugâ præſidiarij egerint, vbi in vorticem ſinus agebatur; quo factum, vt nullo periculi metu X L. in aquas dilapſis ne quidem vnum caput euaſerit, re ſanè portento plenâ, quando ab origine riui ad oſtium, quo Tarnum ſubit quæſito abſorbendo hoſti ſinu oportuno, ne inueniri quidem poſſit vel vnus tantâ aquarum copiâ, demiſſis ſupra modum riuuli aquis. Boutarico guttur glande traijcitur, Palleuillius præfectus haſtâ transfoſſus cadit; Portuſius X X. & V. vulneribus ſauciatur. Regiorum item magna iactura fuit, deſideratis C C. circiter; hoſtium cæſi C. quos inter Boutaricus eruptioni præfectus, nobiléſque non pauci.

In fugam actus hoſtis demergitur non ſinè portento.

Boutaric. Palleuille.

Boutaricus glāde trāsfoditur.

Deſplano procurante mota denuò deditionis quæſtio ad Rohanæum iterum reijcitur, datóque obſeſſis in eam rem à Rege commeatu, Caſtelnouanus Forcæi filius, Puteanus primus Conſul, Beraudus Miniſter, Nohaillanus, Francæus, Vignaucius, Puteanus præfectus & Roſſelierus eliguntur, qui ſaluâ libertate, reliqua Rohanæi placito ſubderent. Nocte appetente Deſplanus vrbem ſubit; at nondum ad iter accinctis Oratoribus, rogatus noctem in vrbe exigeret, viæ ſe cum illis ad crepuſ-

De deditione colloquium.

Caſtelnau. Dupuy. Beraud. Nohaillan. France. Vignaux. Dupuy. La Roſſeliere.

Miſsi ad Rohanæum Oratores.

culum commissurus; non ægrè cum hoste moratur. At irrita negotiatio fuit; Rege nisi Montalbani deditionem; Rohanæo, prædictísque Oratoribus pacem in vniuersum petentibus.

Rarescit ad morbos fugámque exercitus.

Nemo ambigebat quin obsessis virium satis suppeteret, quò instructâ cum Regijs acie dimicarent: quippe defectus stipendio miles eâ coniuratione signa deseruerat, vt vix quatuor hominum millibus Regius constaret exercitus: atenim vbi cladibus iam sæpe acceptis militiam, vel miles vnus impunè deserit, nemo in fugam non abripitur: æmulatoriè ergo Nouembri ineunte inter legionarios agebatur, quis prior soluto militiæ sacramento absisteret; neque aderat qui fugitiuos retraheret ad signa; cùm militari lege vbi desunt stipendia militi, præfectos iure communi deficiat in eum iurisdictio.

Enimuerò pluuijs inualescentibus, grassantibus ad corruptum cæli tractum morbis, militibus quorum ad ardua ferebatur animus cæsis aut sauciatis, imbellibus in fugam abreptis, aut adeò consternatis, vt ne ad ipsam quidem displosionem suppeteret animus, non erat quod de protelandâ diutiùs obsidione cogitaretur. Inito itaque de eâ soluendâ consilio, placuit valla primùm ad Monasterij metationem deseri, dehinc ad Mommiratum, vltimò ad Borboniam arcem, quod maiore quàm dici possit hostium alacritate nullâ nostrorum iacturâ actum. Torméta interim Castrúsarracenum inuehuntur, in proximam Monhurtij obsidionem, de quâ infrà.

Soluitur obsidio.

Castelsarrasy.

Solutâ obsidione, iubetur Lesdiguerius, sistendis

Mombrun. Mombruni incursionibus in Delphinatum redire, vbi quàm vtiliter Regi militauerit in tempore memorabimus. *Lesdiguerius in Delphinatum redit.*

Iam suprà solutæ obsidionis caussas districtè retulimus; id ex eorum mente addo, quibus inter aspera seruitutis liberè tunc loqui licebat. Regem heroïcâ virtute hoc bello vbique victorem, ab ijs eâ expeditione deceptum, quos iam antè deceperat hostis (absit enim mali quid in illos animi ominari) Montalbano cum reliquis vrbibus, quas iam antè Rex expugnarat collato, nihil addubitabant quin primores vrbis, aut largitione corrumpi se paterentur, aut ad vnam Regis præsentiam cederent: atenim nouisse debuerant neminem potentiorem dici posse, vbi omnia populi arbitrio cedunt: si res alibi ex voto successerat, non ideò id à fortunâ beneficij sperandum, vt se præter morem diu præstaret ęquã. Neq; habendam adeò fortunæ fidem, vt leuissimo exercitui credi debeat munitissimæ vrbis expugnatio. magno belli apparatu terreri hostem, maximè vbi non nisi plebeijs hominibus constat, quos vulgò rerum extima superficies decipit. *Quare solutam obsidionem contigerit.*

Ad hæc scripsit Mercurius Gallicus, non potuisse distractos ad alia belli neruos & componendo exercitui Regio sufficere, & explendę ad satietatem Comestabilis auiditati, collectum ab eo non nisi in rei familiaris augmentum, publicum priuatúmque ærarium, sexcentos in dies operarios ad Castrum Lisiniacum, totidem ad Quillebouiam arcem, octingentos Ambiani, quingentos Caleti ducentos ædibus Luynæis, quæ in fortunæ felicio- *Typis excusa in Luynaeum eo tempore postulatio.*

Lesigni. Quillebeuf. Amiens Calais.

ris portentum Lutetiæ assurgebant, labori assiduo incumbere, qui non nisi pecuniâ Regis conducti; intereà dum milites ad Montalbani obsidionem pars nudi rigebant frigore, pars inediâ extinguebantur. hinc populorum in illum odia, hinc publici questus, de quibus à Capitalium Præfecto maiore Modenæo (quem Tolosam tentandis populi erga se animis ab obsidione præmiserat) sæpius monitus, quò molliret inuidiam, ita rescripsit.

Modenæus Tolosã à Conestabili præmissus. Mode-ne.

Se iamdiu calumniæ telis assuetum, quíque innocenter omnia gesserit victurum in eodem proposito, quidquid latrent inuidiæ canes; non esse quòd amici doleant se vndequaque lacessitum, prohibente scilicet calumniæ tela clypeo innocentiæ; illi accedere fidem inuiolatam, quæ dum exemplo caret, vix contumeliæ eximi possit: neque mirandum quòd sibi maledica lingua insultet, quæ non nisi virtuti obgannire amat; si in Deum ipsum homines blasphemâ temeritate feruntur (absit verbo inuidia) quidni se impetant? Præposterè accusatum se, quòd in supremæ potestatis ambitum flexerit, qui numquam potestatem affectasse dici poterat, nisi quò vtiliùs Regi Galliæque in vniuersum militaret. Ingratos supra modum Tolosates qui memoriâ vsqueadeò destituantur, vt tot beneficijs à se acceptis etiam impares, ea in peius vertant: immemorem vrbem, quæ si se procurante Luynæo meminerit hodie liberam, quid non illi rependere debeat? Non esse quòd Parlamentum à se gloriosè gesta malè detorqueat: tutam Senatoribus mollémque inter lilia stationem, dum vindicandæ illorum liber-

Luynæi ad Modenæũ littera.

Senatui Tolosano succenset.

tati,ad valla ipse,pericula subit; prouocare se ab illis ad Deum,cui vni intima cordium scrutari innatum sit. Verum à calumniâ eò differre; quòd se hæc hominum animis gratè insinuat; illi aut non habetur fides, aut vbi dissimulari nequit ita per nefas torquetur in peius, vt iam verum esse desinat. Nihil hęsurum diluendis criminibus, quæ in se ad obsidionis infortunia conijci audit; non ignorari, quâ magni animi contentione susceptum obsidiũ, quâ in eam diem prouidentiâ productum, quot, quantísque procuratum laboribus, quibus valla toties cauata periculis; neque id aliam ob causam, quàm vt ex Regis voto felicem expeditio sortiretur effectum. Vni Regi post Deum gestorum à se rationem deberi,cúmque,ipsomet Deo teste,à criminibus innocens foret, quorum populari proteruiâ postulabatur,effecturum se dehinc sileant, qui tam peruicaciter garriunt,nõ eo ense, quem Gallię Comestabilis nisi bello sternendis hostibus gerat; sed validis argumentis,quibus (si ab inuidiâ apologiam veritas eximit) prodet faciliùs vanâ rerum imagine delusos,impudentiúsq; loquutos; neque fulgorem honorũ precatum se vmquam, excubias & labores vt vnũ è militibus pro vnâ Regis incolumitate maluisse. In procinctu quidem obsidionem esse vt soluatur; non ideò tamen Montalbanensibus quod rideant; cedentem loco principem, eas legionariorum in ambitu stationes locare,quæ fictitiam libertatis imaginem, mutent in seruitutis iugum. Neque hinc Tolosatibus esse,quod adhuc latrent, eos non nisi vrbis suę fructuarios, Regem proprietarium


Apologiâ Luynæus à crimine innocentiã suam eximere tētat.

esse, cuius supra illos intersit haberi sartam tectam, & quà Montalbanenses instant ab inimicâ deprædatione præstari immunem; in id verti studia Regis, imò in id tacitâ eum lege obligatum, quando id vtilitas prouincię, id Galliæ decus & gloria flagitant. Nihil reformidatam à se populi furentis audaciam, Regis se affectu minùs ad fastum, quàm ad publicam vtilitatem vsum; nihil habere in vita innocenti quod timeat, & sibi multùm supérque vitæ futurum, quod tali cum Rege expleuerit. Ceterùm sibi ad manum esse, quod Tolosam ex placito vsqueadeò malè afficiat, vt ad ipsos nepotes transeat lacessiti iniuriâ Comestabilis dolor; atenim quando vrbis commoda Regio splendori, communíque Galliæ vtilitati nectũtur, depositurũ se iniuriarum actionem, vt bene agendo aut populi sibi gratiam promereatur, aut (quando omnia in peius vertit) vt acriùs eum in seipsum accendat. Gloriosam inuidiam, quam virtus excitat, decorum, optabiléque odium, cui vnus in publicum amor causam dat.

In hunc modum Comestabilis furorem populi deprecabatur; quamquam omnium ad ea tempora iudicio, rei malè gestæ conscientia ipsi in supplicium verteret. Ipsamet eius scripta in caput illi retorquebantur, maiore scilicet quàm par esset contentione susceptâ sui apologiâ: quippe spreta exolescunt, si irascare agnita videntur.

Postulationem in eum, ipsiúsque apologiam bonâ fide reposui, tuum esto iudicium, qui hæc leges.

HISTORIA



HISTORIA

PROSTRATÆ

A LVDOVICO XIII.

SECTARIORVM

IN GALLIA

REBELLIONIS,

LIBER SEXTVS.

CAPVT I.

EPITOME.

De obsidendo Monburtio consilium capitur, quamquam variis super eâ expeditione sententiis. Cadenetus, Bassompetrus & Roquelaurus Monburtium cingunt. Rex Tolosam venit. Regina Lutetiam vocata ad Capitolinos scribit. Puymissoni ad Regem Oratio. Regis responsum. instruitur pompa ingressus. Regii ambulacri ad fanum Rochi descriptio. Thronus Regius, Camera, Conclaue. ab Ordinibus salutatur. Tolosatum militare agmen. Ordo ingressus. delegati ad Regem à Senatu Oratores. illorum cum Luynæo colloquia. victoria ad Fuxensem prouinciam illustris. Monburtii obsidio.

In Monhurtium signa conuertuntur.



VPRA memorauimus secundùm Montalbani obsidionem rebellasse Monhurtium, cæsúmque suorum proditione Boësslium Pardallianũ. Rex soluta statim obsidione, seu in parricidij vltionem; seu ita suadebat necessitas, in Monhurtium signa conuertere statuit. Deducto in militare consilium negotio in duas sententias itum; Comestabilis rectà Monhurtium nullà dilatione pergendum; purpurati reliqui, quibus iam obsidionum tædebat, Tolosam eumdum censebant Hæc viæ præcipitis Luynæo argumenta: magnis vulgò expeditionibus dilationem noxiam, huic maximè, quâ hostis incautus deprehendi poterat ad famam indicti à Rege Tolosam itineris; destitutam adhuc præsidiarijs, munimentísque vrbem ne tormentorum quidem conspectum passuram, si protelabitur, situm in facili opus non nisi magnâ postmodum iacturâ expugnãdam. Tolosæ delicias militem præstituras eneruem, vt ad voluptates velut ad scopulos, frangatur eius virtus, nec nisi ægrè hinc retrahendum, vbi velut hamo delicijs hæserit.

Varia super ea re sententia.

Luynæo placet rectà Monhurtium ire.

Regi cõtrà. Regi cõtrà placebat; atenim quia numquam (quod Reges plerumque amant) voluntate pro ratione vtitur, in eum modum tuebatur sententiam. Defectum viribus militem, víxque à diutina obsidione armis sustinendis parem esse, cui si noua in momento expeditio committitur periculum est ne aut signa deserat, aut malè, redintegrato morbo dispereat, quæsitum à Marte diludium etiam breuius, & reficere vires languidas, & procurandæ stipendiariæ

pecuniæ commodum esse. Tolosam à Lutetiâ primariam Galliæ vrbem, non iniuriâ Regis sui præsentiam poscere, quem numquam vidit. Regem solem dici, qui Regno suo haud disparibus debeat lucere radijs; pulchra, squalidáque vno aspectu à sole illustrari, à Rege, non habito locorum delectu, ipsa etiam regni extrema, montibus aspera, aut plana, inuisi debere. Ventum ad XV. à Tolosâ milliare, quę vnum Regis sui aduentum spirat; & nî secum iniuriosè agitur, sperat habituros quod de Rege suo querantur ciues, si post expensas magnifici ad ingressum apparatus retroceditur. Dandum sibimet aliquid, qui vrbem toto orbe illustrem, cui gratiâ Dei imperat subire auet, tum excolendæ oppidanorum fidei, tum agnoscendis subditis. *Tolosam appetit.*

Caddenet. Bassópierre. Tolosam ergo indictâ viâ, iubentur Caddenetus & Bassompetrus quatuor peditum millia secundo flumine Monhurtium inuehere: cingendæ interim vrbi, donec Tolosâ Rex quàm primùm adforet. *Tolosam indicitur iter. Iussi Caddenetus Bassompetrus & Roquelaurus Monhurtium cingunt.*

Roquelaure. Roquelaurus lectas in Aquitania, Regis imperio alariorum turmas, in eam expeditionem ducit, Regémque ad vrbis viciniam præstolatus in proximum omnia obsidium parat.

Regina, quæ Moissaci secundùm Montalbani obsidionem VI. ab vrbe milliari diutiùs hæserat, principe Contiâ, Mombasoniâ Comestabilis vxore, Vernoliâ sorore Regis naturali, aliísque comitibus, quamquam Tolosam vehementer appetebat, visendis scilicet sacrosanctis VI. Apostolorum, innumerísque Martyrum, aut Confessorum reliquijs, quas magnâ veneratione ad Diui Saturnini ædem *Regina Tolosam venire exoptat.* De Cōty. De Mombason. Verneüil.

gem, quàm publicum liberatorem inueniſſe, liberatorem publicum, qui vix ſemeſtri decurſu, ea gloriosè patrauerit pubeſcens adhuc, quæ Reges olim Galliarum, etiam poſt quadrageſimum annum ne cogitatione quidem attigiſſent. In admirationem virtutis heroïcæ cum Toloſatibus Galliam, cum illâ orbem vniuerſum veniſſe; Deíque potentiam pleniùs in LVDOVICO adorari, qui vt omnia poteſt, ita in LVDOVICVM Regem transfert omnium poteſtatem. Nihil eſſe ad manum, quod donum id Dei in Regem feliciùs exprimat arcâ fœderis, ad cuius conſpectum vnum hoſtium conſternabatur audacia, deponebant duritiem effera corda, corruebant gloriosâ inuicem æmulatione munimenta. Si quid adhuc Rebellionis in prouinciâ ſpirat, poſitâ breui feritate Dei arcam, Eccleſiæ primogenitum, Regem Galliç adoraturum. Satius eſſe dum prouecta ad cumulum virtus Regia ſtylum vinçit, ſilentio magnitudinem profiteri. Toloſam tot nominibus, quibus Regi deuincta, imparem, non ea exſoluere paratam, niſi admiratione, commendatione, obſequio, &, ſi auſit dicere affectu ſempiterno, quinetiam tot beneficijs indignam, nî ſanguine rependit gratiam, qui ei item ſanguini commixtus, quem tuendæ olim Religioni parentes eôdem loci impendere, erit obſequij in Regem, pietatis ad Deum, fidei erga vtrumque, æternum venturis retrò ſeculis monimẽtum. Futurum vt propediem, in publicum prodeat voti hodie ad obſequium nuncupati, in arâ fidei exſolutio, VIVERET, DOMINARETVR, REGNARET, ET DIV ET FELICITER.

Regis responsum His Rex districtè, Tolosatum affectus & obsequia à se iamdiu agnita, non indigere Oratore, perstarent quibus fidei præ ceteris gloria debita est; vocatum se ad expeditionem, non habere, quòd moras diu in vrbe nectat, nec posse vltrà VIII. dies differre discessum.

Priuatim Rex salutatur. His dictis in Archiepiscopales ædes medius inter Capitolinos euadit, priuatímque à Parlamento salutatus, priuatim egit. Donec illucescente Dominicâ, quæ mensis XXI. faciebat tacitè Rex dilapsus *Rex ad Fanum Rochi venit.* ab vrbe, ad fanum Rochi primo ab vrbe lapide venit. S.Roch Ibi arte mirabili è regione publicæ viæ XXIII. hexapodum longitudinis, IV. latitudinis in Tuscana coronide, ad rusticas columellas hærente, assur- *Regii ambulacri descriptio.* gebat Regium ambulacrum. Coronidem sustentabant quaternæ Dorici ordinis stylobates columnis, Basibus, capitellis & coronidibus marmoreis; Cyprij æris clathri stylobatem æquantes ambulacrum cingebant, ad cuius extrema duo scalæ assurgebant latissimæ, hinc aditu venientibus, illinc abeuntibus patente regressu; ambulacri medium illustrabat Re- *Thronus Regius.* gius thronus, in gradus quinque assurgens, cui ad dextram Camera Regia, cuius aditus Regis, Galliæque stemmata in auro illustrabant, incrustati vndequaque in quadra cærulea minio & auro parietes coruscabant, laquearia Regijs insignibus, sceptris mixtim & duplicibus LL. coronatis, trophæis, palmis, lauris, aureis insimul & argenteis æquore cæ- *Camera.* ruleo distinguebantur. Ad Cameræ angulum in *Conclaue.* secessu conclaue erat, tapetibus splendens filis auro mixtim & serico mirâ arte intertextis: ambulacri

conopęum ſparſis ſinè numero lilijs aureis, cærulei ſerici erat. Ad ambulacri extrema duo aſſurgebant auguſtalia tabernacula, operculo teſtudineo quę ardoſię cruſtis in quadrum operta ad columnas IV. capitellis, & coronidibus ſuis ſtabant mira arte.

His ità ordinatis Rex inſtructum Regio apparatu ſubire tribunal, adeſſe illi à dextrâ D. Gaſto Borbonius eius frater, à ſiniſtrâ Luynæus Comeſtabilis, circumſtantibus nullo ordine purpuratis, quos infrà memorabimus; ad ambulacri extremum quà Toloſam ſpectabat, Vrbis Ordines ab Heluetijs vigilibus in hunc modum admitti. Prima Regem ſalutauit Eccleſia Metropolis, Clareto, ad Valetæi Cardinalis abſentiam Vicario generali, Parlamentíque Senatore proloquente. Ab Eccleſiâ Matrice aſcendere centum Senatores in purpurâ, humerali pelliceo circumducto ad collum, quadratíſque pileolis, qualem Patriciorum olim habitum memorant. Hîc peroratus Parlamenti nomine Berterius non niſi tertius in Senatu Præſes, ægris Maſuyerio Caminadæóque primo & ſecundo Præſidibus magnum facundiæ ſpecimen edidit, aliorum infortunio felix, neque virtute indignus, cui hoc beneficium fortuna rependerit: ſupplendo Parlamenti Præſidum numero, data de more, Senatorum Decano Cauleto inſignia Præſidis, pileus ſerico auróque illuſtris & latuſclauus, precioſis mure pontico pellibus, panno ad humerum aureo. Senatui inſtabant Rationales Galliæ Cauleto Præſide, Senatoris fratre. Illis alma Academia Rectore Barclaio I. V. Profeſſore Regio, viro eruditiſſimo, ce-

Rex tribunal ſubit.

Claret. La Valete.

Ab Eccleſia ſalutatur.

A Parlamento reliquiſque ordinibus.

Bertier. Maſuyer. Caminade.

Berterius Regem excipit.

Caulet.

Barclay

teríque ex dignitate Ordines. Qui à dextrâ ambulacrum subierant, è regione ad sinistram dilabebantur, donec in vesperam inclinatâ iam die subiturus vrbem Rex equo insilit.

Tolosatum militare agmen.

Præcedebant XX. familiæ Religiosæ; apertâ planitie VIII. Tolosatũ millia in armis; stabant ordinibus VIII. quorum præfecti totidem, non nisi auro & lapidibus preciosis distinguebantur; legionarios sequebatur puerorum nobilium instructa phalanx, auro segmentatis vestibus albis, eos Regi ephœbos Tolosa obtulerat: succedebant nondum primâ lanugine adolescentes centum, purpureo, cæruleóque serico, distinguentibus saga filis aureis intertextis; hi iam grandæui, equorúmque capaces, stabuli maioris ephœbi ex veteri ritu dicebantur. Positi hîc in diametrum Ordines vrbis, vt qui primi Regem salutauerant, in extremis ei propiùs assisterent; vrbis apparatum claudebat Senatus, ab illo alariorum Regis ordo expeditus, Capitalium in Gallia præfectus Modenæus, præfectus Heluetiorum vigilum, emeriti dehinc vigiles, tubicines, Fecialis, Marescallus Praslinius, Comes Schombergius, Liancourtius Bellegardo absente magni Galliæ armigeri officio fungens, ensémque preferens quem apparatus vocant, Dux Luynçus Galliæ Comestabilis Regium ensem vibrans, aderat demùm omnium diu oculis expetitus LVDOVICVS Galliarum & Nauarræ Rex semper inuictus, ad latera hinc inde armigeri nobiles, custodiéq; Regiæ Scoti pedites; equitabat à dextrâ Ioinuillius magnus Galliæ cubicularius, à tergo D. Gasto Borbonius Regis frater,

Centum ephœbi camera.

Centũ item stabuli maioris.

Ordo ingressus.

Modenc. Exépts. Praslin. Schóberg. Liancourt. Luynes. Ioinuille. Monsieur le frere du Roy.

Ornano frater, Ornanúsque alariorum in Galliâ præfectus
Rés. Delbeuf spei eius admotus, vltimùm Cardinalis Radefianus,
Luxembourg. Dux Ellebouius Lotharingus princeps, Duces Luxemburgensis
Aluy. & Aluynus, quos nobiles penè innumeri stipabant. sequebantur non procul centum Regij ordinis Cataphracti. Populi qui ab vrbe in occursum proruperat numerus, quinquaginta hominum millia superabat, vt nisi inter perpetua populi accurrentis septa, via equitibus vlla pateret; vnde hic acclamantium VIVAT REX strepitus vt ne quidem XL. tormenta quę interim à muris displodebantur exaudire daretur.

Populus Regi in occursum venit.

Arnaud bernard Eo, si memini, ordine Arnaldi Bernardi portæ succeditur, ad quam ordinis dorici triumphalis arcus Saturno sacer, tot acuminibus Regis prudentiam commendabat quot erant apophthegmata, quæ prætereo hîc breuitati studens, eò maximè quòd Gallico passim, Italico, aut Hispanico sale, splendorē hîc suum desiderarent, quem ab idiomate peregrino mutuabantur. Ad portam à Capitolinis Rex excipitur, rogatúsque in ipso limine sacramentum in imagine Crucis pręstaret, conseruaturum se priuilegia vrbis, iureiurando in id Regiam fidem astrixit; vmbulâ exin augustali exceptus, maiore quàm antè populi acclamatione vrbem subit, Capitolinis VIII. totidem vmbulæ bacillos præferentibus. Cœli aspectum obducebat cœlum aliud, ipsúmque coloris cærulei: progressis, inter signa cęlestia mirâ arte è cœlo pendula occurrebant VI. arcus triumphales hemistichijs ingeniosè animati, qui à primo totidem planetas exhibebant. Saturno suc-

Ad Arnaldi Bernardi portā arcus triūphalis.

Rex à Capitolinis ceptus, sacramentum præstat.

Septem arcus triumphales, septem planetas exhibent.

cesserat Iouis arcus, pietati sacer; dehinc Martis, fortitudini; Solis, iustitiæ; Veneris, gratiæ; Mercurij, dexteritati; Lunæ, vigilantiæ; qui inscriptionibus Latinis Regis prudentiam, pietatem fortitudinem, iustitiam, gratiam, dexteritatem, & vigilãtiam commendabant. Ad plateam, cui à Diuo Stephano cognomentum assurgebat columna ingens, pedum L X X. cuius capitellum illustrabat statua Regis cataphracta, generosum in speciem equum domans, nudo capite, sceptróque ad manum; ad stylobatis angulos prostabant hirsutis pellibus Gigantes quatuor, qui manibus ad tergũ reuinctis, afflicto vultu, obtutúque in terram defixo triumphum victoris adornabant, hi expugnatarũ vrbium genij, qui triũphantis iras gestu humili, cõpositoq; ad misericordiam vultu deprecabantur, eâ artis industriâ vt in commiserationem spectantes ipsos traherent. Basim decorabãt tabellæ quatuor, vbi Regis descripta trophæa naturam assequuta dici poterant, nî supra naturam, aut vices hominum posita tot facinora.

Columna ingens.

Inscriptiones, hemistichia, apophthegmata, emblemata, aliáque id genus dispositos per vrbem ornauerant arcus, auctoribus Boissiero, Furnio, Alardo, & Catello viris vel hoc vno indicio non parùm ingeniosis. Omnium opifex manualis Chaletus Trecensis, pictor, statuarius, architectúsque non modò expeditissimæ manus, sed & ingenij sagacissimi; reliquis artibus picturam, cui vni ex professo incumbit, illustrantibus.

Ingeniosi acuminum auctores.

Boissiere. Dufour Alard. Catel. Chaletre. Troye.

Manualis opifex.

Ex solemni ritu oberratâ Rex in triumpho vrbe Templum Diui Stephani, matri[?] Ecclesiam subit,

vbi habitis Deo gratijs, decantatóq; solẽniter D.D. Ambrosij & Augustini hymno, facibus plusquàm bis mille illustrantibus noctem, in ædes Archiepiscopales, Templo contiguas euadit.

Posterâ die delegatur à Parlamento ad Regem Berterius Præses, primarijs è Senatu stipantibus, protectionem afflictæ prouinciæ petiturus, quæ, periculum erat ne regressis in Monhurtium copijs, à Montalbanensibus vastaretur. Plura ille coram Rege, eâ de re præfatus, ad Luynæum, cui tunc summa rerum inerat, remittitur. Durior erat quàm credi possit eius congressus, atque eò non nisi per ambitum, societate consiliorum & adulatione parabatur. Illi prostrata velut ad pedes magistratuum purpura, quæ vulgò ad Regum latera sedet, vnde satis constabat auctam homini arrogantiam. Admissi Senatus Oratores, proloquente Præside multa sapienter magis, quàm veraciter, ex temporis necessitate in eius laudem congerunt, quæ, ne videar indebito iam tempore adulari, prętereo. Ille paucis multa complexus; Non ita semper loquutum Senatum respondere, cùm se populo victimam dare conatus est, scilicet eam esse rei bene, vtilitérque Tolosatibus gestæ remunerationem; attamen sibi à calumnijs in se velut tela congestis tot clypeos esse, quot Galli Regis obsequio fidi, temeritatem esse & fabulas quidquid in se Senatus loquatur. Plura parabat, quando ad temeritatis nomen, qui propiùs illi adstabat Bertrãdus maior, vir audax, neque vanis aucupijs fauorem captans; Temerarium, inquit, dici non posse Senatum, nisi temeritas est prospi-

Ad Regem à Senatum delegati Oratores.

A Luynæo malè habentur.

Temeritatẽ Senatus increpat.

Respondet Bertrandus maior. cere ne quid detrimenti Respublica capiat; inauditam tot seculis eam in Parlamentum temeritatis postulationem, neque Reges eâ vmquam audaciȩ proloquutos. Leue videatur tanto in Senatum opprobrio responsum, attamen audax eo tempore habitum est, ad immensam Luynæi potentiam. Ceterùm vix vrbis primores sermone, vix visu dignatus est, vt nullo discrimine gratiam aut fastum ipsorum ad conclaue ianitorum pati cogerentur ipsimet Oratores, quos ad magna interdum negotia vrbs aut Senatus delegabant.

Victoria ad Fuxensem agrum Regi renuntiatur. Eius expeditionis descriptio. Intereà ad Regem nuntius venit cæsos ad Fuxensem agrum Rebelles: nos eam hîc expeditionem paulò altiùs repetamus. Rohanæus mille circiter legionarios, Poudresio prælij primipilo in Fuxensem agrum ductandos commiserat, illi sociatus Baro Leranus apud Fuxenses rebellionis caput, tribus circiter hominum millibus, signa in Barilium conferunt, obsidendæ vrbi: nec morâ procurantur Apamijs, Sectariorum vrbe, non procul hinc tormenta. Durbanus vir magni animi (quamquam Lerano affinitate coniunctus) propulsandȩ obsidioni vrbem subit; at rarioribus præsidiarijs nihil obstare potest, quò minùs tormenta muris admoueantur, succedátque propiùs nullo prælio hostis. mittere interim hinc inde nuntios, Regem obsidionis monere, nobiles prouinciæ amicos hortari adforent, nullâ dilatione: Rex Duci Engolismensi, procurandi subsidij negotium dare, legi mille alarios seriùs tamen, quàm conserendæ manui operæpretium: quippe iam antè Aunousius magni in eâ pro- *Poudres Sergét de bataille.* *Barilles.* *Pamiers.* *Durbã.* *Aunous*

Obsessum Barilium Durbanus pro Rege subit.

Indigenæ nobiles conueniunt.

Mauleõ Lacourt Castanias. Sainct-Chamã. Ornola uinciâ nominis heros, Mauleonus, Vicecomes Courtensis, Castaniacus, Sanchamandus, Ornolacus, Barbasanus, plurésque Galliæ Narbonensis nobiles, inferendo vrbi subsidio conuenerant: atenim expeditâ phalange deerant legionarij, quorum magnum erat soluendę obsidioni momentum: placuit tumultuariam pagis adiacentibus rusticorum legionem componi, quâ è longinquo territus hostis (neque enim adhuc agrestium agnouerat incompositos ordines) de obsidione soluendâ cõsilium capit. *Soluitur obsidio.* Exin non procul ab vrbe in quadra militaria acies diuidit Leranus pater, tormentáq; intereà dum à tergo pugnabitur, Apamias, quatuor à Barilio milliaribus trahi haud segniter imperat. Sequebantur agmina militari gressu, explicatis signis, tympanísque pulsantibus. *Manus conseritur.* Verùm ad difficilem ab imbre viam, hærentibus passim tormentis, dum hostis consistit, Regij nobiles primum agmen assequuntur; erumpere interim ab vrbe Durbanus, hostémque ad extremam aciem, dum manus ad primum cornu conseritur, fatigare; ibi acriter vtrimque pugnatum. *Casus hostis.* Mau-remont Mauremontius postremæ aciei præfectus, post rem strenuè gestam occumbit, Leranus filius captus, præualente agnatorum in phalange regiâ numero, tacitè liber dimittitur. *Captus Leranus filius dimittitur.* Reliqui magnâ ex parte cæsi; atenim dum conserebatur manus, magnâ tormenta celeritate Apamias inlata.

Rebelles ea clades Fuxenses magno supra fidem dolore affecit; quippe suprà cæsos mille circiter, Mõclu. captis nobilium plerisque, inter quos Moncluus;

Mauremontius eâ die infelix. immensum illis sui desiderium reliquit Mauremontius, vir magni animi, prçlióque sagax, quem Vicecomes Courtensis ex matre nepos, inter dimicandum diù quęsierat oculis, ad albescentis equi indicium, cui vulgò insidebat; at eâ die clauum eius pedi induxerat ferrarius faber, vt mutato equo demissâque ad oculos casside nusquam agnosci potuerit, *Commendatur nobilium virtus.* donec initâ cæsorum ratione inuentus est inter cadauera nudus. Laudatos memini præ ceteris Aunousium glande ad tibiam vulneratum, Barbasanum, Castaniacum, Courtensem, Sanchamādúmque, quorum hic statim à prælio decursorijs equis Tolosam venit, nuntiandæ Regi hostium cladi, sibi, qui inter purpuratos notissimus erat, victoriæ laudem ascribens, quod apud expeditionis ignaros inualuit.

Confecto hoste Engolismensis adest. Fusis, cæsísque hostibus, mille Dux Engolismensis alarijs adest, prçreptum sibi victorię decus dolēs, quod vnus si adfuisset suprà indigenas nobiles haud dubiè reportasset. Exin distributę equitibus ad Fuxensem agrum stationes, quod prouincialibus etiam Catholicis ad medullas corrosis excidio vertit.

Marescallus Roquelaurus vt iam antè attigimus *Roquelaure.* *Monhurtij obsidio.* Regis iussu Griniauti, & Ribeyraci cohortibus Mōhurtium cinxerat: illi prçstò erat Bassompetrus octo *Griniaut.* *Ribeirac.* prçtorianę cohortis ordinibus, Pedemontanâ & Nauarrçâ vbi VIII. circiter hominum millia: Vias hosti phalange obduxerat Marescallus Cadenetus, vt ab vnâ Regis præsentiâ nihil iam obsidioni Regiæ deforet.

CAPVT II.

EPITOME.

Comestabilis vocatum Arnousium aulâ absistere iubet, iussâque Regis prætexens, in speciem dolet. Arnousii responsum quo Luynæũ ostracismi auctorem facit. minùs sibi, quàm Societati timere. vrget Luynęus, multáque de Arnousio queritur. ille abiturus Regem salutare auet. Radesianus responsum à Rege refert. multa insimul proloquuntur. communis omnium ad rem parùm præuisam stupor. suffectus Pater Seguiranus vir prudens & doctus. Monhurtii obsidio. Theobonus, Comestabilis alarios clade afficit. cuniculi duo. oppugnatio prætorianæ cohorti infelix. cadit Lousierus, laudatur Achilles ad pedem vulneratus. Theminii Patris dolor. Aquitaniæ præfecturâ donatus. vrbs deditur saluâ præsidiariorum vitâ. eam miles victor deprædatur.



REx Nouemb. XXIII. Tolosâ Monhurtium properat: atenim Comestabilis consultò moratus, Arnousium Societatis IESV, Regiæ directorem conscientię acciri iubet; seu missionis à Rege legem acceperat; seu iam eum æmulæ potestatis tędebat. Adesse Arnousius, quęsitóque Comestabilis secessu, in hæc verba præfari; Dolere se plusquàm dici possit quòd prohibendæ viro sibi carissimo Regiæ conscientiæ directionis

Comestabilis Arnousium vocat.

Arnoux

ſibi à Rege ipſo incubuerit munus, proditum à ſe ſæpius affectum, quo innatâ beneuolentiâ Patrem, Societatémque proſequatur, nec habuiſſe alium à ſecretis, cui libentiùs fidem, conſcientiámque crederet; ideóque tentata à ſe omnia, quò à propoſito Regis animus auerteretur; atenim niſu irrito, perſtitiſſe non aliâ quàm placiti ratione Regem; iuſſúmque ſibi, Arnouſium Curiâ interdiceret.

Curia abſiſtere iubet.

Arnouſii reſponſum.

Ad hæc Arnouſius, quamquam ad rem parum præuiſam mente, animóque defixus erat; Non eſſe, inquit, quòd tantâ animi commotione doleret, quod ipſe vnus auctorauerat. ſe ab omni labe immunem, eò ſolùm expelli quòd Regem vbique depoſitâ fictione Regem eſſe voluerit. Teſtem aduocare Deum & Angelos, vt ſuprà id tentatũ à ſe nihil. Habere ſe tamen immortali Deo grates, quòd implicitum curis, negotiíſque ſeculi, immensâ prouidentiâ medio fluctuantem Oceano, fluctu, non niſi in ſpeciem aſpero ad portum agit; de prędeſtinatione ſuâ ad Deum, tunc à ſe primò addubitatum, cùm in Curiam accitus, negotiíſque publicis ſuprà ambitum ex neceſſitate implicitus, periculoſam purpuratos inter vitæ aleam ſubijt: nunc (quantùm homini fas eſt) de ſalute certum, pluſquàm credi poſſit, eorum eſſe debitorem, quibus exſilij felicioris gratiam debet. Conatum pro virili in dirigendâ Regis conſcientiâ, vt LVDOVICVS Regis, Luynæus Comeſtabilis officio fungerẽtur, reliqua calumnias eſſe, tacitáſque hæreticorum factiones, qui ſe Regis præſentiâ arceant, quò facilior dempto impedimento pateat ad illũ acceſſus, quò nemo in Regiâ poſtmodùm,

modùm, liberiùs in eos inuehatur. Neque esse quòd Luynæus Arnousij exsilium doleat, quo ipsemet religiosâ simplicitate triumphat. optare se quidem ídque vehementissimè, caligantes eius oculos Deus immortalis aperiat aliquando, qui repulsæ vnus est auctor, visurum eum, caput innocentissimũ, ipsíque Luynæo saluâ Regis auctoritate addictum, nullâ aliâ postulatione depelli, quàm immensi in Regem, Galliámque amoris. Grato sibi suprà modum secessu, vnum superesse quod timeat, ne scilicet, quod vni Luynæo debitum nemo ambigat, consilio sanctiore, Regéque ipso auctorante gestum Gallia reliquúsque orbis existimet. Societatem, cuius excidio nimis quàm multi inuigilant, hinc grauiùs accusandam, amotóque Arnousio trahenda in Societatis innocentiam, aut Regij odij argumenta, aut criminis. Luinæus contrà prępostere in se coniectum, cui præter supremam hanc operã nihil de suo cõtulerit, quãquã, si querelas mouere dabitur, sibi abundè esse, quod de Arnousio queratur, qui nisi manifestà ingrati animi notà, se multis Luynæo nominibus obligatum diffiteri nequeat; nihil tamen non ab eo tentatum, quò vir non nisi publicæ vtilitati studens, summâ rerum moueretur, quam fide agnitâ Rex ei credidit; futilia esse quæ adiecerat, conatum se vt Rex, Rex esset: quasi verò alicuius magis intersit, Regem, nullo medio Regem esse, quàm eius qui illi omnium debitor, nihil aliorum imperio sperare audeat. Stupere quòd ità proloquutus qui se intus & in cute nouisse debuerat; nihil se vnquam habuisse præ oculis, quàm vnã Regis aucto-

Societati non sibiti-met.

Vrget Luynæus.

De Arnousio queritur.

ritatem, quam si quis à se asserit vsurpatam, calumniam esse. Ceterùm iussa Regia non pati appellationem, neque dilationem. Ad hæc Arnousius; Méne, inquit, Curiâ absistere, insalutato Rege. Comestabilis vrgere, sic placitum Regi. Rem trahere in dubium Arnousius quando Luynæus; Tentabo, inquit, iterùm Regem; tibíque ad crastinum eius arbitrio super eâ re legem dabo. Sequi ergo è longinquo Regem, dummodò nō assequeretur, iussus; Rege Granatam prouecto, Capellę Abbatiam, duobus ab vrbe milliaribus postridie venit, vbi rarescentibus ad primum crepusculum vmbris, Radesiano Cardinali, qui Regis vltimò placitum referebat in occursum properat; ibi à primis vrbanâ comitate sermonibus, legi apertâ hinc inde planitie, mapale rusticum, Cardinalem comitabatur non nisi Protonotarius vnus, Arnousium item vnus, fidus ille vtérque, quibus absistere iussis, pastoris illi tabernaculum subeunt. Cardinalis iussum se nullâ spe reditus Patrem dimittere; dictam à Rege legem, quâ in momento aulâ abstinere iubeatur: quo procurante, in aperto esse, non adeò Curiæ inexpertem Arnousium; qui conglobati in se nimbi atrocioris caussam ignoret, neque alium sibi Regiæ voluntatis, quam renunciat, interpretem vno Luynæo, cui quanta fides habenda sit, videat ipse. Ad hæc Arnousius; Regéne auctorante, vel inscio gestum id anxius; Radesiani quo cum magnâ olim necessitudine vixerat sagacitatem super eo negotio consulere, quid amicâ monitione factum vellet: Radesianus eo districtè dilemmate rem expedire;

Regem Arnousium antè discessum salutare auet.

Grenade. La Chapelle.

Radesianus Cardinalis responsum refert.

Mutua Arnousium inter & illū colloquia.

Vel, inquit, Rege auctore, vel inconsulto negotium gestum; si auctore parendum; si inconsulto, absistendum item, potentiore in Regis Curiâ Comestabilis factione, quàm vt impunè abeant spreta eius imperia. His suasus Arnousius, Rege Monhurtium pergente, Tolosam redit. vnde breui prodiere ab eo ad Comestabilem codicilli, quibus multa illi quamquam leniter, stylóque oratorio exprobrans, ab accusatione vindicabat innocentiam suam, maiore vt creditũ animi cõmotione, quàm philosophũ decuisset æquo vultu paratũ ad omnia; attamen qui se ad primos motus prodiderat hominem, manifesta ex hinc suprà mortaliũ vices virtutis indicia edidit.

Ad rem nouam animi omnium altâ admiratione defixi hærebant; pelli Regiâ Arnousium, vbi nihil non posse credebatur; Rege ne quidem salutato cogi absistere qui pridie ad placitũ eius moderabatur affectus, eo potissimùm tempore, quo Caluinistis pristinâ potestate deiectis conscientiæ consilium præualebat: vix hominum memoriâ prodi posse potentiorem Regiæ conscientiæ directorem, quia Regem LVDOVICVM, maiorum nemo pietate præuerterat, eiusmodi potestati vnam Regum pietatem mensuram esse; pijssimo Regi potentissimum esse conscientiæ directorem. Vicisse tamen contrarium Luynæi affectum, neque destitutum Arnousium, nisi quòd Comestabili summam rerum habenti in potestatis nimiæ suspicionem venerat, quæ vna reformidabatur. Qui Regem ex officio circumstabant, aut numeratâ pecuniâ, pollicitísque corruptos, aut si corruptelæ obstabat nobilitas ani-

Stupent purpurati.

Potẽs apud Regem habitus Arnousius.

Luynæus potentior.

Pulsos à Regia quos reformidabat Luynæus.

mi omnes procurante Comestabili destitutos. Non esse purpuratis aliud numen, quod adorarent: adesse Regi quòcumque iret cõductitios ad latera speculatores, quorum aciem nihil effugeret, auditum nihil; sic nota ei omnia, cuius saluti expediebat nihil ignotum esse: vnum eo tempore superfuisse Arnousium audaci, subtilíque ingenio, qui negatâ conductitiâ operâ indebitę potestati obsisteret; vnâque hâc postulatione depulsum. Quæsitum diu, qui prædictis conditionibus substitui posset, inuentum neminem. Donec re in consilium districtè relatâ placitum è Societate eligi, qui innocentiâ, simplicíque viuendi ratione, vnam Regis conscientiam tractans, reliqua arctiori concilio crederet. Lectus dehinc Seguiranus, sapientiâ, doctrinâque illustris, qui publica, priuatáque negotia exosus vni Regis conscientiæ etiamnùm hodie magnâ laude incũbit.

Suffectus Seguiranus vir magnus.

Seguiran Iesuite.

Rex Tolosâ Granatam, hinc Lectoram, Lectorâ Neracum, Neraco longam-Tiliam quatuor Monhurtio milliaribus venit: nec mora, triplex in vrbem oppugnatio præscribitur, prima ad Garumnæ ripam Pedemontij & Griniautij, secunda quà vrbs Toneinsium spectat, tertiáque ad vlteriorem fluminis ripam Nauarræ, Ribeiraci, & prætorianæ excubiarum cohortibus obtingit.

Grenade. Lectore. Nerac. Lõguetille.

Ordo obsidionis Mõhurtia.

Theobonus intereà collectis ad fanum Fidei copijs de immittendo Monhurtium subsidio cogitabat; quia tamen arduum opus erat, inter Monhurtium & Fidei fanum, vrbes inuicem longiùs dissitas, nihil effugij habentibus; placuit subsidij in prędæ mutari consilium. Cataphractorum Comestabi-

Theobonus Comestabilis alarios deprehendit incautos.

Gõtaut. lis ordo non procul à Fidei fano Gontauti agebat fisus loco, rarioribus passim, aut laxis excubijs: nocte intempesta, silentia inter & horrorem Theobonus legionarios centum quinquagintáque alarios Gontauto admouet, suggressúsque ipse leuiori in pagum manipulo, primos vigiles sternit, experrecti reliqui arma capere, sed irrito nisu, pars trucidantur, pars quà via data in fugam se conijciunt, impedimenta & equi victori cedunt. Attamẽ postridie Luxemburgensis vindicandæ, quam intulerat hostis fratri Luynæo iniuriæ, ducentis alarijs Gontautum venit, vbi in nouam prædonum manum incidens, cæsis L. in fugam reliquos agit; quamquam non incruenta Regijs victoria fuit; quippe Baro Claromontius stirpe nobili, quia pugnam sinè ferreo thorace inierat, glande traiectus magnum sui desiderium reliquit. *Plerisque cæsis in fugam acti reliqui.* Clermont. *Baro Claromontius occisus.*

Ineunte Decembris X. displosa in muros indesinenter tormenta XVIII. ruinam edunt. Procurati exhinc cuniculi duo, successu dispari euaporantur; hinc ad prætorianæ cohortis oppugnationem magno impetu terra dissiliens propugnaculum ingenti ruinâ euertit, eâ, quod tunc portento datum, præsidiarij cuiusdam felicitate, vt vi pulueris tormentarij in altum iactatus, eodemmet cespite, in quo firmauerat vestigium, incolumis terram subierit; illinc contrario cuniculo opus euanescens, Ribeiracæ cohortis oppugnationem irritam præstat. *Cuniculi in muros duo.*

Patebat ergo prætorianæ legioni ruina plusquam ex æquo; imò si quid eâ die pristinæ habuisset virtutis, ad Regis oculos, qui spectandæ oppugnationi

adesse voluerat, munitissimam primo conamine expugnauerat vrbem; cuniculo statim succedunt artificij ignes, pilæ ignitæ, pelues pice & resinâ fumantes, hastæ flammæe, cæteríque id genus parati arte ignes, seu terrendi hostis animus erat, seu à ruinâ igne propulsandi: procuratæ interim amne aduerso nauiculæ, vnde pluteis tectus miles (namque vrbem fluuius alluebat) à ruinâ procul auerteret hostem. Enimuerò deficiente prætoriana cohors animo, leuiori quàm speratum prælio pedem refert, vt non iniuriâ dici possit vices suas ipsam militiæ virtutem pati, quíque hodie inuicti animi est, cras imbelli, aut nullo conamine debellandum.

Artificij ignes.

Prætoriana cohors pedem refert.

Regiment des Gardes.

Illucescente Decembris XI. Lousierius, cui à nupero Marchionis Theminij fato, Marchionis Theminij nomen obtigerat, suprema Marescalli Theminij mascula proles, dum ad valla sua distentus operi, bacillo designabat imperia, glande ad pedem, leui in speciem vulnere sauciatur; atenim, quia se incautus amni commisit non procul à castris sanando vulneri euchendū, adeò recruduisse vulnus memorant, vt paucis pòst diebus magno omnium mœrore interierit: vir erat magni nominis, Cadurcorum recenti promotione Senescallus, D. Gastonis Borbonij primarius eques, Nauarræ cohortis præfectus, prælijs sæpiùs gloriosè gestis insignis, spes vna Theminij patris, militibúsque præcarus: atenim non admittente eas exceptiones fato, qui Nestoris annos implesse debuerat Achillæo vulnere cadit. Dictum ad ea tempora memini Achillem Gallicum, qui vix primo adolescentiæ flore,

Lousierius occiditur.

Lousieres.

Quercy

Laudatur eius virtus.

Quare dictus Achilles.

magnâ virtutis commendatione ſauciatus ad pedem, indebitam morti animam Achillęo in vulnere poſuiſſet. Prodiere ſtatim in publicum conſolatorij ad Mareſcallum Theminium codicilli, quibus Orator multa de Deo proloquutus vnam in fati neceſſitate afflicto patri conſolationem proponebat; imò nec ſe hominem prodidit, cui vix trimeſtri ſpatio, duplici funere progeniem maſculam, nepotémque Boſquium arma ſubduxerant, ſeu ſolatium præſtitit virtus heroïca, ſeu leue cæſorum deſiderium. Exin reparando Theminiorũ nomini, quamquam ſenectute prægrauis Lanoüiam eximiâ formâ Chambreti viduam ducit ab heroüm funere, nõ aliud debuerat ſolatium infelix pater cui ſupereſſe quàm effręnata etiam infra magnum animũ lacrymandi licentia; nempe poſitâ ſuprà hominum vices tam ſubitâ, támque irreparabili iacturâ, vt ſolatium addere videretur ipſamet ſolatij deſperatio.

Theminij patris à funere dolor.

Lanoüe Chambret.

Rex literis ſolatus afflictum remunerandæ in patre natorum virtuti; profuſâ liberalitate dona, nouámque illi præfecturam impertitur. Mareſcallus Roquelaurus Aquitaniæ magnâ ex parte legatus erat, reſiduum in prouinciâ legationis munus non diu antè à Rege obtinuerat Montiſpanus Gondrinus: procuratur Theminio integra Aquitaniæ legatio, Roquelauro in remunerationem datis ducentis librarum millibus, præfecturâque Lectorenſi diu ab eo expetitâ; Gondrino conceſsâ, quam Theminius antè adminiſtrabat Benarnij prouinciâ; ſícque tribus vnâ permutatione ex æquo ſatisfactum.

Data Theminio proprætoria Aquitaniæ dignitas.

Monteſpan. Gondrin.

Roquelauro præfectura Lectora. Gondrino Benarnij.

Poſterâ die redintegratâ verberatione oppugna-

tio in vniuersum indicebatur, cùm Marchio Mirambellus, Vicecomésque Castesius vrbis æquâ potestate præfecti, habendo colloquio inducias petunt, committitur Gondrino negotium, illi deditionis conditiones in schedam relatas proferre; Gondrinus contrà scriptum reijcere, vbi vnam Regis sui misericordiam subire subditos deceat, desperatâ salute protelari quidem in crastinum obsidionem posse; at non nisi certissimo obsessis excidio: acturum se tamen, si quid erga Regem precibus valet, præsidiariorum vitæ consulatur. Subiere obsessi legem, primóque diei sequentis crepusculo, viæ se accingebant, cùm Regius miles prædæ impatiens, in vrbem tumultuariò abripitur, vbi nî Marescalli Roquelauri, qui sibi eâ obsidione magnum nomen parauit, vigilantia acriter obstitisset, periculum erat, ne ad internecionem caderet hostis.

Miram-beau. *Castelr.*

Vrbs Regis arbitrio saluâ vitâ deditur.

Vrbem Regius miles prædatur.

A prædâ, vrbi subditur ignis, muniminaque solo æquantur, vt ne ipsamet quidem vestigia vrbis hodiernâ die supersint; condignam temerarijs oppidanis pœnam, qui Regis Galliæ victorias morari præsumentes, in ruinam ipsi cum vrbe suâ dilapsi sunt.

***

CAPVT

CAPVT III.

EPITOME.

Luynæus exanthemate moritur: purpuratorum varij ad rei nuntium affectus. Morientem deficiunt omnia. statim eius memoriam amici abdicant. Duo illi præ ceteris fidi. deplorabilis defuncti status. quem omnia sequebãtur destituunt omnia. purpuratorum speculum. Burdigalam cadauer infelix secundo amne inuehitur. Rex Luynæam litteris solatur. Marescallus Sangeranus delatam sibi in Aquitaniâ præfecturam abdicat. Substituitur Engolismensis. Aquitania vlterior Ellebouio obtingit. Nigrapelissa & Burniquellum Vigniaucij factione intercipiuntur. obsidetur ab Engolismensi Burniquellum & capitur. Oruallus actis in vincula Figeacensibus Catholicis, agrum adiacentem deprædatur. illi Pibracius obsistit.

Lõgue-tille.



ECVNDVM obsidionem, Longę-Tiliæ febre acutissimâ correptus Luynæus, minore quàm creditum Regis mœrore excedit: defuncti cadauer ita in momento diaphanum fuit, vt vitreum esse dixisses; Medicis exanthemati morbo pestilenti maculas toto pellucidas corpore imputantibus. ad rem impræuisam purpuratorum alijs mœrore confectis, gestiebant prę gaudio alij, prout suam sibi quisque fortunam propo-

Luynæus moritur.

Varij purpuratorum ad eam mortem affectus.

nebat in melius, aut in deterius mutatam.

Nunquam ſinè obtrectatore fuit, quem mors gratiæ exemit, plura in eum ſtatim ab extremis coniecta, quæ hîc præterire ſatius duxerim, ne mortuo inſultans videar cum laruis luctari. Nondum exhalauerat animam, cùm defuere eodem momento, ſupellex, amici, familiares, medici, ea demùm omnia, quibus paulò antè legem ſummo iure dabat. Nihil rerum mortalium tam inſtabile ac fluxum eſt, quàm fama potentiæ non ſuâ vi nixæ. ſtatim deſertum Luynæi limen, quíque illi impenſiùs litauerant dum ſpirabat, Dei (ſi fas dicere ſui) ipſam memoriam execrantur. Vbi in tranſcurſu notari velim quanta amicis curialibus habenda fides. Nemo ambigat Luynæum, dum præfecturas, ęrariúmque diſtribuebat ex animo, multorum ſibi conciliaſſe affectus, & gratiam, collatis ſcilicet ſupra auri largitionem, dignitatibus, reliquíſque, quæ vulgò Regis arbitrio cedunt. Inter hos tamen, quorum haud infrequens numerus, vix inuenti duo, qui morienti oculos clauderent, ſupremáque illi exſequiarum procurarent. Fidus illi præ omnibus, ad extrema perſtitit Abbas Roſſelaius Italus; olim ex Reginę parētis familià, quam, cùm Luynęus cuilibet auctoritati anteïre ſtudens, ingenioſis hominibus deſtituere ſibi propoſuiſſet, hunc præ ceteris legerat, qui corruptionis in principem nobiliſſimā capax, illi peieraſſe circumferebatur, Marchiónémque Monium Reginæ item aſſeclam, in eamdem ſecum fortunam allectum, feciſſe pariter violatæ fidei reum: quamquam Monij fortuna potior, qui præter Scotica-

Morientem deſtituunt omnia.

Amici ipſam eius memoriam abdicant.

Vnus illi ad extrema fidus Rouſſelaius.

Roſſelay.

Vir olim Reginæ addictus.

Mony.

rum præfecturam excubiarum, sibi Forcæi rebellione delatam, primus Reginæ regnantis eques, procurante Luynęo renuntiatus fuerat, vnde etiamnum hodie sexaginta illi librarum millia in annuas pensiones. Rossclaius contrà, quamquam præ ceteris Luynęi secreti conscius, tristium, lętorúmque socius, vnúsque è curialibus secessus comes, immunis à largitionibus vixit, non aliâ quàm Luynæi affectus

Contade. gratiâ. vnus ille, si Contadum eximis, Comestabilis, quod aiunt, creaturam, demortuæ fortunæ litauit. Deficientibus cereis ad iusta exequiarũ, imò & syndone, quâ fortunatissimi olim hominis cadauer infortunatum inuolueretur, ære ille suo comparauit. portentum inauditum, possidebat nudius tertius, quę in hominem cadunt omnia, quem hodie deficit carbasus funeraria; turma heri nobilium, eius æmulatoriè premebat vestigia, foris, domi, vbique illi ad imperia astans, quem hodie fugiunt nobiles, lixæque ipsi aspernantur. Dignitates Ecclesiasticas, Episcopatus, Abbatias, ceteráque id genus, quæ Regis Galliæ arbitrio subsunt, distribuebat ex placito, stipabant Diaconi, Sacerdotes vno verbo sequebantur innumeri opimorum Sacerdotiorum captatores, hodie vix obuius Monachus supremum morientis spiritum excipit: demortuo ne Sacerdos quidem vnus, Christianis de more ad cadauer precibus iusta exsequiarum persoluit; in quo spirabant omnia, destitutus omnibus exspirat solus: O spectaculum, cui si Luynæi potentia non ignorabitur, vix habitura sit fidem posteritas! ô humanæ vitæ speculũ, cui si se purpurati introspiciunt, abundè habeant

Contadus Comestabili item fidus.

Deplorabilis defuncti status.

Quem omnia sequebantur deficiunt omnia.

Purpuratorum speculũ

quò adeò instabilis titillationes honoris, quò splendorem familiarúmque decora, quò spes vno diuitiarum pręsidio nixæ, quò demum omnia quæ tam fluxâ possessione, decus sinè decore, honorem sinè honore sapiunt, abdicentur.

Exenteratum cadauer.

Fama tunc inualuit post commissum cymbæ cadauer exenteratum, polluta tabo & sanie viscera feminis ad fluminis ripam lintea repurgantibus tradita abstergendo ad aquam sanguini, separandæque saginæ; eásque demum operæ conductæ pretium reposcentes, deficiente pecuniâ, non nisi salso pisce, qui ad cymbam prostabat dimissas, scilicet præstitæ Comestabili operæ condignâ eâ remuneratione, quam ipse piscator gratis erogauit.

Burdigalã inuehitur.

Conditum aromatibus cadauer obesum Heluetij vnius custodię creditum, Burdigalam secundo Garumna inuehitur: vbi nullo donatum honore, imò ne in vrbem quidem inductum populi metu, in statione ad portum malefidâ reclinatur, donec Malliacum, ad Turonensem agrum, quod ille titulo Luinæi Ducatus illustrauerat nuper, condigno vtcumque honore inlatum est.

Omnia ad Luynæi excessum in aulâ mutantur.

Statim à rerum arbitri excessu, nouam aulą faciem induit, quósque in imum eius olim vita agebat, eosdem hodie mors in altum euehit: contrà ad rerum fastigia fortunâ bene auspice euecti, non alio infortunio decidunt, quàm eius excidio, cui vni præpotens innitebatur auctoritas: FAVOREM illicò summâ rerum amouent passi eius calculo Ostracismum, & qui sibi commiserationem conciliabant miseri, felicioribus nunc àuspicijs inuidiam

excitant; quippe ità humanarum rerum vices habent, vt vbi fortunæ felicioris carbasos, fauens placidúsque Fauonius inflat, cadant ex voto quęlibet, calcatísque non nisi rosis, felicitatem ne ipsa quidem cogitatio assequatur; atenim mutatis rerum vicibus vbi vel tantisper declinat ventus idem, ruant in peius omnia, vnóque hoc fluctuantis fortunæ indicio, non aliâ causæ cognitione terga amici vertant; infensi quibus auctoritas antè imponebat silentium, impudenter loquantur; obganniant, qui adblandiebantur, à parasitis satyræ prodeant; vt ad eam rerum humanarum vnius arbitrio fortunæ mutationem, non immeritò dici possit, summum hominis bonum vni virtuti inesse, quam raro inter luxum, vanósque aulæ apparatus inuenias.

Rerum humanarum vices.

Quæ cœlo subiacent, fortunæ subesse.

Proscripti antè non aliâ quàm præstiti infensis Luynæo obsequij postulatione restituuntur; restauratur debita iure sanguinis auctoritas, parens filio, filius parenti gratulatur, exultant faciliore iam ad aulam accessu primores, ipsíque qui conductitiam illi operam venditâ libertate pręstabant, quamquam supra fidem captabant lucrum, innato tamen libertatis amore, iam se iugo eximi gaudent, aratrúmque boues infortunati deponunt; triumphat populus rege humanissimo, cuius placidissimam indolem aliquando flexura in peius timebantur audacissimi capitis perniciosa consilia; exultant præ omnibus Parlamenta, quorum auctoritati tacitis ille factionibus struebat insidias, quibus non nisi publico bono studentibus, obijciebat ille temeritatem.

Exultat in funere populus.

Exultant Parlamenta & nobiles.

Ea communi tunc gaudio causa prætexebatur, quòd extinctâ semel Rebellione æternùm in Galliâ pax sperari poterat, nempe vnius excidio, cessante primorum prætextu, quos nemo dubitabat publicam nouo bello redintegraturos calamitatem, altâ adhuc mente repostis veteribus, vnde à Luynæo querebantur, iniurijs. Rari lacrymantium questus, seu dolebat nemo, seu promerendæ sibi fortunæ, quæ tunc non nisi à funere ridentibus arridebat, lacrymis consultò abstinebant. Regi leuis dolor, nempe magnitudine animi victo gemitu.

Diuturnæ pacis ducta hinc auguria.

Nec deerant, qui publicas inter acclamationes, populi socordiam tacitâ crudelitatis, ignorantiæque postulatione perstringerent. crudelitatis, ductis hinc argumentis; quòd vix hominum sorti conueniat, demortuorum, vno vindictæ ardore temerare manes; non nisi lepores, ex veteri emblemate, mortuo leoni illudere, ignauos defunctis. Parcendum tamen ignaro populo; qui sæpius, causâ incognitâ, risum aut lacrymas, vanis delusoriísque imaginibus, in contrarium accommodet tempori, vt cùm flendum maximè, effusiùs rideat; cùm exultandum effundatur in lacrymas. Posse opinionem defendi quæ Luynæi morte & rebellionem potentiùs, quàm antè subsistere affirmet, & auctorari in Regem ipsum factiones. Comestabilem eximiæ olim prudentiæ virum, sagacis, expeditíque ingenij, fortunâ quidem (quod nec diffiteri queat) in propria commoda plus quàm par esset abusum: atenim id illi cum fortunatis aulicis, nemine exempto, commune fuisse; si nimij erga agnatos affectus postulabatur,

Eorum opinio qui Luynæi memoriam tuebantur.

Redintegrari eius funere rebellionem.

laudandum immenso in Regem amore obsequióque; si Regis gratiam promeritus, profusâ eius liberalitate gaudebat, laudem à summâ munificentiâ Regi accrescere, si positis supra natales & sortem honoribus auidè inhiabat, peccasse quidē; at neminē immunem ab eo crimine, si crimen est, suos quemque nęuos illi imputare, quem mors inopina exemit potentiæ. Laudandū quòd in Sectarios Rebelles, Regis animum primus concitarit, quòd bello suaso pericula primus, quidquid inuidia garriat, pro libertate publicâ, pro Rege subierit. Concilio in expeditione non militari modò, sed quod causarum ciuilium vocant, magnâ integritate, maioréque tunc, quæ hodie tamen in peius vertatur, laude præfuisse; fortunâ Regis oportunè vsum; hos secundùm expeditionem pecuniâ, illos pollicitationibus, spe aut timore, Regio addixisse obsequio. Quæ summo iure gerere visus sæpe, nisi consulto priùs oraculo Regis, gesta nunquam. Enimuerò si quid in obsidione Montalbanâ peccauerat, nusquam ab effectu imperatorem condemnandum, sequutum ea media, quæ iam alibi sæpius profuissent. Defuturum eius morte prudentissimi viri consilium, ad cuius extrema si lætitiæ ignes excitat delusa populi simplicitas, mutandos eos, breuiúsque fortassis, quàm existimetur in pyras bustuarias: nemini, si Regem eximis, Gallici secreta imperij feliciùs, faciliúsque innotuisse, quæ priusquàm successuro experientia longior aperuerit, pleraque timenda, quæ ne quidem hodie præuideri queant. His plura quamquam tacitè addebantur, quæ Luynæi viri procul dubio

Bellum in Rebelles ab eo suasum.

Rerum expertem.

ingenioſi memoriꝗ debita hîc repoſui, innocens ille nécne, mea non intereſt, qui non niſi denudatam hîc veri ſimplicitatem nullâ gratiâ exprimo, timore nullo.

Rex Luynaam literis ſolatur.

Statim à Luynæi funere afflictam eius vxorem Rex codicillis ſolatur. extincto Luynæo, aſpirare adhuc leniter eius poſteritati fortunam, cuius Regio affectu auctor ipſe, impoſterum fautorem ſe pollicetur: attamen ſeu fragilitate ſexus, ſeu parando, ſibi, Luynææque familiꝗ primorum ſubſidio, vix emenſo à Luynꝗi exceſſu ſemeſtri, ſecundis inuoluitur votis, ducto Ioinuillio principe, qui eius iamdiù amore deperibat; condignis Comeſtabilis viduæ nuptijs, quam niſi Principi, ſecundò nubere, apud nos decor vetat.

Secundis illa inuoluitur nuptijs.

Solutâ Montalbanenſi obſidione, Rex qui ꝗgrè ferret peruicacem impunè Rebellionis audaciam; caſtella in vrbis ad iactum lapidis ambitu exſtruere deſtinarat, cingendo ijs Montalbano, quæ vallis (lineas communicationis appellitant) ſibi ab hoſtis eruptione inuicem præſtò adforent. Mareſcallo Sangerano quatuor hominum millibus, ea prouincia ſortitò obtigerat: atenim quia præpoſterè adminiſtrato ærario ſtipendia deerant, præfecturâ ille vltrò abſtinuit, nihil addubitans quin vbi ærarium deforet, pupillum & viduam opprimere cogeretur. ſubſtituitur illi Dux Engoliſmenſis (mirum quòd detrectatam à Mareſcallo præfecturam ſubierit princeps.) Engoliſmenſi datur Theminius Legati auctoritate, Caſtrametatoribus Bourguio Leſpinaſſço, & Contenantio.

Mareſcallus Sangeranus delatam ſibi præfecturã abdicat.

Subſtituitur illi Dux Engoliſmenſis.

Du-bourg Leſpinaſſe. Contenant.

Ex

Ex aduerso, Aquitaniç vlterioris Duci Ellebouio Lotharingo Principi præfectura incumbit; non nisi quatuor legionariorum millibus: Castrametatoribus Vigniolio, Lausuno, Bourdelio & Cursono; quibus postmodùm ad celebrem Toneinsij obsidionem ascripti Cornussonus, Vicinus ab Ambra, & Arpajonus. At hæc suo infrà loco.

Duci Ellebouio Aquitania vlterior obtingit.

Vignoles. Lausun. Bourdeilles. Curson. Toneins Cornusson. Voisins d'Ambres. Arpajon.

His in hunc modum præscriptis, frigora inter & glacies Rex Lutetiam properat.

Sectarij perduelles, quos Rex vix integro semestri L. ad minùs vrbibus in Aquitaniâ destituerat, vt vnum illis superesset eâ prouinciâ Montalbanum, Regijs segniter hybernantibus, neque dearmatis ex iussu captarum vrbium oppidanis, de intercipiendis ijs consilium capiunt. Montalbano adiacent Nigrapelissa & Burniquellum; tacitâ in vtrumque factione signa conuerti placuit. monentur Sectarij oppidani, adfuturos postridiè nocte intempesta liberatores; si arma deforent, starent ad murum vigiles, sin obsisteret pręsidiariorum solertia, propinato largiùs mero infunderent caliginem oculis, vniuersâque rerum in vino obliuione, fraudis suspicionem auerterent. Res ita habuit, appetente nocte propinantibus oppidanis, præsidiarij liberiùs indulgent genio, vt effusam ciuium liberalitatem demirarentur, qui sponte, vltróque offerrent, quod antè vis vna extorquebat. Vigniaucio datum id negotij, Sectarijs ex voto cadit: Nigræpelissæ, somno, vinóque sepultis Regiorum vigilibus, infelix Valiaci cohors ad internecionem iugulatur. Burniquelli non adeò Sectarijs expeditio feliciter cedit: quippe

Nigrapelissa & Burniquellum à Sectarijs intercipiuntur.

Burniquelli castrum validè obsistit.

interceptâ vrbe præsidiarij, in arcem se recipiunt, Vigniauciúmque strenuè propulsant donec Engolismensis in subsidium adfuit. Hîc mendacij simul & impudentiæ postulari necessum est, qui Matthæi nomine, eo tempore fato functi, expeditionem nobis regiam Gallicè exarauit, qui perfrictâ fronte loquentem inducens, qui iam antè obierat, intercepta à Vigniaucio vrbem, castrúmque mentitur, cùm re verâ castrum ad extrema validè obstiterit. rem paulò altiùs repetamus. Vi-gnauc.

Engolismensis in subsidium adest. Engolismensis vbi ab hoste vrbes interceptas agnouit, re in militare consilium districtè relatâ, in Burniquellum signa conuertere statuit, positâ scilicet in plano eâ obsidione, castróque adhuc prohibente hostem: atenim, desertis magnâ ex parte signis, rarioribúsque, quàm ad eam obsidionem par esset ordinibus, citari Pibracium placuit, qui lectâ recèns mille & ducentorum hominum cohorte, Maliuicini hybernabat. Ille haud segniter, quò ab Engolismense iussum, nocte, interdiúque eâ frigoris intemperie pergere, vt transuadato mediâ glacie Tarno legionarij tres secundùm viam frigore obriguerint, vt immobili ad glaciem vestigio dixisses statuas. Postridie Burniquellum venit, iussúsque suburbium muris adiacens occupare, diutino illud prælio expugnauit, desideratis legionariorum circiter IV. Ardosióque præfecto, viro clarissimo, qui nuper à Caluinismo ad fidem Catholicam conuersus ingenti in Sectarios odio ferebatur. *Pibracius aduolat.* Pibrac. Mauuoisin. *Occisus Ardosius.*

Hosti suprà fidem noxia erat indesinens Regiorum ab arce displosio; atenim deficiente commea-

tu nihil eius deditio protelari poterat, nî rupis inaccessa, militibus L. ducentísque panibus præfectus Vlmodæus superasset; quamquam ducentis legionarijs, leuiore non nisi ducentorum panum subsidio, Iustarretus Pibracex cohortis præfectus, per abrupta, viam delectæ manui, commeatuíque molitur, vt iam nihil eâ parte Regijs timendum foret. Desperatâ Rebelles castri deditione, conseruandæ vrbis spem abdicant. Datur mutua habendo colloquio fides, diéque ab obsidione decimoquinto saluâ vitâ, impedimentis, datóque Nigrampelissam commeatu Vigniaucius præsidiarijs CCC. vrbe absistit. Obsidioni, Regiorum præfuere Engolismensis, Theminiúsque, Castrametatore Contenantio, cohortibus Picardiæ, Chapesij, Pibracij, Mommoranciúque Hierosolymitani equitis.

In castrum commeatus inducitur.

l'Oulmede. Iustarret.

Vrbs deditur.

Contenant. Picardie. Chapes. Pibrac.

Post confectam in hunc modum expeditionem, hybernacula legionibus distribuuntur, Dúxque Engolismensis & Theminius Cadurcos hybernaturi petunt. Per idem tempus Oruallus Comes, vir audax Carlusio, Sauiniaco, & Veyriero comitibus, Figiacum venit, vrbs est ad Cadurcensem agrum Catholicis mixtim, & Sectarijs oppidanis, æquali rebus administrandis potestate; nisi quòd validissimam arcem, vrbis dominam Sectariorum Rebellium præsidium habebat, præfecto Suillio: legionariorũ Oruallo mille supra ducẽtos, Alariorũ trecenti merebant. nec mora, actis in vincula Catholicis, à quibus redemptionis aliquid sperabatur, pelluntur reliqui; exin ferro & flammâ vastatur solũ adiacens. Suillius inter hæc, qui caninâ plusquàm impudentiâ

Oruallus Figiacum venit.

Charlus. Sauiniac. Veyrieres. Figeac.

Malè habitis Catholicis oppidanis.

Suillij commentum.

fidem Regi mentiebatur, ad Marescallum Theminium scribere, multáque de Oruallo filio questus, eius se captiuum imponere, penè actum in vincula nihil habere residuæ potestatis, quò oppidani Catholici restituerentur in integrum. Deberi vltorem parricidio, quem si à Theminio sperare dabitur, paratum se vt Vxelloduno, Figiaco, reliquísque arcibus cedat: enimuerò ludicra hæc, vt docebit nos historiæ series.

Alariorum ordo ab Oruallo opprimitur.

Ad secundum Figiaco milliare laxioribus hybernabat excubijs Engolismensis Alariorum ordo primarius: pagus erat Lissaci nomine, non nisi claustris Lissac. quà hosti patebat via, munitus: intercepti vigiles, improuiso ad subitam displosionem strepitu alarios excitant, illi pars nudi, pars tumultuariò loricati accurrere; at leui Regiorum præsidio crebrescente numero, audaciâque Rebellium, cæsis plerisque reliquis in fugam actis, prædâ, locóque Oruallo ceditur.

Pibracius illi obsistere iubetur.

Sistendis Oruallì incursionibus, iubetur Pibracius, qui positis ad fanum Antonini mapalibus eà parte statuerat hyberna, cohorte suà instare hosti, distributis militi suo ad Figiaci, Vxelloduni, Caiarci & Cardalliaci ambitum stationibus; data illi dehinc Meruillij Alariorum turma expedita, cuius præsidio pleraque in decursu historiæ gloriosè patrabit: exin Marescallus Theminius Moissacum venit.

Figeac. Caddenac. Caiarc. Cardaillac.

CAPVT IV.

EPITOME.

Parlamento Burdigalensi æquandorum solo Clairaci muniminum prouincia à Rege incumbit. A Lesiniano intercipitur Clairacum. Ducæus Senator capitur. Proditione Lachenaij Royanum delusoriâ oppugnatione expugnatur. Lachenayus in vincula agitur. Vicius Procancellarius renuntiatur. Regis ad Reginam parentem literæ. Forceus & Theobonus subsidiarijs copijs aucti Elleboüio facessunt negotium. Rex Lutetiæ magno populi applausu, cultúque singulari excipitur. Luynæi præfecturæ varijs distributæ. Quillebouium dirutum. Ambianum Luynæi filio quamquam infanti conseruatum. Lesdiguerius Rebelles in Delphinatu in obsequium retrahit. Ad Vaurensem agrum ingenti clade affecti Montalbanenses.

INTEREA ad Aquitaniæ vlterioris, Pictonúmque confinia, nihil tacitis factionibus non mouebant Rebelles, quò expugnatas nuper à Rege vrbes, in ditionem suam retraherent: quas inter, Clairacum, non à Forceo, vt imposuit Mercurius mendax, sed à Lesiniano eodem circiter tempore intercipitur; proditionem paulò altiùs repetamus.

Statim à Clairaci deditione, Burdigalensi Parla-

Demandata Senatus Burdigalensi æquandorum Claraci muniminum prouincia.

mento æquandorum solo muuiminum munere à Rege delato, demandatâ Duçeo senatori eâ prouinciâ segniter labori incumbitur, quódque mali extremum est, versi in luxum, & segnes prædarum opulentiâ milites, lasciuiâ stationes omittere assueti, somno, vinóque procumbunt; vnde Lesinianus, Castro ad vrbis viciniam sito, nihil addubitauit, quin leuiori periculo præsidiarij vigiles intercipi possent. Lectis ergò inter noctis obscura prouincialibus ijs, quorum adhuc nutabat fides, primò secretum aperire; dehinc vt in facili negotium erat proponere, sibi fidum magníque animi Clairacensem oppidanum præpotentem in vrbe, cuiúsque ædes muris adiaceant, fidem in præclarum id facinus obstrinxisse; aperiendum præstitutâ die, ad vrbis fossam foramen, quantùm satis esset intromittendo homini, suggressos liberatores, vacuas sensim ædes subituros, nullâque Regiorum suspicione vrbem exin occupandam. Ad hæc iureiurando adacti omnes, concubiâ nocte quà designatum iter intrepidè pergere; exin mille legionariorum expedita cohors in fossam deuoluta, foramine medio in vrbem penetrare, dum oppidani Sectarij, præsidiariorum hospitem quisque suum in strato iugulant. Regij vigiles ad arma clamare; perrumpere ex aduerso, cohorte sua Lesinianus, vt leuiore Regiorum conamine occupatâ vrbe, ceciderit presidiaria cohors, Ducæo, à quo opima redemptio sperabatur, acto in vincula. Ibi Maluaisium Societatis Iesu memorant magnâ inter cruciatus constantiâ dilaniatum, quam bello nihil politico, spontaneam moriendi ratio-

Le Duc.

Lesinian.

Lesinianus intercipiendi Claraci auctor.

Proditionis modus.

Vrbs intercipitur.

Agitur in vincula Ducæus.

Maluais.

Dilaniatur Iesuita.

nem in martyrium flexisse plerisque placuit, vno scilicet religionis odio, dilacerato sacerdote.

Eodem fere tempore Lachenaij præfecti proditione Royanum maritima vrbs, magníque momenti, & nominis intercipitur. rem ita gestam memorant.

Royan.

Statim à Lachenaij spontaneâ deditione Rex, quamquam Sectario, Royani præfecturam ei saluam habuerat. ille parum beneficij, fideíque memor, ne Rebellionis auctor propalàm haberetur, tacitâ cum Rupellanis factione paciscitur; conuentâ deditione Soubisius Rupellâ soluit, admotísque vrbi legionarijs bis mille, scalas tumultuariò muris accommodat. ibi non nisi delusoriâ vtrimque displosione, vanis ictibus capta ascensu munimenta; nudatáque exin propugnatoribus muri non ægrè superantur, vt vrbs desiderato nemine Rebellium subierit legem. Expugnatâ vrbe in arcem decurritur, quæ item à ludicro prælio statim dedita. Proditionis suspicionem auxit, quòd Lachenayus minor Lachenaij præfecti primarij legatus, pactâ in speciem deditionis lege, præfectus arcis proclamatur, ídque fratre destituto, qui tunc consultò aberat. Actum id vnâ Lachenaij proditione, consilium defectionis improbantibus oppidanis, qui tamen eò inclinare videbantur, cùm prohibere non possent. Nihil moratus Lachenayus maior, citatis ad Regem equis accurrere, proditionísque pœnas repos- cens, præfecturâ destitutum se queri, non aliâ quàm præstiti Regi obsequij caussâ. Rex nihil cunctatus perduellem in vincula agi iubet, iudicésq; co-

La Chesnaye.

Quâ perfidiâ Royanum interceptum fuerit.

Lachenayus habitus proditionis auctor.

In vincula agitur.

gnitione extraordinariâ inquirendæ proditioni delegat.

Paucis ab hinc diebus tentata in Mornacum Castrum à Rupellanis expeditio, Burdigalensium industriâ, præcipitíque ope, illis excidio vertit, quâ expeditione laudatam memini Senatus Burdigalensis virtutem, qui mutatis in cassides pileolis, humeralibúsque in balteos, militiæ passim Senatores suos præfecit. Mornac

Gallia sex mensibus sine Procancellario fuit. Totum iam semestre destituta Procancellario Gallia minùs feliciter exegerat, iuráque & leges pessum ire lugebant, quos florentis alioquin imperij infortunia tangunt, quando eius excessu, qui sigilla nuper sibi impudenter ascripserat, funerato Comestabili insimul, & Procancellario, restituitur primo decori toga, habitaque vnâ cooptationis in sanctiore Regis Consilio ratione (quamquam multorum iudicio restitui Cancellarius pristinæ sigillorum præfecturæ debuerat) placuit Procancellarium eligi, qui ceteris ætate, longioréque rerum experientiâ anteiret. Vicius ille, vir sapiens, vnâque prægrauis annorũ serie, ingenio sagaci magè, quàm expedito. *Vicius veteranus in consilio Regis Procancellarius renunciatur.* De Vic.

Regis ad Reginam parentem codicills. Paulò pòst Burdigala Rex parentem Reginam codicillis hortatur, præsentia suâ consiliísque salutaribus, quibus administrata olim feliciùs Gallia, filio Regi adesse velit; notam Galliæ plusquàm dici possit prudentissimæ principis fidem, sagacitatem, publicísque fluctuantis identidem regni negotijs vigilantiam, optatum à se diutiùs daretur intima gratulatione matrem carissimam amplexari: iter indictum Lutetiam quò si in occursum accurreret renouandos

renouandos affectus, naturâque feliciùs auſpice, communicandam regni adminiſtrationem. Monhurtium à ſe expugnatum, intercepta recèns proditione Rebellium Clairacum, Royanúmque; at leuia hæc, vbi apertiùs protegendo Eccleſiæ primogenito cœlum armabatur. Dilatas in ver proximum expeditiones, quando ità ordinauit Deus, vt debitam deliciis adoleſcentiam tubarum clangoribus, periculíſque glorioſiùs exigat. Nihil ad hæc Regina parens Lutetiam pergere diſtulit, vbi magno omnium applauſu, Luynæi memoriâ non niſi in publicum populi Pariſienſis odium renouatâ, aurei amœnitatem ſæculi inducere viſa eſt. *Lutetiam Regina venit.*

Ellebouius interim ad vlteriorem Aquitaniam auctoritatis Regiæ vindex, Forcæi, Theoboníque factiones opprimebat; quamquam poſt debellatum nuper à Rege Monhurtium, obſidionis reliquias, Marchionem Mirambellũ, Caſteſium, quingentóſque legionarios copijs illi ſuis aſcripſerant, vnde ſupra ducentos mille pedites, trecenti alarij. Nihil ea acie quamquam leui, viris audacibus intentatum, quibus ſupra Ellebouium id pręcipuum erat, quòd natali ſolo leuioribus bellum impenſis, certâque circumiacentis plagæ notitiâ gerebatur. At hæc infra. ſoluentem interim Burdigala Regem aſſequamur, qui hinc Blauiam, Blauiâ Engoliſmam venit: illi eò loci expeditiſſimâ frequentíque nobiliũ manu Condæus Princeps in occurſum adeſt. Engoliſmâ Pictauium itur. ibi Comiti Rupifulcaudio proprætoria Pictonum præfectura cedit, deſtituto in perduellionis pœnam Rohanæo. Laudatum hîc

Theobon. *Ellebouio negotium faceſſunt Theobonius & Forcæus.* *Blâye.* *Angoulesme.* *Poictiers.* *La Rochefoncaud.* *Rex Engoliſmam venit.*

à Rege commendatione publicâ memorant Espernonium quòd leuiore exercitu, & Rupellanos vtrâque messe destituisset, & cladibus sæpiùs nullâ suorum iacturâ affecisset. Pictauio Turones ventũ, ibi (namque inlatum iam antè Luynæi cadauer) cõdigno felicissimi olim hominis reliquiȩ infelices honore donantur, supremúmque conclamatus Malliacum inuehitur, vbi etiamnùm hodie iacet. Hinc Nauarræa cohors Salmuriam subit, vrbem magni momenti, quam tacitis Rupella factionibus intercептura timebatur; Turonibus Blæsas, Blæsis Aureliam, Aureliâ Rex Lutetiam venit, vbi magnifico apparatu excipitur in hunc modum.

Supremo donatus honore Luynaeus. — Mallié. — Saumur — Tours. Blois. Orleans Paris. — *Lutetiam ventum.*

Duodecim legionariorum millia ad pagum Rubeimontis duobus ab vrbe milliaribus in quadra militaria distribuuntur, ibi quidquid Lutetia pretiosi habet; gemmæ, armillæ, vniones; quidquid splendidi, sericum, segmenta filis argenteis passim, & aureis intertexta, ceteráque id genus repercussis opportunè radijs eâ maiestate fulgebant, vt demissos totidem è cœlo soles diceres. Rex ad populi conspectũ gratissimi, rhedâ desiliens, seu prospectandorũ agminũ; seu se populo Parisiensi exhibendi animus erat, magnâ alacritate adequitare; hinc, subiturus vrbem, à Memmio Præside, mercatorũ Præposito excipi, dum ad suburbium sancti Iacobi XXX. machinæ murales disploduntur, artificij ignibus illustrantibus noctem. Regi ad latera equitabant D. Gasto Borbonius, Condæus, Suessionensis Galliȩ Principes, Ioinuillius, Vindocinensis, Mombasonius, primorúmque non pauci: donec ad Virginis

Magno Rex apparatu exceptus. — Montrouge. — *Rheda desilit.* — De mesmes Preuost des marchands. — *Principes illi comites.* — Condé. Soissós. Ioinuille. Vendosme. Mombason.

Rets. Rochefoucaud. Deiparæ Metropolim Ecclesiam Radesiano Parisiensi Episcopo, Rupifulcaudióque Cardinalibus, magnâ populi acclamatione excipitur, vnde exin post decantatum de more DD. Ambrosij & Augustini hymnum, regio palatio succeditur, vbi reducem Regina maritum, Parlamentum protectorem, populus patrem incredibili applausu salutant.

Luynai præfecturæ distribuuntur. Supererat à Luynęi excessu id vnum; substituerentur rectores vrbibus, quas ille regiâ diu munificentiâ administrauerat. Calais. Icciæ arci, quam hodie Caletũ dicimus, maximi ad Britannicum mare momenti præficitur Palliassæus; Bolongne. Bononiæ non procul inde Aumõt. Aumontius; Farę Bellimontius; intereà dum Quillebeuf. *Quillebouium diruitur.* Quillebouium arx munitissima, quia procul à Galliæ orâ Lafaire. in regni excidium non nisi mutuis Gallorũ dissidijs Beaumont. assurgebat æquatur solo, quam item sibi cũ reliquis Luynæus ascripserat. Luynæi filio, adhuc in cunis Amiens *Ambiani Luynai filio conseruatur.* Ambianum in Picardia creditur, dato illi Legati nomine Caddenet. patruo Caddeneto, vbi asseruari Luynæi thesauros inualuit rumor. Neque hîc prætermitti debeat, quòd qui à secretis Luynæo erat, dum viueret, eodẽ tempore Lutetiæ in vincula actus est, pluribus in eum postulatio bus, quarum præcipua peculatus erat; quamquam dehinc seu gratiâ, seu quòd reuerâ innocens erat, dimissus est.

Lesdiguerius in Delphinatum properat. Ab obsidione Montalbanâ Lesdiguerium, sistendis Mom-brun. Mombruni incursionibus, in Delphinatũ à Rege missum suprà retulimus. Magno ille Catholicorum exceptus gaudio, in Mombrunum, quem à Rebellione generum diffitebatur, cuíque filiam vxorem politico diuortio subduxerat, arma

conuertit, imò & quâ pollet apud prouinciales auctoritate dilapsis hinc inde Rebellibus Mombrunum, ne pugnam quidem ausum opprimebat, nî se ille subiturum ex placito Regis imperia literis monuisset. Atenim extirpandæ penitùs in prouinciâ Rebellioni, Sectariorum Synodum Diæ coïre iubet, vbi post habitam de obsequio Regi debito fusè orationem, sacramento solemni fidem omnium astrixit publicâ Comitiorum Rupellanorum abdicatione, Catholicos Sectarijs, Sectariósque Catholicis, datâ inuicem fide coniungens. His ita gestis, ne quis exin ignorationem prætenderet ordinationem propria manu obsignatam, DELPHINIQVE cęlatam sigillo promulgari iubet, quâ, nullâ exceptione morti addicebantur, qui in armis prouinciam circumirent; exin gratissimâ Delphinatus pace potitus est; nisi quòd Blaconsius, vt narrabimus infrà, ad Rhodani ripam prædonem aliquandiu egit. Vnde non mediocri laude donatus Lesdiguerius, cuius immensam in Delphinatu potestatem agnouere olim Reges nostri, expertúsque est eo tempore LVDOVICVS; seu triginta annorum spatio ius in prouinciâ omne præscripserit, seu (quod malim) ità prouinciæ genius est, vt eam Proreges iure summo administrent ipsíque Parlamēto præfecti, eorum quoque nomine (quod inauditum alibi) pronuntientur Curiæ placita. Sed hæc parerga, redeo ad rem.

His eo modo in Delphinatu gestis, ad Galliam Narbonensem Vaurensi agro, magnâ clade à Vaurensibus oppidanis Montalbani Rebelles afficiun-

Rebellione suffocata.

Synodum coïre iubet.

Die.

Dauphin.

Blacons

Rhosne

Potens supra fidem in Delphinatu Lesdiguerius.

Ad Vaurēsem agrum ingenti clade affecti Montalbanenses.

La Vaur

tur, res ità contigit. Montalbanenses iamdiu annona defecerat, quo factum, vt præsidiarij corrosis ad intima præcordia oppidanis, vbi nihil ad esum superabat, præcipiti Ianuario, pars Antoninianum, Amilianum, pars Fuxensem agrum, pars Castrum Albigense non nisi in solatium vitæ petierint; adeò diuturnior illos obsidio malè affecerat. Ianuarij ergo XXI. trecenti legionarij appetente nocte Vaurensem agrum ingressi, quia frigore obriguerant excitato mediâ planitie igne, produnt seipsos. Nec morâ monitus Gachapellus primus Vauri Consul, legere ducentos circiter oppidanos, quibus pons, quà hosti transitus, occupatur. Appetente luce adesse Rebelles, relatóque ab excursoribus interceptum pontem, vbi neque progredi, nec regredi datur, desertam mediâ viâ domum Aurini nomine insident, tormentariísque ad angulos fenestris apertis, obsidionem pati velle simulant. nihil moratus Regiorum præfectus domum circumstare, leuioréque damno admotis muro legionariis suis, tripartitam oppugnationem indicere; occlusis foribus, plerique in tectum euadunt, quo lateribus destituto nihil morantur ignem. Obsessi ad hæc desperatâ salute, deditionis legem exposcere, Regij inexorabiles vrgere pertinaciter, cùm Durfortius cohortis præfectus erumpens Gachapelli misericordiam subiturus, ne Catholicus intereà miles quid in eum tentaret, in eius amplexum proruit, quod illi in momento excidio fuit: quippe Regij vbi præfectum suum hostis amplexibus implicitum vident, rati aduerso pugione transfossum, sclopos in am-

S. Antonin. Millau. Foix. Castres. La Vaur Gachapel. Aurin.

Rebelles leges deditionis flagitant.

Durfort *Durfortius occiditur.*

plexantem displodunt plusquàm centum, vt confossus penè vulneribus totidem Gachapellum prægraui in terram pondere egerit, illæsum alioquin, quod sanè portento dari potuit. Renouatâ exin miles audacia, aduersa ad limen claustra perrumpit, nullâque misericordiâ imbelles, qui iam antè arma abdicârant trucidat. Rebellium cæsi ducenti supra, XXX. vt ne victores quidem cæsorum numerum assequerentur, capti XXII. quos inter Pascaletus, quem sępius in obsidione Montalbanensi memorauimus suprà, centuriæ præfectus, Lacassanięus, Rebouliúsque præfecti item, Ratus, Hortesiúsque legati, Magnauillæus primarius signifer, Cattæus item signifer. Cæsorum præcipui Durfortius cohortis præfectus, Polus, Rebouliúsque legati. Royus signifer, primipili quatuor, nobiliúmque complures; signa quatuor Regijs in victoriæ monimentum cessere, quæ inter, primarium (COLONELLVM vocant) appensa illa ad Episcopalem Vauri Ecclesiam, vbi etiamnum hodiè prostant. Regiorum eo prælio non nisi VII. desiderati. Hîc se item mendacem prodidit Mercurius noster, dum Vicinum ab Ambrâ imponit præclaræ huius expeditionis auctorem, qui bello distentus alibi, hinc longiùs eo tempore aberat.

Cæsorum Rebellium numerus.

Capta hostium signa in triumphũ ad Ecclesiam appensa.

Gachapel. Pascalet. Lacassagne. Rat. Hortés. Lagranuille. Carte. Polus. Reboul. Le Roy. La Vaur. Voisins d'Ambres.

Redeamus in Aquitaniam vlteriorem, vbi secundùm hyemis asperioris frigora Ellebouio Duci vniuersum Gallici belli pondus incumbit, torpentibus alibi ad hybernacula sua militibus.

CAPVT V.

EPITOME.

Ellebouius Durasio intercepto in Marchionem Forcæum signa conuertit. Forcæum castrū obsidetur. instructâ acie dimicatur. victoria diu incerta in Regios tandem inclinat. Bordelius Forcæo Ellebouij iras deprecatur. Castro ad enixas nobilium preces parcitur. Gallicæ nobilitatis indoles pessima. Catholici à Sectarijs malè in Galliâ Narbonensi habiti. Soubisius plagam Oceani deprædatur. Captus à Sansurino Humierus magnificè habitus sinè redemptione liber dimittitur.

d'Elbeuf. Duras



VX Ellebouius, Durasio ad Petragoricum agrum intercepto, mille Pedemontanæ cohortis legionarios, loco percommodo in stationem locat, nempe fatigando hosti, qui non longè hinc aberat; Monseguti interim hybernabat, cùm nuncius præcipiti Ianuario monet Marchionem Forcæum transuadato Duranio, fano Fidei copias suas in Petragoricum agrum ductare: nihil cunctatus ille, iussis morari Griniauti, Ribeiracíque cohortibus, residuis in hostem copijs fertur. Legionarijs mille, quingentis equitibus Forcæo venerat in occursum, cùm ille haud prælium ausus, qui honori minùs inhiabat quàm prædæ, quæsito effugio euadit. Ellebouius Bergeracum

Ellebouius Durasium intercipit.

Monsegut.

Dordogne.

In Marchionem Forcæum arma conuertit.

Griniaut. Ribeirac.

Bergeracū venit.

non procul ab hostibus opportunè subit, hybernísque ex temporis necessitate militi distributis, prælij occasionem captat.

Bordelij cohors.

Bordelius interim, vir eâ prouinciâ magni nominis, mille legionarijs Regis copias auget; frequentibúsque passim ex agro circumadiacenti ad Elleboũium nuntijs, quibus ferro & flammâ impunè grassari hostem monebatur, prædonibúsque Forcæum Castrum asylo esse, de arce obsidendâ (quamquam minùs opportuno tempore) consilium capit. Nec mora, moniti prouinciæ nobiles turmatim adesse, haberi legionariorum delectum, ne debito arces Regiæ præsidio destituerentur, eligi è Cursoni cohorte sexcentos, Lausuni quingentos, Ramburij trecentos, Pedemontana quingentos, quibus ascriptâ trecentorum alariorum phalange, procuratísque ex æquo tormentis, obsidetur pridie Kalend. Februar. Castrum. Nec diu cùm displosa tormenta ruinam aperiunt: iámque in oppugnationem miles ruebat, cùm inclinato ad occasum sole Forcæus, non procul à castris, non nisi C C. legionarijs, alariísque circiter X X X. detegitur; consultò gestum, quò in dispositas à tergo insidias Regij victoriâ læti, dum fugientem assequi vellent, inciderent. Exploratores hosti agnoscendo præmissi, legionem referunt sylua adiacenti latere, quam ad latus, instructus equitum ordo sustineat. Re in consilium districtè relatâ, præualuit Ellebouij sententia, quæ audaciùs in prælij instructi aleam inclinabat; atenim ne à præsidiariorum eruptione Regijs periculum à tergo immineret, cohortem eâ parte in armis stare iuber,

Bor-dedles.

Capttum de obsidendo Forcæo Castro consilium.

Curson. Lausun. Rambures. Pied-mont.

Detecta hostium insidia.

iubet, progreditúrque ipſe Bordelio, Lauſuno, Curſonóque Caſtrametatoribus. *Hoſtium cantus.*

Prouecta nox erat, cùm repentè inconcinnæ canentium voces, intempeſtiuo ſtrepitu Regiorum aures percutiunt, anxiíſque, quídnam hic cantus lætitiæ proderet, explorator accinctum prælio hoſtem referre, qui de more pugnam initurus præcineret. Ad hæc imperator vix ſui præ gaudio compos circumequitare inſtructa iam agmina, hortari innatâ viris magnis virtute capeſſerent prælium, puerorum eſſe terriculamenta eiuſmodi cantus, cygnæam vocem, quæ in extremis deprecaretur mortem, raros hoſtium ordines, eneruem audaciam, quódque omnibus præualet, cauſam iniuſtam. illis neſcio quo fato id eſſe innatum, quando muris teguntur vtcumque ſtrenuè dimicent, vbi apertâ planitie conſerenda manus, fatiſcant. Is militum ardor verba ducis ſequebatur, itâ ſe in momento ad pugnam expedierat vetus miles, vt victoriæ certus imperator pugnæ ſignum dederit; acies, quamquam auidè prælium appetebant, gradu immotæ, & anguſtias loci pro munimento retinentes, poſtquàm propiùs ſuggreſſus hoſtis certo iactu ſclopos exhauſerat, in cuneum magnâ alacritate prorumpunt; turbatóque ingenti clamore ſilentio noctis, alarij quidquid ſepſerat aditus perrumpunt valentiore equorum niſu. Enimverò quia malignè prænitens Luna vix noctis auertebat horrorem, indicti magnâ roborum copiâ ignes, quaſi buſtuarijs pyris, hoſtium præuertentibus funus. Vacillauere diu Rambutij, Pedemontiíque cohortes; quibus primũ *Ellebouius milites accendit ad prælium.* *Conſeritur manus.* *Excitati nocte media ignes.*

cornu obtigerat; præpostero quippe militiæ ordine hostis, seu primâ fronte terrendis Regijs, seu quòd aliunde ità ex loci genio videbatur, triarios primùm erupturos primâ locarat acie, quod Regijs incautis exitio penè fuit. Iam sclopi defecerant, initâque cominùs pugnâ hasta in hastam, in mucronem mucro ferebatur; permixti confusis ordinibus Regij, & Rebelles, incerta sibi mutuò vulnera inferunt obscurâ Lunæ, igniúmque luce: si quem ad tesseram memoria deficit, vno hoc indicio proditus hostis, à suismet trucidatur. Perennantur vulnera nouis hinc inde militum delectibus rediuiua; iactura tamen æqualis vtrimque, vtrimque Mars æquus.

Vacillant Regij.

A Regijs tormentis strages magna.

Assurgebat haud procul mediâ arenâ monticellus, quo Ellebouius tormenta ità disposuerat, vt clauis, catenis ferreis, plumbeísque glandibus referta stragem ingentem ederent: at nec ideò hostem deficiebant vires: quippe vbi de summa rerum agitur, omnium diribitrix necessitas etiam imbellibus animos addit. libertatem miles, bona, & vitam; Forcæus supellectilem, fortunam, carissimúmque sibi Forcæum Castrum tuebantur.

Ellebonius suos accendit.

Ellebouius interim aciebus suis adequitare, gestu, voce, quódque magis imperatorem deceat, exemplo ad pugnam accendere, dubios placidâ oratione firmare; fugaces minis, ferróque retrahere ad periculum. Appetente luce magnâ hincinde strage non nisi Cadmæa victoria sperabatur; cùm Ellebouius Bordelij cohortem, Sayaníque alarios coactiuarum agmen in hostem emittit, quorum alacritas procedû p[illegible] prœlium, vbi defossum hostem

Fugatur hostis.

adoritur, sternit leui conamine obuium; donec ad nouum regiorum subsidium desperatâ salute hostis faciliori per rupiũ auia effugio, terga præbuit. Haud locorum ignaris erat in facili fuga, assurgẽtibus hinc inde collibus asperis, quos dumeta adeò sepserant, vt per inaccessa abreptos insequi arduum, imò periculosum foret: vnde leuior hostiũ strages, quos alioquin Regij ad internecionem deleuerant. Illustris ea victoria fuit, magè hostium pertinaciâ, quàm cæsorum numero; quippe diutino horarum VI. prælio, vix supra ducentos quinquaginta occisi; Regiorum sauciatis pluribus, pauci desiderati.

Iactura Rebellium.

Iam nihil addubitabatur, quin, redeuntibus ad castri oppugnationem militibus triumpho lætis, cederent ne ausi quidem propugnare Rebelles: patebat namque à tormentis ruina quantùm expugnationi satis; cùm Bordelius, in cuius virtute & animo magnum rebus gerendis momentum erat, frequenti Nobilium manu stipatus, Ellebouium in hæc verba compellat.

Bordelius Ellebouij iras Forcæo deprecatur.

Ad manum illi in præsentiarum esse, quo prouinciæ nobiles, etiam Catholicos immensâ sibi gratiâ deuinciat. Leonem, qui magnitudinem animi exprimit, prostrato hoste aspernari victoriam; quasi inglorium sit triumphantis iras deprecantem, cedentémque victoriâ opprimere, qui si vixerit vnâ victoris gratiâ spirans, eius quotidie triumphos vitâ vnâ, quam se illi debere profitebitur, renouabit, gratiámque referet vbi dabitur: eam hodiernâ die Forcæi sortem esse, vt proprio damno expertus quàm sit arduum eos cominùs aggredi, ad

quorum vbique pedes lauri, vbique palmæ assurgunt, victoris misericordiam, si quæ in armis pietas, imploret; quidquid prostrato hoste honoris, quidquid ab eius ruina laudis sperari potest, iam abundè reportatū. Fusum instructâ acie hostem expugnatū Castrum, quod nec diffiteatur Forcęus ipse in extremis agens; superesse id vnum, nobilissimi præda castelli fiat militum auaritiæ satis, quod non Forcææ familiæ modò; sed & prouinciæ nobilitati luctuosum erit. Antiquam ea prouinciâ domum, quam publicæ vtilitati intersit præstari à deprædatione incolumem; ita rerum habere ordinem, quæ cœlo subiacent, vt qui Rebellis hodie, aut futurus sit postmodùm Regi addictissimus, aut tales habiturus nepotes: nec extrema in excidium hostis lege militari tentanda, nisi cùm in exteros bellum. Parcendum vrbibus, Castrísque Nobilium, vastando alioquin breuiùs quàm dici possit etiam florentissimo regno, destituendísque nobilitatę suâ prouincijs. Ceterùm paratū esse Forcæum, vt fide, vitâque imposterum melioribus, rebellionem diluat, propriâque ipsius manu obsignatam schedam, quâ fidem astringebat depositurum Rebellionis protectionem Castrum, bellóque ciuili in neutram partem inclinaturum. Nihil à Sectarijs suprà, Regem exposcere; enimuerò si diutinâ perduellione Forcæus indignus habetur, in quem habitâ eius ratione id beneficij conferatur, adesse prouolutam imperatoris sui genibus Petragorici agri nobilitatem, quæ, si quid in victoriam recenti prælio contulit, (quod leue sit, vbi laus vna imperatoris virtuti debeatur) Petrigord.

non aliam rei bene gestę remunerationem exposcit, quàm Forcæi Castri incolumitatem, quàm si impetrarint enixæ preces, futuros se in gratiam beneficij ad extrema inuictissimo Principi mancipatos.

Heic Lotharingus Princeps, quamquam oppugnationem indixerat; Nihil obluctari se, inquit, virorum illustrium precibus: indignum sanè Forcæum, qui eam à Rege gratiam obtineret, qui Henrico olim IV. nominibus penè innumeris deuinctus debuerat à factionibus in successorem filium immunis esse. indignum item tot præclaris intercessoribus eum, qui nihil ingenui, nihil excelsi præferat; concedi tamen virorū illustrium petitionibus, quod non nisi Forcæo negari poterat; attamen eâ conditione, vt si, cui nunc parcitur Castrū, Rebellioni postmodùm refugio esse prodetur, non aliâ causæ cognitione in flammas abeat. Diruta exin munimenta, quæ firmauerant arcem.

Elibeufi responsum.

Parcitur Castro.

Ibi ex occasione notari velim pessimam Gallicæ nobilitatis indolem, quæ, vulgò cōtra armorū ordinē, non nisi ęgrè sibi mutuò bellū inferre amat, vitæ nobilium, ædibúsque parcens, seu contra ius gentium innatâ clementiâ, seu paris aliquādo infortunij timore, quo scilicet parem expectat gratiam. Non ità Hispani nobiles, qui belli sibi legem Regis arbitrio dicunt: non ità apud nosmet Sectarij, qui ferro & flammâ planitiem, castra, vrbésque ipsas vastant non alio, quàm religionis delectu: quod ipsum eodem fermè tempore in Gallia Narbonensi citeriore maximè patuit, vbi crudelitate plusquàm tyrannicâ Catholici oppidani in dies munimentorum

Gallicæ nobilitatis pessima indoles.

Catholici à Sectarijs malè habiti. operi adigebantur, vt eorum ope assurgerent, quæ Religioni Catholicæ fatalia timebantur.

Rohanæus Montempessulanum venit. Ineunte Februario anni à reparatâ salute M. DC.XXII. Rohanæus Galliam Narbonensem citeriorem oberrans, Montempessulanum venit, vbi nihil detrectatis honoribus, qui vni Regi debeantur, augustalem vmbulam subit, populísque magno lætitiæ indicio acclamationes in ea verba excipit; VIVANT ECCLESIÆ, ET ROHANÆVS. At morâ breuior; Montepessulano quippe firmandæ Rebellioni Nemausum; Nemauso, Vticam; hinc Alesium, Alesio in Viuariensem prouinciam itur, prout audierat vacillare vrbes. Hæc in Gallia Narbonensi. *Mompellier. Nismes. Vsez. Alés. Viuarez.*

Soubisius plagam Oceani vastat. Intereà Soubisius ad Aquitaniæ vlterioris confinia, quà Garumna fluuius Oceanum subit, maritimam oram ferro & flammâ vastabat; Royano Burdigalam inter, Rupellámque medio; vt nihil nisi penso tributo in Aquitaniam à Santonibus commearet. Præcipiti Februario Humierus aulæ Regiæ primarius nobilis Burdigalâ Lutetiam decursorijs equis properabat, cùm Sansurini Royano præfecti insidijs interceptus, Royanum ducitur. ibi comitate Sansurini vrbanâ exceptus, præter spem cum hoste humanissimè liber agit. Attamen quia se contra militiæ legem, captum contendebat, in iudices vtrimque conuentum, vt si non iure actum liqueret, dimitteretur; sin minùs, redemptionis pretium capientis arbitrio staret. Lecti iudices iure captum pronunciare; statutum exin redemptionis pretium triginta librarũ millibus, quę dum Humierus nume- *Royan. Guyenne. Saintõge. Humieres. Sainct Seurin. Captus à Sansurino Humierus sine redẽptione dimittitur.*

rare parat, Sanſurini liberalitate gratis liber eſſe iubetur. Humierus eam ſe hoſti gratiam debiturum negans, obteſtari; numeratámque pecuniam offerre vltrò, negare Sanſurinus, donec hoſtili munificentiâ victus ille, cogitur loco abſiſtere; vnde laus immortalis Sanſurino accreuit, cui vni Sectarios inter, aiunt Catholicos eo bello beneficium debuiſſe.

CAPVT VI.

EPITOME.

Soubiſius diſſito longiùs Rege, terrâ marique ſæpius victor. Purpurati Burdigalenſes auctore Senatu pręter morem arma capiunt. Eſpernonius prudentiâ Fabianâ commendatur. Leſdiguerius ad Regem ſcribit ſuadendę paci. initum ſuper eâ re conſilium. pręualet in bellum ſententia. in Aquitaniam via indicitur. Monreuelum Ellebouius expugnat. Toneinſium interceptum. pręſidiarij iugulati. Theminius & Ellebouius in ſubſidium dedito Caſtro aduolant. Feminarum effera crudelitas. acto in vincula La-Vauguiono cæduntur reliqui. Expugnatur à Regiis prima vrbs. feminæ à Regijs occiſæ. Forcai acies fuſæ. capta eius ſupellex. Leſdiguerius Pouſinum ad Rhodani ripam obſidet & capit. Soubiſius Pictonum plagam vaſtat. Pibracius ſtrenuè Oruallo obſiſtit. arcem validam ad Oldum expugnat magnâ hoſtium clade. Soubiſius in Talomontios obſidionem ſimulat. Rupibaritantius arma in ſubſidium capit. acre prælium. victoria incerta.

Soubisius ad Oceani plagam victor.



OVBISIVS tribus circiter legionariorum millibus Oceani ad Pictones plagam ferro & flammâ vastabat, vt nihil incendium aut ruinam effugeret: non inde procul Campaniç cohors hybernabat fidâ Broagij statione, quando arcis præfectus, quamquam numero impar, cum Soubisio signa conferre statuit. Atenim infortunata Regijs pugna; quippe vix quingenti legionarij instructâ acie prælium ausi, numero cedunt, pars in fugam acti, pars cæsi. *Broage.*

Senatores Burdigalenses arma capiunt.

Victoriâ læti Rebelles, rebúsque eâ parte secundis insolescentes, terrâ, maríque vix vllo iam obice Santonum, Pictonúmque prouincias deprædantur; obsistunt pro virili Senatus Burdigalensis purpurati, qui Castrametatore Ornano à Sancta Cruce copias Burdigalenses ductabant; at leue Catholicis non nisi cohortis vnius præsidium, vbi præter tria legionariorum millia, VIII. expeditissimæ naues diripiebant plagam mille supra ducentis sclopigeris.

Espernonius sagax imperator.

Audaciam auxit quòd Espernonius sagacissimus imperator, dum dilapsis militibus suis rarescere ordines videt, Iarriâ, & Cruce-Galeri vbi ad primum ab vrbe lapidem metauerat diu, Surgerium regreditur, prudenti sanè consilio; neque enim canum imperatorem decuisset, imparibus vndequaque armis, Regium decus hostium furori prostituere, debitâ eâ efferuescenti adolescẽtiç temeritate: ille cõtrà Fabiano exemplo cunctando restituit rem, hostémque regressu magis profligauit, quàm si vltrò signa contulisset, etiam instructâ acie futurus victor. *Iarrie. Crois-Chapeau. Surgeres.*

Fabij exẽplo cunctatur.

Intereà

Lesdiguerij ad Regem litteræ. Intereà Lesdiguerius seu illum diuturnioris belli tædebat, seu afflicti commiseratione imperij ducebatur, ad Regem litteras scribit, quibus bello nullam esse salutem contendens in pacem inclinabat; *Quibus pacem suadet.* si sibi tanti moles negotij crederetur, retrahendos in fidem vnâ conscientiæ libertate Rebelles. Minimi eam momenti concessionem, quâ Regum Galliç placitis quinquaginta abhinc annis gaudeant. Nihil eâ gratiâ auctoritati Regiæ detractũ iri, sanguiníque parcendum, qui, si redintegrabitur expeditio, hostili adhuc ferro debeatur. arma in potiorem differenda occasionẽ, conseruandásque bellis extraneis florẽtis imperij vires. Ad hæc deducto in consilium nego- *Initur super ijs codécillus consilium.* tio, Rex Condæum, Suessionensem Guisium, Engolismensem, Brulardum Sillerium Galliæ Cancellarium, Vicium Procancellarium, Mombasonium, Schombergum, Pisiæúmque, cuius consilijs magnum rebus gerendis momentum inest, acciri iubet, prolatísque in medium Lesdiguerij literis, inclinantibus in pacem togatis, Regis, Condęi, reliquorúmque Principum sententiæ, quæ ad bellum *Preualet belli sententia.* ferebantur, præualuere: multos prædarum cupido stimulabat, alios ambiguæ domi res, hos timor, illos gloria; ità boni, malíque, studio dispari, pacem hi, bellum illi cupiebant, problematica sapientum iudicio eo temporis quęstione. dein quâ ratione bellum gereretur districtè dictum; quæsitúmque primò Regémne viæ longioris periculis implicari iterùm expediret: nec diu agitatum id caput; irritis nempe conatibus, quibus Regis præsentia deforet, quod antè sæpiùs experientia docuisset: atenim quà

Condé. Soissõs. Guise. Angoulesme. Brulard, Silery. De Vic. Mombason. Schomberg. Pisieux.

progredi satius foret incertum : duplex via patebat, illinc Lugdunum, Lugduno in Galliam Narbonensem; hinc Engolisma in Aquitaniam: vtrimque ingruebat hostis. Si rectà Lugdunũ pergeretur, obstabat Delphinatus, vbi, quamquam Lesdiguerium suprà retulimus rebellionẽ penitus extirpâsse, superabat adhuc negotij satis, ipso (quod tunc circumferebatur) dubio in fide Lesdiguerio. Instabat dehinc prouincia Narbonensis, in quâ prætet plerasque vrbeculas, de quibus infrà, vnde tamen Rebelles totidem sibi arces parauerant; Monspessulanus, Nemausus, Vtica, Priuatiúmque assurgebant, non vndequaque perfectis adhuc munimentis, quæ summa omnium ratio erat expediendo eâ parte itineri, nempe nondum adęquato muniminn opere Rebellibus illius prouinciæ intercipiendis.

Duplex Regi via.

Lyon. Lãguedoc. Angoulesme. Guicane.

In Galliam Narbonensem.

Mompellier. Nismes Vsez. Priuas.

Contrà, Aquitaniam versùs occurrebat primùm Rupella dissidij caput, quam Rege iterum prætereunte stare incolumem inglorium videbatur, hinc Royanum, in Aquitaniâ Monsflanquinus, fanum Fidei, Monsmarsanus, Antonini fanum, Montalbanum, Nigrapelissa, Vxellodunum, Figiacum, Amilianum, quæ totius Galliæ munitissima propugnacula, expugnari necessum erat, aut dedi, ante Galliæ Narbonensis expeditionem, quæ tamen citato opere indigebat. Omnibus attentiùs perpensis, commisso Rex, quod in magnis assolet, Dei prouidentiæ negotio in Pictones iter indicit, exercitúmque per hyberna hinc inde distributum ad Pictonum oram, quà Britannia patet, paratum esse iubet ; intereà dum alendo ipse immenso corpori,

La Rochelle.

In Aquitaniam.

Monflãquin. Saincte Foy. Mont-de Marsan. Sainct Antonin. Montauban. Negrepelisse. Caddenac. Figeac. Millau.

Aquitaniã versus iter indicitur.

ærarij rationem iniret. Dum instruetur Lutetię belli apparatus agrum Petragoricum, Aquitaniámque leuiter oberremus.

Vix Burdigalam intercepti Clairaci peruaserat nuntius, cùm Clairacenses oppidani quotquot in manus incidunt, aguntur in vincula; nempe commutando illis Ducæo. Atenim leue in eam redemptionem subsidium, nî Lesiniani filię duę, quas Rupellam, sequuturus ipse, si Clairaci proditio defecisset, paulò ante præmiserat, oportune ibidem cum pretiosâ supellectile in casses incidissent. Quæ dum Vrsulinarum Monasterium in custodiam sexui non indecoram Curiæ placito subire coguntur; videamus quid interim aduerso Garumnâ Toneinsij actum. Post dolosè captum à Marchione Forcæo Montem-Flanquinum, intercipiendi Toneinsij Forcęus pater consilium init. *Burdigalæ capti Clairacenses.* *Capta Marchionis Lesiniani filia dua.* *Mon-flaquin.*

Toneinsium nuper, vt suprà relatum, gratis agnouerat Regem, vnde nihil in vrbe mutatum, futurá, vt sperabatur, oppidanorum fide præsidio Regi omnium validissimo. Vrbs est in duas diuisa vrbeculas, castro non inualido quod illis supereminet, domino feudi nobilioris Comite La-Vauguiono, qui, sub idem tempus, angustiore in arce suâ commeatu hybernabat. Forcæus haud ignarus oppidanos, quibus leui Regiorum præsidio vrbs antè credita, in rebellionem inclinaturos, tentatâ infidâ ipsorum fide; dictâ die, mille legionarijs adesse ad muros, quos dum pręsidiarij Regii propugnare conantur (quamquam rariore milite conatus leuis) à tergo ab oppidanis lacessiti, numero cedunt, immanique feritate *Toneinsium à Forcæo intercipitur.* *Iugulantur præsidiarij.*

post deditionem iugulantur; at nisi expugnaretur castrum irritâ expeditione, signa in illud illicò conuertuntur, missúsque fecialis La-Vauguionum de deditione compellat; Intrepidum ille mentiri vultum, paratúmque se respondere vt gloriosâ priùs morte finiret, quàm leges deditionis vllas pateretur. Attamen vix in triduum protelari deditio poterat, destituta commeatu, pręsidióque arce.

Moniti Ellebouius & Theminius seriùs adsunt.

Intereà ne conatu inani hostium præda fieret, Theminium, qui hinc longiùs in Aquitaniâ citeriori hybernabat, Ellebouiúmque Petragoricis distentum expeditionibus monet, quam citè adforent desperatis alioquin rebus: illi stationarios expeditè colligere, moliri exin viam per gelu & glaciem. Seriùs tamen quàm vt oportunè La-Vauguionũ, pręsidiariósque fame iam & inediâ tabescẽtes liberarent.

Dum habetur de deditione colloquium fit in castrum impetus.

Quarto die à primâ Castri obsidione, nullâ subsidij spe, La-Vauguionus in deditionem, colloquij facultatem exposcit, absistit. Castro nobilis, quem dum Forcæus propositis consultò difficultatibus moratur diutiùs, miles facto in Castrum impetu incautos vigiles sternit, segniúsque ad datam fidem excubantes priùs opprimit, quàm proditio agnita. Nullo hîc, si La-Vauguionum eximis, nobilium, sexus, aut puerorum delectu, trucidatur ad internecionem præsidium, ipséque legatus; quamquam non nisi in Forcæi fide egressus antè. neque in cęsorũ funere barbaries effera metam inuenit, in demortuos sæuitũ atrociùs: quippe denudatis mediâ plateâ cadaueribus, quę sanie, tabóque fluentia, ore ipso, nec dum animâ exhalatâ etiamnũ spumante, horrorem magè quàm

Hostium crudelitas.

iracundiam furenti licèt hosti excitare debuerant, impuræ, atrocésque supra sexum viragines, insolenti proteruiâ illudebant: partim cęsis, partim spirantibus adhuc amputatæ nares; at minimum illud, præcisa inauditâ libidinosi sexus crudelitate virilia, quæ sibi per ludicrum iactantes inuicem, pilas delusorias habuere nouo immanitatis genere, cui veteribus historiarum monimentis exempla desunt: at meminerint eius feritatis Megeræ infames, cuius breui eôdem loci cum fœnore pœnas luent. *Feminarum proteruа feritas.*

Cæsis ad internecionem pręsidiarijs vno La-Vauguiono in vincula acto, non dubitauere Rebelles quin moniti Ellebouius, Theminiúsq; postridie adforent, vnde magnâ contentione, reparandis ruinis nocte & interdiu incubuere; neque fefellit illos opinio: quippe posterâ die Ellebouius Theminiúsque quinque circiter legionariorum millibus, vrbis accessus intercludunt; dehinc in vrbeculam quę primùm occurrebat facto impetu irruunt; stupere hostis, & quamquam mente, animóque parum pręuisâ eâ irruptione defixus erat, in vestigio constanter hærere; retrudi Regiorum primi; qui oppugnationem ab illis restaurant, pedem item referre; donec postquàm ad triarios ventum, dato nobilibus ad oppugnationem primo cornu, ingenti clamorę in propugnãtes irruitur, qui iam exhaustis diutinâ displosione sclopis, nõ nisi hastâ adpugnantes propulsant; renouatur hîc pręlium rediuiuâ nouo delectu regiorum audaciâ, nutant hostium ordines, seu diuturniore iam pugnâ, seu metu: nec diù, cùm ascensione superantur muri. hinc citè hostis (quamquam *Cæsis presidiarijs agitur in vincula La-Vauguionus.* *Ellebouius Theminiúsque infedunt ad vrbem accessus.* *Expugnatur vrbs prior.*

eâ expugnatione cecidere plures) in aliam se recipit vrbem cuius munimenta diuturniorem obsidionem pollicebantur.

Feminæ à militibus Regijs occisæ.

Desideratos Rebellium quadringentos memorant, plerasque feminas, in quas efferus miles depositâ toruis oculis quæ sexui debeatur humanitate, crudelitatis haud immemor, quā in Regios nudiustertius exercuerant, ferro vltrice nō habitâ decoris, lacrymarúmque ratione grassatur: vnde nihil mirandum si eo passim bello, nullo sexus delectu debacchatur miles, ipsis feminis immani barbarie, supra sexum prælium ausis, Regiorúmque mapalia, dum obsessi erumpebant, distento ad pugnam milite passim subeuntibus, vbi trucidatis qui decumbebant ægris aut saucijs, ingenti sæpius strage afficiebant incautos; quod retroactis seculis inauditum: inuentis quidem apud veteres feminis, rariùs tamen, quæ prælij aleam subire sustinerent, quod apud nos toties, quoties Rebellium obsessæ vrbes.

Inaudita feminarum audacia.

Forcæus propiùs ad regiorum castra accedit.

Postridiè Forcæus, qui inferendo obsessis subsidio se statim à Regiorum aduentu Clairacum vicinam vrbem receperat; trecentis equitibus, legionarijs quadringentis non procul à Regiorum castris metatur, seu diripiendorum animus erat, seu auertendis, quod malim, ab obsidione copijs. Ellebouius, vbi eo numero adesse hostem agnitum, quingentis Sclopetarijs, Cataphractis ducentis illi in occursum properare. Forcæus qui iacturâ nullâ terga nec ingloriè vertisse potuerat, hærere immobili gressu; legionarium latâ in profundum viâ, quam opportunè insederat, ab Ellebouij alariorum

incursu tegit; displosione hinc inde haud segniter agitur, donec Forcæus receptui canit; legionarij dimicando pedem referre, quósque apertâ planitie, supremâ internecione deleuerat victor, viâ monticulis asperatâ, magnâ ex parte in vrbem euadunt vix quinquaginta desideratis. Alariorum iactura leuior, nisi quod Forcæi supellex ingentis pretij, legionarijs Regiorum in prædam cessit.

In fugam agitur amissâ supellectile.

Mompoulianus Castesiúsque vrbem propugnant.

Mompoüillá. Casters. Vrbem propugnabant Mompoulianus, Vicecoméśque Castesius, æquali imperio, mille & ducentis militibus. Obsidione bipartitâ, hinc quà vrbs Clairacum prospectabat quatuor cohortibus Bourguio Lespinassio Castrametatori, oppugnationis munus incumbit; illinc quà Aginniacus Mansus prostabat Ellebouio Principi, & Marescallo Theminio, Picardiæ, Pedemontij, Ribeyraci, & Ladousæ cohortibus. vbi ex occasione notari velim Ladousam, matronam esse nobilem, quę illustri ad Petragoricum agrum nomine, veteres Amazonum fabulas bellicâ virtute longè anteuertit: ad singulare certamen vocata sæpius, priuata ferro vltrice dissidia diremit, mentita virili habitu sexum. Numquam insilit equo, nisi diuaricatis tibijs, caligis, galeróque crispantibus de more cristis, ferro ad latus, duplicíque ad ephippium sclopeto; legerat illa in eam obsidionem cohortem validam; cui tunc, occupatâ ad aliam expeditionem matre, Ladousius filius præerat.

Du Bourg Lespinasse. Mas d'Agen. Ribeirac. Ladouse.

Obsidio bipartita.

Obsessis vrbecula angustior erat, firmata tamen munimentis & fossis: atenim arctiore loco, sauciatis, ęgris, sanísque nullo ordine confusè agen-

Obsessi loci angustijs oppressi.

tibus, ſanie, pędore, contactu polluebatur locus; vt in vrbis ambitu non niſi peſtilens afflaretur aër: accedebat quòd arctiore area præcıſorijs munimentis. retrò exſtruendis deficiebat humus, quod obſeſſis m lli extremum erat; quamquam Mompouliani, Caſteſiíque virtute victis difficultatibus protelabatur obſidio in dies, ad quam Vicinus ab Ambra, Cornuſlonúſque vocati, Caſtrametatorū præfecturâ glorioſè defuncti ſunt. At hæc infra. Obſeremus interim Galliam, vbi vere iam ineunte omnia in bellum inclinant.

Ambres Cornuſſon.

Vicinus Cornuſſonúſque noui ea obſidione Caſtrametatores.

Pouſin. Baiſſurbais.

Leſdiguerius Baiſſurbaſſium, Pouſianúmque capit.

A Mediterraneo Leſdiguerius, poſt reſtitutum priſtinæ tranquillitati Delphinatū, munitiſſimas ad Rhodanum vrbes duas, Pouſinum & Baiſurbaiſſium qua fluuij Rebelles cōmercium intercluſerant expugnare ſtatuit. Illis Blaconſius audaciſſimum caput præerat; arduáque cuiuis alij ea expeditio, Leſdiguerio in plano fuit. decem hominum millia in expeditionem leguntur, ſuccedit muris VIII. muralibus machinis, diſtribuitur in oppugnationem exercitus, deduntur vrbes, redditâque dehinc Rhodano nauigationis libertate; ingenti populus acclamatione Leſdiguerij virtutem excepit, quem paulò antè ſatyricâ libertate criminum poſtulabat, quæ ea expeditio abundè diluit. adeò verum eſt populum immanem eſſe belluam, quæ non niſi ex præſenti vtilitate, aut incommodo, amoris, odiíve capax, non aliâ magnatum virtutes menſurâ metiatur; vt ſupra fidem magnus illi ſit, cui bona recèns, libertatémque debet; eneruis contrà, animóque imbelli, qui ſe totum illi non deuouet, partámque

Blacon.

popularibus

popularibus studijs auctoritatem dedignatur.

Ad Oceanum Soubisio Rupellani crediderant quatuor circiter legionariorum millia, quibus Pictonum, Santonúmque plagis vastatis, vbi prædæ nihil superabat, in Britanniam signa conuertere statuit; hinc in citeriorem Normanniam: cùm Rex moræ impatiens statim à Paschate diem expeditioni indicit. *Soubisius Pictonum plagam vastat.*

Quercy Caddenac. Figeac. Cardaillac. Cajarc. Pibrac. Ad Cadurcos Suillius, qui se Orualli filij captiuum imponebat, Vxelloduno, Figiaco, Cardaillaco, Cajarcóque arcibus nõ longè inuicem dissitis circumjacentem agrum deprædabatur; quamquam vix aberat dies, quin Pibracius, qui ad earum arcium ambitum locauerat cohortem suam, manum cum illo confereret, velitatione, aut prælio: quinimò pretiosam Orualli Comitis supellectilem, cuius centum librarum millia æstimatio superabat, positis oportunè ad syluam insidijs, interceperat; nî datus à Theminio diplomate commeatus prædam inhibuisset. dimissâ igitur supellectile, in venabula incidit Iolius Minister, qui Montalbano Figiacum properabat, inuentæque inter eius impedimenta ephemerides Montalbanensis obsidionis, quibus quidquid in abdito intùs ab hoste actum, prodebatur historico stylo; nisi quòd in Regios dicax erat, eæ diutius mihi quæsitæ venêre tandem in manus, suo suprà loco repositæ bonâ fide. *Pibracius Oruallii incursiones moratur.* Ioly.

Lot. Non procul Vxelloduno ad Oldi amnis ripam, parando suis transitui, validam Suillius arcem exstruxerat, quod Regijs exitiale, intercluso illis fluuio, hosti percommodum erat. Pibracius admotis *Arcem ad Oldum amnem ingenti vi expugnat.*

Vvv

ſcalis arcem mediâ die oppugnat. Primum cornu præfectus Iuſtarretus ductabat, Pibracius oppugnationi diſtribuebat militem, ille fatali glande traiectus poſt rem gloriosè geſtam occumbit; hic ſcalis murum ſuperat, præſidiariósque ad vnum iugulat, non auſis ſubſidium mittere Vxellodunenſibus, qui vix hinc milliari ſpectabant prælium. Ab arce in circumiectas ędes prædæ ſtudio miles decurrere, vbi pręſidiarijs conatum adhuc propulſantibus, crepitaculo diſiecti cardines viam aperiunt, acti hîc in vincula plures, recēſitóque cæſorũ hinc inde numero, ducenti hoſtium pars deſiderati, pars in vincula acti; Regiorum decem, quos inter Iuſtarretus vir magni animi, cohortiſque Pibraceæ præfectus.

Iuſtarret.

Soubiſius in Tallamontium obſidionem ſimulat.

Intereà ad Pictones Soubiſius, poſt deprædatas Olonæas arenas, in Tallamontij arcem obſidium meditatur, aut ſimulat. Monitus Rupifulcaudius, qui nuperâ promotione prouinciam adminiſtrabat, Rupibaritautum prouinciæ nobilem hortatur propulſandæ obſidioni arcem ſubire velit: ille nihil moratus, centum alarijs, legionariiſque non niſi XXX. properabat in ſubſidium Regiorum, cùm Creſſonierus, qui tunc Mareillij hybernabat Soubiſij iuſſu, loco oportuno inſidias ſtruit, ſclopetarijs equitantibus centum, ducentiſque alarijs. Inſidias euaſerant Regij, ſeu præcipiti greſſu, ſeu quòd ſe viæ, hoſti parum notæ commiſerant: at nec ideò minùs Creſſonierus ſequi elapſos. Rupibaritautus vbi hoſtem adeſſe agnouit, quamquam laxâ fugâ euadere poterat, congredi maluit: non antè, quod ſciam, alarios inter actiùs dimicatum: Rupibaritauti equo

La Rochefoucaud.

La Rochebaritaut.

Rupibaritautus Regiorum ſubſidio arma capit.

La Creſſoniere. Mareil.

Inſidias euadit.

Committitur prælium.

transfosso tam diù ille pedes dimicauit, donec armorum pondere prægrauis ingruenti manipulo cessit actus in vincula. Eschasserius, Logeriúsque nobiles, primùm equis excussi, dehinc quà deficiebat ferreus thorax transfossi sunt. viginti circiter Regiorum eo prælio cecidêre, capti quindecim. Nec probè constitit cui debita victoriæ palma, æquali hinc inde strage; Regijs sibi trophæum ascribentibus, quòd vltimi arenæ possessores victoriam Regi proclamâssent, solitâ formulâ VIVAT REX. Rebellibus contrà id vsurpantibus gloriæ, quia Regiorum plures (quod vnum victoriæ indicium est) ceciderant; quamquam eorúmmet confesshione caro illis victoria constitit, desideratis eo prælio quinquaginta, quos inter quatuordecim nobiles, Cressonierus Soubisij legatus, qui diu Comitiorum generalium præfecturam gesserat, Greuçus, Castaneræus, Marmandus, Dominouanus, Bellipratanus; Chasselendierus, plurésque alij. vtinam ita sæpius vicerint.

Eschasserie. La Logerie.

Dubio etiãnum hodie euentu.

Regij victoriam sibi ascribunt.

Rebellei contrà.

La Greue. Chateneraye. Marmande. Maison neufue. Beaupré. Chasselendiere.

Hostium strages.

Ellebouius, cuius virtuti vix condignam laudem rependat historia, monitus Monreuelo, velut prędonum speluncâ, prouincialium Rebellionem foueri, prædámque huc, incendio & ruinâ partam transferri; nihil hiberno frigore territus castra in arcem mouet, quam, suburbijs primùm Madaliani virtute non ægrè occupatis, ingenti vi oppugnat.

Monreuelum Ellebouius expugnat.


Montreuel. Madalian.

Arci, Forcæi nomine præerat Motagachonus; abnegatâque diu deditione, Regiorum plures ad primos accessus desiderati, quos inter Madalianus, tormentorúmque præfectus à Sancto Iacobo.

La Mote-Gachon.

Regiorum plures cæsi.

Sainct Iacques.



HISTORIA

PROSTRATÆ
A LVDOVICO XIII.
SECTARIORVM
IN GALLIA
REBELLIONIS,

LIBER SEPTIMVS.
CAPVT I.
EPITOME.

Rex Lutetiâ Nannetes venit. Soubisius supra fidem audax, non diu tamen. Regi tunc exercitus leuior vnde. Riæ insulam Soubisius diripit. Expediátne Regem instructâ in eum acie experiri. Præmissus Buscocarquesius. Rex ipse superato amne in hostem pergit. præscribitur in prælium ordo. Legionarij magno periculo Regem sequuntur. Militum in Ludouicum Regem amor. eius virtutes commendantur. Soubisius fugit. strages Rebellium. victoria Regi penè incruenta. Cęsorum, captorúmque numerus. debitam à Deo vni Regis præsentiæ cladem. deditæ exin pleræque arces.

Rex Nannetes venit.

REx factionem Rebellionis in dies glifcere videns, præcipiti Martio Lutetiâ Aureliam; Aureliâ Blœfas venit, vbi expeditè copias quæ circumquaque hybernauerant, in vnum coïre iubet, quibus auctus, fecundo amne Nannetes præteruehitur, retrahendo Rupellam Soubifio, qui fex peditum millibus, fexcentífque equitibus vaftabat maritimam oram. obftiterat pro virili Rupifulcaudius; at leuioribus copijs conatu irrito. *Nantes*

Soubifij audacia.

Soubifius nihil Regis præfentiâ territus iactare palàm, fibi audaciæ fatis & virium, vt inftructo cum Rege prælio experiretur. dictum audax, verum tamen; vix fex peditum millibus compofito tunc Regis exercitu, diuifis fcilicet ex prouinciarum neceffitate copijs, quæ circiter quadraginta legionariorum millibus conftabant, imperatoribus Efpernonio ad Rupellam, Ellebouio ad Aquitaniam, Mommorancio ad Galliam Narbonenfem, Lefdiguerio ad Delphinatum; alariorum fex millia, quidem Regi merebant; at cum peditatu prædicto diftributis ijs, vix Regem tunc quingenti ftipabant.

Regi quarelenus exercitus.

Rix infulam Soubifius occupat.

Hæc inter affertur Soubifium apud Infulam, cui Rix nomen, pofitis mapalibus confediffe, fifum genio loci; quia afperis circùm faltibus claudebatur: purpurati ad hæc fubeundam prælij aleam negare vbi Rex adforet; fcilicet militari lege cautum, raró totis viribus manum conferi. Batauiam, quæ iam ab annis circiter LX. belli in Europa theatrum non iniuriâ dici poffit, vix periculofam aleam inftructo ter prælio fubijffe. magnum hîc in Regia *L'isle de Rié.*

persona momentum esse, quam, quò res cumque cadat, imminenti periculo implicitam nemo ambigat. fugandum hostem, aut Regijs ab eius conspectu fugiendum; si fugabitur, quod rebus sic stantibus arduum videatur, imminere Regio capiti, incertam à plumbo, aut ferro aleam, quando is inuicto Principi animus est, vt desidiosus prælij spectator esse non ferat. Si contrà (absit omen) Regis acies in fugam agi contigerit, aut in hostium manus incidendum, aut gloriosis inter arma vulneribus Regi finiendum; ipsammet mali exitialis cogitationem fatalem animis. timendum velut præsens, quod tantâ Galliæ iacturâ accidere non ægrè possit. Neque eam, etiam in Regias partes inclinantis victoriæ vtilitatem, quæ damnum ex aduerso æquet. agendum in fugam Soubisium, milite, situ, genióque loci fortiorem; gloriosum illud, sed nec ideò dedendam Rupellam, nec Regis triumphos augendos, cuius virtutem tot victorijs eò prouexit apud exteros fama, vt laudis cumulum assequuta, nihil nouo iam decore indigeat; imò nec penè augeri possit. Nempe egregiam giganti laudem, pigmęum ausum cominùs congredi, sternere; spolia ampla, magnúmque decus LVDOVICO HERCVLI GALLICO, repurgare imperium monstro, quod, præter innatam feritatem; nihil magni animi præ se ferat.

Periculosum ad Regis præsentiam prælio experiri.

Nullam aut leuem à victoriâ vtilitatem.

His, aut similibus ab eâ expeditione Regis animus auertebatur, cùm ipse naturâ ad belli pericula pronus; Nec patiar, inquit, sub diti superbiam, Regis sui fortunam & arma adeò dedignantis, vt acie cum eo instructâ congredi ausit; nec me, detrectato

Præmittitur in insulam Buscocarquesius.

prælio, vniuerso hodie orbi, posterísque fabulam dabo. Adesse interim nuntius, quo monitus Rex paratum Soubisium vt Riæ insulam diriperet: nihil distulit Buscocarquesium, manu expeditâ præmittere; nec mora, locorum haud ignarum præfectum legio, alæque, quam in partem ducerentur nesciæ, sequi, citóque agmine in insulam abripi: vrbs eà parte mari adiacet Riæ nomine, eam Buscocarquesius inuadit, propulsatóque diu Soubisio, vbi numero vincitur, data in insulam viâ, hostem ab vrbe prohibet, Regémque periculi monet. Insessâ Soubisius insulâ, quà videbatur descensus in eam commodior VII. tormenta locat, reliqua aquis vndequaque stagnantibus, ad crescentem fluctum penè imperuia, aditu admodũ periculoso natura sepserat. Insulâ iam ab hoste occupatâ, quę aliũ cõsternassent pericula, Regem impulere, vt citiùs, maioríque quàm antè animo eò signa conuerteret, pergit intrepidè susceptum iter, sequuntur legiones, alę, Principes, nobilésque Regi imperatori suo adequitant, præfecti prælij ordinem præstolantur.

Rié.

Boiscarquois.

Rex ipse in hostem pergit.

Iam lux appetebat, cùm Rex fiduciâ ac spe plenus alacres milites, arma capere, & exire in aciem iubet: Rupifulcaudius interim, tribus circiter hominum millibus leuiores Regis copias augere, militíque nouos animos addere, æquo iam Marte, si numerum spectas pugnaturo. metationem illi præscribit Rex ipse, bacillo huc illuc designans militiæ ordinem, mandátque hærere immotum, donec iussus iret in hostem. Præmissi, qui vada tentarẽt exploratores, demissis iam aquis, triplex

Rupifulcaudius Regi iungitur.

La Rochefoucaud.

referunt,

referunt, quod si protelabitur opus, breui aquis obduxerit vnda refluens, quę iam sensim demissior, post sex horas in seipsam foret recursura. Ad hæc triplicem aggressionem indici, diuidi in tria exercituum agmina, Condæo primum, secundum Schombergo, Rupisulcaudio tertium credi. Condæum stipabant Vindocinensis, Marescallus Praslinius, Bassompetrus; Schombergum Auriacus, Rupisulcaudium Suessionensis Galliæ Princeps; Estissaci, Rainuillij, San-Vincentiique cohortes, dein Regiam prætorianos vigiles ductabant ad primum cornu, Marescallus Vitrius, Zametus, Mariliacúsque Castrametatores. Rex circumequitans distribuebat militaria ad prælium munia, cùm renuntiatur alarios hostium, pugnam adorturos turmatim aduolare. experiri ad hæc præmissi iterum exploratores quâ vado transmeabilis riuus; at nec dum se in mare receperat fluctus, donec demissis nocte circiter mediâ aquis, creditâ Rex vndis fluctuantibus salute imperij, non sinè periculo transmeat, sequi indictâ causâ alarij, vltráque positi in turmas distribui nouo iam ordine.

Prælij ordo.

Schomberg. La Rochefoucaud. Condé. Vendosme. Praslin. Bassompierre. Auriac. Soissós. Estissac. Rainuille. Sainct-Vincét. Vitry. Zamet. Marillac.

Rex vado amnem transmeat.

Excursorum prefectura Bassompetro datur, quem dum Marescallus Vitrius sustinet, primum agmen Regi, Condæóque incumbit; illum cataphracti Regij ordinis centum, hunc leues Regis alarij totidem stipant. Equitum exin Guisij ordo, Suessionensi Principi; Rupibaritauti, quem supra captum memorauimus alæ, Voluntariique, quos ad Regem Regina parens miserat nobiles, Vindocinensi creduntur. Regi ad latus aderant non indigni, quorum

Nouus vltra amnem ordo.

hîc nomina ad posteros transmittantur, Vindocinensis magnus Galliæ prior, Duces Fronsacus & Radesianus, Marescallus Praslinius, Marchiones Courtenvautus, & Nigellanus, Schombergus quem animo simul & prudentiâ illustrem Rex eâ die sibi consultorem delegerat.

Fronsac Retz. Courtenvaut Nesle. Schomberg.

Legionarij vbi Regem periculo implicitum audiunt, Bassompetro, cui exhinc excursorum vt suprà retulimus munus incubuit, Baronéque Paluao primo Regis tricliniario ductantibus, amnem transuadant, superantibus ipsamet præcordia vndis; quò loci obseruari velim ingentem militis Galli erga Regem suum amorem: hærebant inter sacrum & saxum dubij pedites, nec satis illis audaciæ suppetebat, quò intentatum experirentur alueum. accedebat quòd reciprocans iam iam Oceanus inflato nouis fluctuum incrementis canali regressum occludebat, vt aut omnino pereundum, aut vincendum foret.

Bassompierre. Paluau.

Legionarij magno periculo amnem transuadãt.

Militum in Regem amor.

Has inter angustias vix Regij transitus fama perуaserat, cùm eodemmet quo terrebantur antè periculo milites, Regem sequuturi fluctuum se misericordiæ credunt, regiæ salutis adeò memores, vt sui obliti vitã haud incertæ morti exponere gloriosum ducerent. Rege optimo qualem hodie Gallia experitur, omnes vnius spiritu viuunt, nemóque illi superstes aut optat esse, aut potest. Imperatorem suum præcarum habent milites eo ipso quòd imperator est; at si beneficio huic, quod fortunæ aut natalibus plerumque debeatur, accedunt heroïca in prælium virtus placida indoles, pietas, clementia, subditorũ

Quã amabilis Rex Ludouicus.

amor, iustitia, æquanimitas, omnia supra fidem magna, si liberando populo sanguinem, si iustitiæ stabiliendę labores, si protegendæ Ecclesiæ vitã ipsam impendit, quem fortuna, natales, aut virtus fecere Regem, ánnum dignus erit, quem supra vitam miles, populúsque habeant carum? is est LVDOVICVS, cui nec adulabor, si adiecero magnitudine animi Henricum patrem; pietate præuertere, penè dixi Ludouicum IX. nisi quòd inter sanctos ascriptus ille, vno hoc indicio virtute cuilibet mortalium maior haberi debet.

Ex aduerso Soubisius, quem eâ die nescio quæ præter morem habebat tacita consternatio, dum demissæ aquæ effugium dabant, quinquaginta alarijs, desertis ignauiâ incredibili signis fugam adornare; legionarij, quíque superabant maiore alarij animo hærere primùm, instare Rex ipse generoso equo agmina circumequitans, cùm hostis turbatis ad eius conspectum agminibus pars turmatim in naues, quæ in algâ reciprocantes vndas operiebantur ad fugam, euadunt; pars in dumeta hinc inde dilabūtur, fato ęquali omnibus: hos rustici, illos expugnatis nauibus Regij milites ad internecionem delent. Præda ingens victoribus cessit, quam inter inuenta tintinnabula sacra plura, campanas vocant, quæ deprædatis Ecclesijs, liquandis tormentis bellicis, Rupellam Soubisius asportabat. Alarij interim qui prælium ausi, fugiente Soubisio, audaci in speciem vultu firmauerant in algâ vestigium, repentinâ consternatione pristinæ virtutis immemores; imò & omnium nescij non arma,

Soubisius in fugam abripitur.

Ingens hostium strages.

non ordinem, non consilium seruare; sed pecudum more trahi, occidi, capi, dum Regij incensi memoriâ laborum se quisque vltione & sanguine explebant; quibus equi velociores, per paludes, per saltus, vt cuique sors viam dabat, abripiuntur.

Cæsorum numerus. Illustrior ea victoria Regi, quàm credi possit; quippe supra mille quingentos, quos Rebellioni abstulit primus militum furor, quingentos circiter quos rusticorum falces, opimam demessuere segetem, incidere in victorum venabula & casses septingenti, quos inter si Soubisium eximis, militiæ præfecti omnes, Motæus, Arnaldius, Veterouineus, Comes Marenius, pluresque de quibus addubitatum diù, Rebellionis crimen eorum capite expiaretur, necne; imò & debitæ illos implicuerat pœnę armorum æquitas, nî Regis clementia præualuisset. signa nullo exempto, septem tormenta bellica, totidemque naues auxere triumphum. *Captiâ Rege.* Soubise. La Mothe. d'Arnauds. Vieille-Vigne. Marenes.

Redeunti in tabernaculum defesso Regi, qui assiduâ contentione, quindecim iam horis vix vlla quiete adequitarat, occurrunt consilio minùs, quàm forte quinquaginta hostium cataphracti, in quos emissa centum alariorum expedita manus decem agit in vincula, reliquis pręcipiti fugâ in paludes actis, vbi vndis, fame, rusticorúmque manu intercidêre. Exin à Rupifulcaudio expugnata Chaumæa arx, quâ quadringenti Rebelles saluâ vitâ absistunt, gesta hęc ad XIV. Kal. Maias. Chaume.

Soubisius fugâ iterum euadit. Posterâ die, dum quantâ potest celeritate Soubisius in fugam abripitur, in Bayersium Rupifulcaudij legatum, longè viribus imparem incidit, eo fato, vt Bayers.

triginta ſuorum captis, vix ipſe equi valentioris niſu euaſerit : adeò ſemel in fugam dilapſum conſternant omnia, vt ipſamet dumeta & arbores ſeu vmbrâ, ſeu impellente leniter vēto terrorem incutiant. vix erant qui deditos caperent, vix qui poſita ignauiter arma exciperent, intereà dum in fidam non procul hinc ſtationem Soubiſius euadit, vbi diebus aliquot moratus, poſtquam audijt ſedatum populi Rupellani furorem, Rupellam ſolus redit, qui nudius tertius ſex hominum millibus portu ſoluerat.

Quas in eius caput imprecationes coniecerit proteruia populi, nôrunt, qui mille ſupra ducentos eâ clade Rupellæ oppidanos vrbis florem, deſideratos non ignorant, quorum matres, vxores, agnati, mala eius excidio omnia imprecabantur, ignauiæque poſtulabant, qui tot præclaros viros apertâ pernicioſo exemplo fugiendi licentiâ, morti expoſuiſſet.

Eam victoriam portentum eſſe.

Regijs iactura non niſi gregariorum ſeptem fuit: vbi iure mirari liceat, quî factum vt Soubiſius, vir alioqui audax, quod nec diffiteri liceat, eâ die, copijs, loco, Rupellæque viciniâ longè valentior, vix hoſte viſo fugerit; quod pleriſque placuit Regiæ præſentiæ imputandum, cuius fronti neſcio, quem immortalis Deus characterem impreſſit, quo inſinuatur ſubditorum animis aut amor, aut terror, vt qui non amauerit, timeat. Dehinc validiſſima Rohanææ ditionis caſtra duo ad arenas Oloneças, Belliuiſium, Aſpremontiúmque cedunt, quæque initiò obſiſtere velle videbantur, conſulta meliùs miſericordiæ ſe Regis committunt.

Beauuoir. Aſpremont.

Dedita exin Regi arces.

Sexcenti eâ victoriâ capti Nannetes ducuntur vbi XIII. in furcam actis, reliqui præfecti capitalium sententiâ ad triremes damnantur.

Memorant postquam Rex transuadato canali subierat insulam, deductà in militare hostium consilium ineundi prælij ratione, Soubisium negasse palàm, conferenda cum Rege signa, quam dum argumentis tegebat ignauiam, venisse in mentem astantibus, ferro eum transfodere; quod ad inopinum Regis aduentum, subita fugæ aut pugnę necessitas auertit.

CAPVT II.

EPITOME.

Suffectus Espernonio, Suessio consanguineus Regi Princeps, conceptum hinc mærorem sapienter veteranus dissimulat. Regem sequitur, cuius exin liberalitate non parum gaudet. in Royanum castra mouentur. classis Gallica, subsidiarijs aucta triremibus Olysipponem appellit. Taillaburgum nouo firmatur præsidio. Mommorancius quamquam adhuc æger rem strênuè gerit. Vieulesij Comitis ad vallem Saxiacam victoria. Aunousius Sectarios ad Castrum-nouum-Arrij ingenti clade afficit. Toneinsij obsidio. irritum deditionis consilium. Molendinum magna hostium iactura expugnatum. Forcesius in subsidium Mompoultano adest. vulneratur ad caput Mompoultanus. manus conseritur. Cornussonus, Vicinus ab Ambrâ, plurésque occisi. Res ab Elle-

bouio strenuè geritur. Themines quamquam æger dimicat. feminarum ab vrbe erumpentium crudelitas. vrbs deditur. in Forcæum postulatio. Castesius peregrini habitu Romæ hæresim abdicat.



ANNVS iam in seipsum recurrebat, ex quo Espernonius imperatorium munus Rupellanis terrâ fatigandis susceperat, quo gloriosè defunctus Regi in expeditiones Aquitanicam & Narbonensem adesse iubetur; veterani nempe consilio maximi rebus bello gerendis momenti. Suffectus illi Comes Suessio Regi consanguineus Princeps, spei maximæ adolescens. *Suffectus Espernonio Suessio Princeps.*

Displicuit procul dubio ea Espernonio non aliâ causâ mutatio, quàm Regis placito; quamquam ne cum Principe Gallo videretur de gradu contendere, quâ pollet prudentiâ lubens in speciem cedit, qui nisi coactus, summóque dolore parebat. Attamen sequi à Rege iussus prætexere primùm decrepitam senectutem, cui tandem aliquando quietem indulgere necessum sit; nec sibi, vni Regum obsequio nato post sexaginta annos, quos magnam partem bello expleuerat, satis virium superesse, quò longioris expeditionis erroribus & periculis implicetur; quod residui sibi ad vitam temporis, Deo, virtutíque magis, quæ viam ad cœlum sternit, debitum, quàm bellicæ, vanóque gloriolę apparatui. Iussus tamen iterùm, imperio se facilem pręstat, dissimulatóque præreptæ sibi præfecturæ dolore, viæ se cum Rege accingit, non ignarus Principi in *Mærorem Espernonius dissimulat.* *Iussus Regem sequitur.*

dies ad manum esse, quo subditi mœrorem, interdum ex rerum necessitate illatum, subitâ lætitiâ, gaudióque cumulet inopino; nec spem fefellit euentus: quippe supra purpurei Galeri decus, quod Archiepiscopo Tolosano eius filio, viro haud immerenti, à summo nuper Pontifice Rex impetrarat (minimum illud, vbi id sibi Archiepiscopi filij virtus, natales, doctrináque promeruerant) suprà id gratiæ Valetam eius filium Vernoliæ exhinc naturâ sorori matrimonio Rex destinatione coniunxit, quod bello mox ad præcipitem annum confecto, Lugduni consummatum videbimus, si eò vsque progredimur. quibus omnibus superaddita proprætoria Aquitaniarum inferioris & citerioris præfectura, quam nisi principibus debitam in comperto est, ad felicitatis omnimodæ cumulum euehient virum haud immerentem. At hæc infrà, si dabitur.

Collata in eum à Rege beneficia.

La valette. Vernueil.

Suessioni etiamnùm adolescenti datur Marescallus Vitrius vir prudens, magníque animi, qui consilio illi adforet; quo munere quàm defunctus sit gloriosè, infrà memorabimus.

Suessioni in consultorem Vitrius datus.

Vitry.

His ità gestis in Royanum signa conuerti placuit, datâque Espernonio cingendæ vrbis curâ, iubetur Suessio Rupellanis terrâ obsistere, quo minùs aut de inferendo subsidio cogitarent, aut de plaga vt antè diripienda. at nihil obstabat, adhuc quin XX. nauibus commeatum ex placito subsidiúmque inueherent; cùm opportunè nuntiatur classem Regiam superato Gaditano Olysipponem appulisse. Suprà attigimus iussum à Rege Guisium, classem Gallicam, quam portus vulgò Massiliensium habet à Mediterra-

In Royanū castra mouentur.

Royan.

Classis Gallica.

Le destroit de Gibaltar. Lisbone. Marseille.

Mediterraneo in Oceanum expeditè ſubuehi procuraret: acceſſerant ſubſidiariæ confederatorum
Dampierre. triremeis, belliçque naues, quibus Dampetrus triremium in Gallia præfectus maior, Generalem vocant, ineunte vere non ſinè periculo Olyſipponem
Bayonne. appulerat, hinc Aquas Auguſtas, Bayonam vulgò,
Sainct Malo. Bayonâ Regis imperio Aletenſem portum ſubeunt, *Auxiliares confederatorum copiæ.* vbi Aletenſiū maritimę gentis, viginti expeditiſſimę naues claſſem operiebantur, quæ nondum obſeſſo Royano Santonū plagâ hoc ordine pręteregreditur.

Primam aciem componebant quatuor ſupra decem Maſſilienſium naues bellicæ, omniū quas Mediterraneum habet expeditiſſimæ; ſuccedebant decem triremes Gallicæ, exin Reipublicæ Venetæ auxiliares triremes, ingénſque illa maris Adriatici domina quadriremis, Turcorum terror, ducentis tormentis bellicis, milléque ſupra ducentos militi-
Malte. bus formidabilis; claudebat agmen Melitenſium. immanis quadriremis trecentis inſtructa equitibus, quibus adiuncti milites quadringenti; illam ad la-
Toſcane. tera hinc inde firmabant duodecim magni Etruriæ ducis bellica nauigia, quibus confederato, agnatóque Regi opitulabatur. His adſcriptæ X X. Aletenſium naues.

Niort. Niortio Rex Santones venit, relatóque Taillaburgi præſidiarios nutare in fide, maioris momenti *Taillaburgum nouo præſidio à Rege firmatur.*
Saintes. Taillebourg. eâ arce, quàm vt dubiam Rex pateretur, nouo illam firmauit præſidio, initâque panopliæ, quæ eò loci aſſeruabatur ratione, inuenta arma inſtruendo non ægrè decem millium exercitu. Santonibus Roya-
Sainct Seurin. num itur, vbi Eſpernonius cum Sanſurino præfecto

deditionis iam conditiones tractabat. Hæc ad Oceanum.

Mommorancius adhuc æger.

Ad Mediterraneum Mommorancius Narbonensis Galliæ Prorex, à morbo, ad Montalbanam obsidionem contracto, nondum planè conualuerat, nec minùs ideò quamquam æger, viribúsque impar fatigabat hostem, Castrametatore Marchione Portesio, eius ex matre auunculo, cuius virtuti supra fidem est quantùm Gallia Narbonensis debeat, qui Mommorancio duce nihil periculis detrectatis, liberauit à tyrannicâ Sectariorum oppressione prouinciam; tria illi peditum millia, ducenti cataphracti merebant: Chatillonio ad Fossas Marianas priuatam intereà vitam agente, nihilq; in Sectarios auso, qui vxorem, filiúmq; apud Montispessulanenses haberet in vinculis, nullâ misericordiâ iugulandos, si bello suam ille operam Regi præstitisset.

Le Marquis de Portes. Lâguedoc.

Sectarios in Galliâ Narbonensi infestat.

Aiguesmortes.

Vieulesij Comitis victoria ad vallem Saxiacam.

Per id tempus Comes Vieulesius Bruguierâ, Biterras in Mommorancij subsidium properabat; cùm Tanusius ad Saxiaci vallem, loco dumetis obsito insidias struit; Vieulesij frater Mombrunus excursores ductans insidijs circumuoluitur, prœliúmque vix equitibus decem adornat: auditus à Vieulesio scloporum fragor monuit manum conseri, nec mora, sclopo ad manum reliquâ alariorum turmâ fratri aduoluitur: pugnatum diù ancipiti marte, donec Tanusius in fugam actus quadraginta quinque suorum desideratis, impedimentis, equísque amissis vix saluus euasit.

Vieule. Beziers. La Bruguiere. Tanus. Saissac. Mombrun.

Suprà, ad finem Ianuarij, nescio quo fato nobis excidit Regiorum ad Castrum-nouum Arrij

Castelnau d'Arry.

Aunoux Seuenes. Foix. Castres. victoria illustris; quâ præfecto Aunousio, Sectariorum Cebennensium cohors, dum à Fuxensi prouincia Castrum Albigensium remeat ad internecionem cadit, captis signis, quæ etiamnùm hodie in victoriæ monimentum Tolosæ ad D. Stephani Metropolim prostant, viridi, rubeo, albóque coloribus. Ellebouium, Theminiúmque ad Toneinsij obsidionem distentos reliquimus antè, redeat iam ad illos historiæ series. *Aunousij in Sectarios victoria illustris.*

Ad VIII. Kal. Maias post apertam diutinâ verberatione àd propugnaculũ vrbibus intermedium ruinam, placitum admotis scalis oppugnari; delecta Fimmarcon nobilium manus Feudimarchioni, in oppugnationem datur, instant gregarij, quorum agmen, ne in fugam abriperentur, nobilium manipulus claudit. *Expugnatur propugnaculum.* Manus hinc inde conseritur strenuè, Feudimarchionem traijcit ad humerum plumbus immani vulnere, vacillabántque præfecti sui discrimine acies, nî positi à tergo nobiles restaurassent pugnam, donec diutino prælio fatigatus hostis loco cessit. *Vulneratur Feudimarchio.* Propugnaculi possessor Ellebouius, nouum cunicularijs opus indicit, claustra, aggeres, valla, & fossas, stationem ab hostium eruptione firmantia, vbi demum Picardiæ cohors in tuto excubias egit. Posita dein loco oportuno tormenta, obsessos adeò infestant, vt colloquij veniâ impetratâ (quamquam rem consultò gestam plerisque placuit) quinque ab vrbe nobiles subierint Regiorum castra, proponendis conditionibus deditionis, quibus Mompoulianus, Castesiúsque subscribere parati essent. Quæsitę ab obsessis longiores ambages absumendo tem- *De deditione colloquiũ irritum.*

pori, intereà dum ſubſidium parabatur, legéſque Ellebouio deditionis non aliæ propoſitę, quàm pulſantibus tympanis, ſignis explicatis, ignito tormentario fune, glande, quod aiunt ad buccam, ſaluíſque impedimentis, vrbe & libertate ciuium. Ellebouius contrà, vnam Regis miſericordiam pro lege dabat, quam ſi vltrò obſeſſi admitterent futurum aiebat vt vita, libertas & bona illis ſalua forent. diſplicuere præſidiarijs conditiones, maiorique quàm antè contentione redintegrata exin verberatio.

Molendinũ magnâ hoſtium iacturâ expugnatur.

Poſtridie Molendino, quod clauſtris, ſuperſtructóque aggere Forcæus non vrbe procul, parandæ eâ parte obſeſſis libertati, firmauerat, magna ſuorum iacturâ deijcitur, deſideratis legionariorum circiter quadringentis, captis nobilium multis, Forcæo, Theobonóque vni equorum velocitati vitam debentibus.

Forcæus Sectariorũ vrbes in Toneinſij ſubſidium concitat.

Deſperatâ obſeſſorum ſalute, Forcæus Mompouliano filio, quem præ ceteris habebat chariſſimum opitulaturus, Sectarias Aquitaniæ, Petragoricorúmque vrbes in ſubſidium concitat. Liberãdam haud magno periculo momenti maioris vrbem, quàm vt ità eius protectionem prouinciæ abdicent: adeſſe in viciniâ Clairacum, vnde Toneinſij muris, trium horarum ſpatio, legio admoueatur; ſi inter hæc eruperit Mompoulianus ſoluendam obſidionem, expugnatis Regiorum caſtris, captâ ſupellectile, fuſis, cæſíſque, qui obſiſtere auſi; fatigatos diutinâ obſidione Regios; miſſos à ſe ſæpius in eorum caſtra exploratores, qui laxas excubias referant, militaréſque, vbi nox ingruit, ſtationes paſſim deſertas;

vrbem eam communicandis inuicem consilijs percommodam, vnúmque, qui sectæ hodie supersit Tolosâ Burdigalam Garumnæ transitum. Dictir parent Sectariorum municipia; atenim quia infesta illis planities, præsidiarijs vrbium circumadiacentium non nisi Regijs, positis militaribus sagis, & armis, nec turmatim, vt assolent milites, Clairacum indictâ die coëunt, vnde conflato supra ducentos mille gregariorum exercitu, præcipiti Aprili, Forcæus monito staret in armis Mompouliano, prælio se accingit. Quod antequàm describimus, monebo laborantibus annonæ penuriâ obsessis, illatum secundo Garumnâ, magnâ copiâ commeatum, militari, quod Forcæus armauerat, nauigio; non ausis prælium seu imbelli animo, seu pecuniâ corruptis, tribus Hierosolymitanis equitibus, quibus Burdigalensis Senatus nauiculas sex in eam expeditionem instructas commiserat, quod obsidionem in moras diuturniores traxit. *Coëunt Sectarij.* *Commeatus Toneinsium infertur.*

Fama tunc inualuit glande sauciatum, quà cranij extrema capillicium subit Mompoulianum, dum Regios ab oppugnatione domus muro adiacentis prohibere conatur, expugnatámque domum magè hostium consternatione ad eius vulnus, quàm Regiorum virtute, quamquam strenuè conseruerant manum: leue vulnus vix plumbo cutem cranij extimam delibante, quod tamen illi excidio erit, vt infrà videbimus. *Vulneratur Mompoulianus.*

Forcæus haud ignarus Regios facinoris, quod parabat futuros conscios, fatigandis ijs, edito non procul à castris colle sese ostentat sæpius, signis expli- *Forcæi stratagema bellicum.*

catis, tympanísque pulsantibus; Regij ex aduerso ad arma accurrere, in arenam, (prȩlij campum vocant) instructis aciebus descendere, præstolari hostem, qui renouatis ter, quatérque in die eiusmodi fictionibus Ellebouio, Marescallóque Theminio eâ arte illudit, vt miles nocte insomnis, interdiúque in armis stare coactus vix ijs sustinendis par esset. Postquàm biduò Regios consilij sui anxios fecit, ratus fictionem vt antè credituros, mille circiter pedites, quadringentos equites prouectâ iam nocte Clairaco emittit, quæsitóque longiore in circulum anfractu, per amica silentia non vrbe procul, profundâ & latâ viâ consistit. agmina ductabant Forcæus pater, Marchio filius, Marchióque item Bourfolessus: progressos, primo diluculo explorator detegit, displosóque sclopeto, stationarios, quos diuturniores noctis excubiæ in somnum imminente aurorâ laxauerant, monet adesse hostem. Nec mora, loco oportuno Forcæus pedites locat, ad Toneinsiensis propugnaculi latus, viâ eius profunditatis, quæ militem à Regiorum displosione tegeret, ea via est quà Marmanda patet: præmitti ex hinc ducentos sclopetarios, qui loca hinc inde insederent quà in prælij campum iter erat, scilicet transfodiendis à latere Regijs, dum in arenam de more accurrerent. Ità res accidit. deuolant ex præscripto ordine nobiles & gregarij facto agmine, viámque incauti subeunt, vbi sauciati plures, plerique cæsi. Parte aliâ in Toneinsiense propugnaculum acie suâ Forcæus irruit, albis ad collum mantilibus, quo secundùm tenebras se inuicem ab hoste distinguerent. Ad eam

Champ de bataille.

Cum Regijs signa confert.

Bourfolles.

Marmande.

Propugnaculum oppugnat.

Arpajõ. S. Chamaran. Perdigal. Lessarras. Brigantin.

Ab Arpajono reciuditur.

fortè fortunâ stationem Vicecomes Arpajonus vir strenuus, Sanchamarandus, Perdigalius, Lessarrasius, Brigantinúsque voluntarij nobiles agebant excubias, quorum virtuti nemo dubitauit debitam eâ parte victoriam, fusis magnâ iacturâ hostibus.

Fragore Theminius Ellebouiúsque experrecti.

Intereà sclopeorum fragor, inconcinnæ, rudésque dimicantium voces, tympanorum strepitus, tubarum clangor Ellebouium, Marescallúmque Theminium imperatores, qui non procul hinc ad prætorium quisque suum ab excubijs, somno matutino membra crediderant, implacidâ velut imagine turbant, sublato somni otio; illi arma capere; quamquam Marescallus quartanâ laborans vix in vestigio consistere poterat: Ellebouius, dum cassidem, thoracémque æneum ephœbi duo offerunt, in procinctu armigero vt ea aptaret, caput ad fenestram exerit, quà prælij campus prostabat, cùm victor hostis, ingenti vociferatione, tabernaculo eius aduoluitur. Ille omissis armis, equo insilire, ferróque ad manum in hostem decurrere, sequuti ex familiâ nobiles aliquot, morti eximunt, sternúntque obuios.

Erumpit inermis Ellebouius.

Cornusson.

Cornussonus lethaliter vulneratur.

Non procul hinc Cornussonus Tolosatum Senescallus in turmam hostium incidit, quam ratus amicam; Quid moramur commilitones, inquit, quin aut propulsemus ingruentem hostem, aut pulchrâ gloriosè dimicando morte finiamus? Dixerat, cùm inimicâ phalange circumuolutus, sclopetis excipitur, triplicíque vulnere sauciatur, nec minùs ideò pugnâ absistit. Post diutinum prælium, viam sibi in vrbem strauerat victor hostis, Marescallúmque Theminium ægrum in vincula destinabat, cùm

re agnitâ Arpajonus eius gener, expeditâ duodecim equitum turmâ hostem à tabernaculi aditu prohibet, donec in prælium accinctus Theminius equo irrumpit; non antè acriùs dimicatum, vbi supra modum laudata Vicecomitis Arpajoni virtus, cui vitâ debuisse Theminium nemo tunc dubitauit.

Ab Ambra eiúsque nepos occisi.

Ex aduerso ad syluæ profundioris oram Vicinus ab Ambra heros inuicti animi, eiúsque ex fratre nepos Vicecomes Montis clari etiamnùm adolescens, *Mon-clar.* quibus vix nobilium quatuor aderant, dum sequuturum alariorum ordinem autumant, in legionarios fixo vestigio præstolantes deuolant: pugnatum hîc acriter, at auerso Regijs marte; quippe dum detrectantibus prælium alarijs nostris, ducentorum impetum vix octo equites sustinent, miserè occumbunt.

Traijcitur lethali glande Vicinus ab Ambrâ, nec diu fatum eluctatus equo excutitur; accurrere eius nepos, quem in defectum prolis sibi ex stirpe heredem scripserat, equo desilire, retrahendo hinc procul patruo palpitanti adhuc, cùm plumbo traiectus ipse in exspirantem cadit, haud indignus qui magni animi, ingentísque erga suos affectus commendatione donetur.

Strenuè à Regijs actû.

Laudati præ alijs Comes Ribeiracus, *Ribei-rac.* Motæus Altifortius, *LaMotte d'Hau-tefort.* Marchio Dousius, Vigniolius primus Castrametator, Arpajonus illæsi omnes; nisi quòd Dousius sauciatus, diu vitam in *LaDou-se.* periculo habuit. Desiderati post rem strenuè gestam *Boneüil* Boneulius magnâ virtutis famâ illustris, Picardicæque cohortis præfectus, duo eiusdem cohortis legati, Belhadæus, Plenipugnius Casausius, trigintáque cum illis legionarij. *Belhade Plein-poing. Casaus.*

Dum

Dum ità ad primum ab vrbe lapidem manus conſeritur, erumpit Mompoulianus, quamquam à vulnere tardior, Douſiíque cohorte, quæ ad valla agebat excubias, in fugam actâ, Pedemontanam retrudit, intereà dũ egreſſæ feminæ ferro & flammâ militum mapalia diripiunt, vbi, quod & alibi geſtum ſæpius, poſt iugulatos ad internecionem ſaucios, ægróſque, ignem ſubijciunt caſtris, tormenta corrumpunt, puluerémque & pilas tormentarias in vrbem aſportant, glorioſo admodùm hoſti facinore; niſi poſt fugatum magnâ iacturâ Forcæum, poſt cæſos trecentos ſubſidiariorum, in vrbem retractus Mompoulianus recrudeſcente vulnere pœnas temeritatis luiſſet.

Erumpit ab vrbe Mompoulianus.

Retruditur magnâ iacturâ.

Ferunt febre debilitatum Theminium, dum ſui immemor ferebatur in hoſtem, deliquium animi paſſum, vt in prætorium mortuo haut abſimilis illatus, redeunte non niſi ægrè ſpiritu, reliqua ſaluus euaſerit. Deo vni debita victoriæ laus, poſito ſupra hominum vices facinore.

Magna hîc Rebellium, iactura fuit, lætáque Regijs non immeritò dici victoria poterat, nî ſummo omnium mœrore deſiderati Cornuſſonus, ab Ambra, Monſclarius, Boneuliúſque, viri quorũ animo, & conſilijs magna erant bello momenta. Accuſatum ad ea tempora memini Forcæum patrem, quòd parum partæ armis famæ eo prælio conſuluiſſet; qui ad manum habuerat, vnde ſolutâ obſidione principem, Galliæque Mareſcallum caperet, ingenti exhinc redemptione liberandos. Debitam Regiorum ſalutem receptui, cui præcociter inclinatâ iam in

Iactura regiorum Rebelliúmque.

Accuſatur Forcæus.

ſuos victoriâ ceciniſſet, vt quo tempore deſperata Regiorum ſalus, editam memorent Rebellium cladem, non aliâ ſubiti receptus ratione, quàm timore. Magnum diuinæ in Regios prouidentiæ indicium, quæ tacitâ conſternatione in fugam hoſtem eo momento adegit, quo Regij terga vertebant.

Deditum Toneinſium. Obſeſſi eò poſitis rebus, vt neque iam à Forcæo ſubſidium, nec malis quibus affligebantur remedium ſperare poſſent, colloquij iterum facultatem ab Ellebouio petunt, datur: póſtque varias altercationes in deditionem demùm conuenitur hâc formulâ.

Deditionis leges. I. Tormenta bellica quæcumque in vrbe inuenta fuerint, Regi addicentur.

II. Diruetur quà deſignabunt obſeſſi murus, parando diſceſſui.

III. Impedimenta, armáque dato commeatu Clairacum inuehentur.

IV. Præſtabitur de non mouendo intra ſex menſes in Regem bello ſacramentum.

Mompoulianus ager. His ità præſcriptis Caſtronouanus vrbem ſubit, *Caſtelnau.* datáque obſeſſis iuriſiurandi formulâ, ſacramentũ ab omnibus excipit; vrbe exin abſiſtunt præſidiarij octingenti, Mompouliano primã ægrè aciem ductante, qui à vulnere, morbóque tabeſcebat; nec diu equum paſſus in manualem ſe cathedram conijcit: claudebat agmen Vicecomes Caſteſius. Quamquam præfectorum conditio diſpar, ille breui ſeu à vulnere, quod ad caput acceperat, ſeu morbo, pa- *Paulo poſt excedit.* rum Rebellioni debitam animam nobiliorem poſuit, magno ſuorum mœrore, qui Forcææ ſtirpis no-

bilissimum germen erat. Hic peregrinum agens, incultus, carbaseâ veste, scipione oblongo ad manum, ad cuius extremum assurgebant tria lilia, víxque vno ephœbo eodem habitu comite, pedes Romam venit, vbi ignotus diu; donec abdicandæ in summi Pontificis manibus hæresi Marchionem Cœuurium Regis Galliæ Legatum adit, à quo summo Pontifici exhibetur; mirantibus qui astabant, quòd inconcinnum, habitúque rudem peregrinum ingenti legatus honore donaret, quem nemo dubitauerat mendicum. Prouolutus summi Pontificis genibus, Rebellionis in Deum, Regémque suum crimen, quod diutinâ pœnitētiâ diluerat antè, sanctâ benedictione extirpari in perpetuum petit. Lactem, se, hæresímque insimul hausisse, patréque natum hæretico, in erroribus ab Ecclesiâ procul educatū; at Orthodoxos eos omniū optimos esse, quos aliquandiu hæresis habuit, si quando propitiante numine Petri fluctuantē nauiculam subeunt; notos illis abusus, notam pertinaciæ hæreticę licentiam, manifestā singulari numinis beneficio Catholicæ fidei veritatem. Se inter reciprocantis fortunæ fluctus Dei gratię supra quàm dici possit debitorem, post expertam sæpius in Regem suum (quod vehementer dolet) incerti prælij aleam, post propulsata diù, recénsque tria obsidia, Neraci, Monhurtij, Toneinsíque, Mayennio, Rege ipso, Ellebouióque Principe Lotharingo ad diuersa tempora oppugnantibus adesse incolumem, cui toties vita præripi debuit, quoties in Regium caput, in fidem Catholicam, in Deum ipsum ferrum exeruit. Magnum se,

Le Marquis de Cœuures.

Castesius Caluinismū in manibus summi Pontificis abdicat.

Eius ad summum Pontificem oratio.

ad eam conuersionem momentum statuisse, quòd etiam ingentes hæreticorum vires, ad vnam LVDOVICI Regis præsentiam fatiscebant, quòd tacitâ, cuius causa ignorabatur, consternatione, Rebellium manibus arma excidebant. Vnde post sæpius tentatam à se marte semper aduerso fortunam, conclusum tandem causam iniquam esse, Rebellionem noxiam, penitúsque exitialem, cuius origo & fomes vna hæresis. Dilapsum se ignaro patre, qui primariam ad Santones, Rupellámque Comitiorum Rebellium nomine præfecturam gerit, Deíque legati, quem caput Ecclesiæ agnoscit & profitetur, prouolui humillimè pedibus, quæ si post sacrosanctam benedictionem, quamquam indigno osculari dabitur, immortalem futuram felicitatem suam, habiturum se immensas numini gratias, cuius æternâ prouidentiâ in filium adoptabitur, qui hostis erat. Sic præfatus, lacrymis ad amorem obortis sanctos summi Pontificis pedes irrigare, datâque veniâ ingenti affectu deosculari, quod gratissimo omnibus exemplo fuit.

Quare abnegatas antè deditionis conditiones admiserit Ellebouius.

Condæum Principem Rex iam antè in eam obsidionem præmiserat, sequuturus ad extrema ipse, ratus defuturas in expugnationem à diutinâ obsidione Ellebouio copias; quo factum vt Ellebouius, qui obsidio diu incubuerat magnâ animi famâ, consortem gloriæ habere nolens, dum Condæus nouo subsidio properabat deditionis conditiones antè abnegatas, admiserit vltrò.

Secundum eam obsidionem, ineunte Martio clade afficiuntur Montalbanenses, dum Girardo

Mayennij alariorum præfecto, qui circumiacentem agrum vastabat, obsistere tentant. Errabat velut vmbra, infelix alariorum ordo, Villæque Borboniæ confinia diripiens, proditorio sanguine sæpe Manibus imperatoris olim sui litabat; cùm Vignaucius, etiam tunc Borboniæ arcis præfectus, sexaginta equitibus, quos ducenti sclopetarij, quinquaginta hastati stipabant erumpit: illi Girardus vir magni animi in occursum ire, sustinere primum agmen Bastidæus, manum alarios inter (nondum enim pedites venerant) strenuè conferi, donec Vigniaucius plumbo traiectus occumbit. Non distulere ad præfecti sui necem in fugam abripi præsidiarij Montalbanenses, quos ad Villæ-Borboniæ munimenta insequutus Girardus victor magnam sibi promeruit laudem, cæso Villæ-Borboniæ præfecto, vigintíque insuper oppidanis, qui præfectum ipse suum Mayennium, inuictum Principem, eodemmet loci amiserat. Regiorum vix desideratus vnus, qui equo indomiti oris diu incassum obluctatus, in vrbem inuectus est, vbi agnitus, ferro vltore cadit.

Occiditur Vignaucius.

Vi-gnaux.

La Bastide.

Montalbanensium strages.

Præcipiti Martio Fauasius, Sansurinúsque, fanum Viuiani obsident, vrbem iam antè à Sectarijs ferro & flammâ vastatam. Monitus Ornanus equitum ordinem in eam partē ductat, vbi collatis signis, post diutinum prælium solutâ obsidione in fugam abripiuntur Fauasius, Sansurinúsque, desideratis Rebellium centum viginti quinque. condignam sacrilegis pœnā, qui, direptâ nuper eôdem loci Ecclesiâ, sacrosanctū Eucharistię Sacramentū ludibrio habuerant, calcato prô nefas! pedibúsq; attrito pane Angelorū.

Fauas. Sainct Seurin. Sainct Viuian. Ornano

Magnâ iacturâ Fauasius in fugam agitur.

Lescunus captus capite mulctatur. Inter reliquias prælij Lescunus Benarnensis olim Lescun. Parlamenti Senator, magni apud Sectarios nominis, quem supra sæpius memorauimus, sensim dilapsus Royanum appulit; hinc Clairacum rectà instituebat iter, cùm à San-Leodegario ad Cosas Sainct Leger. non procul Santonũ plagâ interceptus, tentatóque Coses. (quamquam viribus impar) prędio vulneratus Burdigalæ Senatus placito, capite mulctatur, qui Comitijs diu Rupellanis præfuerat, eorúmque diplomata vigintiquatuor, ad nouos cohortium, alariorúmque delectus, quà in Aquitaniam, quà in Benarnium asportabat, Rupellano sigillo cælata, propriáque ipsius manu ità obsignata; LESCVNVS *Præses.* ROVSTELAVTVS *Adiunctus.* GOVTTÆVS RIFAVTIVS *à Secretis.* Perduellis infame caput etiamnùm hodie, ad Royani portam, quà mari alluitur prostat, in ęternum prostratę Rebellionis monimentum. Hæc ad Aquitaniam.

CAPVT III.

EPITOME.

Espernonius Regis iussu Royanum cingit. Malè à suis habetur vrbis præfectus Sansurinus. Royani descriptio. admotus muris exercitus. oppugnatio duplex. expugnantur propugnacula duo. sepulti ruinâ quadraginta Regiorum nobiles. Royanum Regi deditur. deditionis conditiones. Monsmarsanus intercipitur. delusus Forcai commento Theobonus illi fani Fidei præfecturâ

cedit. Condæus Ellebouij copias suis ascribit. Deditur Clairacum. pugnatur ad primos fani Fidei accessus pertinaciter. Forcæ, urbe deditâ, ad Regem oratio supplex. habentur publicæ ad Eucharistię solemne supplicationes. Regis immensa pietas. Dux Vindocinensis sacramento Clairacenses in fidem adigit.



VPRA ex occasione attigimus præmissum à Rege quatuor legionariorum millibus Espernonium, cingendo in proximam obsidionem Royano. Nondum vrbi admouerat acies, cùm illi in occursum obuius à Sansurino vrbis pręfecto nobilis, monet, Sansurino rem esse in abdito, quam, si dabitur commeatus, Espernonio communicare aueat. Nihil moratus imperator, commeatum dare; adesse ille, proditóque prouiore in obsequium animo, deditionis legem subire. Pactis conditionibus redierat in vrbem, seu communicando præfectis arcano, seu instruendo Regij ingressus apparatui; cùm sclopetis exceptus cogitur Espernonij misericordiam experiri, à quo perhonorificè habitus, multa de præsidiariorum proditione queritur, Regíque non inutiliter militat in vrbem, quam intùs nouerat.

Espernonius Royanum cingit.

Sansurino Royani negatur ingressus.

Royanum vrbs est loco ad commercium percommodo, nempe quà Garumna fluuius Oceanum subit, portu illustris, quem arx Tremolliæ ditionis validissima firmat, duplices illi fossæ, inaccesso circumasperis rupibus aditu. His accedebant nouo propugnacula opere, hemicycli, forcipes, cornua,

Royani descriptio.

La Trimoüille.

aliáque id genus munimenta, quibus Rupellanorum identidem inuecto subsidio, semestrem vrbs obsidionem passura sperabatur. Suburbium mari adiacet, vbi Espernonius locatis Campaniæ, Buriíque cohortibus Regem operitur. Intereà presidiarij, Sansurini conscios, quicumque deditioni subscripserãt, in vincula agunt, direptisque eius ædibus in commune conferunt prædam, publicóque ipsius naues addicunt.

Vrbi cohortes admouentur.

Champagne. Bury.

Postridie Rex vrbi exercitum admoturus cohortes prætorianam, Nauarræ & Castribayardi, quà rupes ad Fossilionem assurgebant distribuit, póstque indictam in propugnaculum cui à Soubisio nomen, oppugnationem, ad Campaniæ, Buriíque metationem designatur in portum, arcémq; adpugnatio duplex; donec diutinà verberatione quassatis propugnaculis duobus, Soubisiano, quódque illi adiacebat, bifariàm oppugnari placuit. Regij in ruinam duplici agmine prorumpere; hos Marescallus Vitrius Castrametatoribus Mariliaco, & Senecæo; illos Marescallus Praslinius ductabat, Castrametatoribus Valancæo & Bassompetro. Huius oppugnationis valla produxerat Gaborinus acerrimi ingenij opifex, illius Pompeius Tragonus vterque Italus. Nec diu pugnatum cùm hostis in fugam abripitur.

Duplex oppugnatio.

Expugnantur propugnacula duo.

Regimẽt des Gardes. Nauarre. Castelbayard. Foussillon.

Vitry. Marillac. Senecay. Valãcé. Bassompierre. Gaborin. Pompée Tragon.

Expugnatis munimentis, Gaborinus præcipiti Rebellium effugio fraudem suspicatus, quà augurabatur cuniculum eludit sagax, quęsitóque circulo, propugnaculum occupat non nisi à tergo, vbi haud ægrè cuniculum detegit, cui iam obducto foramine ignis

Gaborini sagacitas.

ignis subijciebatur; parte aliâ, minori à Tragone Pompeio diffidentiâ itum, ac ideò maiore Regiorum iacturâ; quippe dum tympanis pulsantibus, expassísque signis medio propugnaculo triumphatur, cuniculo subditus ignis eâ circumiacentem humum ruinâ euertit, vt sepulti quadraginta nobiles, luctuosam Regi præstiterint expugnationem, hos inter Humierius primarius aulæ nobilis, vir magni animi, quem suprà memorauimus, libertatis nullâ redemptione gratiam eôdem loci ab vrbis præfecto accepisse; desiderati insuper Bassæus & Matha viri illustres, centum circiter Campaniæ, Buriíque cohortium milites; Marescallus Vitrius leuiter sauciatur, quíque illi ephœbus cassidem offert lethali vulnere cadit: Comitis Pongibauti balteus plumbo traijcitur, eo nihil læso.

Tragoni infesta.

Sepulti ruinâ quadraginta nobiles.

Humieres.

Bassé. Matha.

Pontgibaut.

Ad VI. Eid. Maias duo item propugnacula Soubisianum inter & vrbem media expugnantur; posteràque die, quæ à primâ obsidione sexta erat, munimentis tympanista absistens, commeatum tractandæ deditioni petit; dum Fauasius, Lanouiúsque qui paulò antè vrbem subierant, ne sibi præmaturæ deditionis imputaretur dedecus, mari dilabuntur. Vndecimâque tandem in has deditionis leges conuentum.

Royanum deditum.

Fauas. Lanouë

I. Rex vitam, & libertatem oppidanis, præsidiariísque salua habet.

Leges deditionis.

II. Abscedent quò lubuerit, præterquàm in Insulam Argentoniam, & Medocum. Supellex, armáque salua sunto, exceptis tormentis bellicis, puluere & pilis tormentarijs.

l'Isle d'Argéton. Merloc.

Aaa a

III. Præreptam egresso nuper Sansurino, nobilibúsque supellectilem bonâ fide restituent, naues quas ad portum habebat, ceteráque; aut vbi ea defuerint, legitimam omnium æstimationem.

IV. Actum nuper in vincula Pousacum prȩstabunt in momento liberum, obsidésque in id ex delectu dabunt. Pousac.

V. Edictorum beneficijs, quæ libertatem conscientiæ continent, fruentur oppidani.

VI. Si quibus Rebellionem imposterum abdicare mens est, tutò illis apud suos agere liceat; si in perduellione perstare, sacramento solemni adigentur, non collaturos se cum Rege signa, quamdiu vita suppetet.

VII. Inclinante in vesperam sole munimenta & muros prætorianis militibus committent, ac omnium interim obsides dabunt.

Actum in castris ante Royanum XI. Maij, anno à reparata salute M. DC. XXI.

Per idem tempus ad Aquitaniam Castronouani Castelnau. proditione rebellauit Mons-Marsanus, vrbs bello Mont de Marsan. instructissima, dum Theobono ad fanum Fidei non illepidè illudebat Forcæus. Ille vrbis præfectus Forcæum inconsultò iam antè admiserat, qui exin nihil non mouit, quò vrbis imperio Theobonum deijceret. Marchio eius filius secum fortuitò vxorem formâ commendabilem in eam vrbem induxerat; neque inter armorum strepitus deerant amoris ludicra (nempe amicâ Marti Venere) donec ex Comico sale ad ignem propiùs accedens Theobonus totus incaluit: iam mutantur belli in

Mons-Marsanus intercipitur.

Delusus haud illepidè à Forcæo Theobonus.

amoris consilia, iam in Omphale prostituitur Lernæus victor, quíque nuper tormentario pulu ere fuliginosus phalangem ductabat cataphractus; hodie Cyprio puluerulentus, amorem sectatur, non nisi Veneris imperia subiturus. Non displicuêre Forcęo tam oportuni amores; imò nurum rogat enixiùs, mentiretur vultu placido affectum, quæque saluo honore conferri excæcando homini possent, conferret in magni facinoris spem non incertam. Actâ in casses ferâ, vt nè quidem iam eluctari posset, dum non nisi vanis amorum aucupijs deluditur, non differt tacitâ factione Forcęus quà pollicitationibus, quà donis corrumpere quibus arcis tutela incubuerat, ipséque Theobonus perniciosè in commodum ipse suum se suaderi passus, nescio an in spem delusoriæ Veneris, præfecturâ Forcæo cedit; vnde remuneratione͂ à Rege ingentem obtinere potuerat.

Forcæo præfectura cedit.

Iam antè scripsimus commissum Condæo leuem exercitum, quo Regi, mox sequuturo, sterneret viam. Datum id illi à Rege muneris Toneinsium diutinâ iam Ellebouij obsidione fatigatum expugnaret, in Clairacum, Montémque Marsanum castra demum moturus, obsidendo vltimùm fano Fidei, quibus expeditionibus adfuturus ipse, præuij cum reliquo exercitu, vestigia premeret. Tentandam tamen antè clementiæ viam, quam, si vltrò subirent præfecti vrbium, præscribendas ex Condæi placito deditionum leges. Ellebouius Condæi aduentum subscriptâ Toneinsij deditione præuenerat, hinc iunctis agminibus valido in Clairacum exercitu itum. Cùm Condæo obuius à Lusiniano

Condæi copia Ellebouij exercitui ascripta.

nobilis, monet Regis obsequio addictum Lusinianum in procinctu esse, vt fidem Regi proderet; hortari tamen habitâ impensarum ratione, quas in vrbem reparandam de suo contulisset, remunerationis à Rege aliquid haud immerenti obtineretur, qui non alijs conditionibus vrbe absistebat. Ad hæc Condæus insigni prudentiâ Princeps, nobilium sanguini parcere auidus, neque ignarus vel vnius diei obsidionem, eius deditionis precio longè cariùs Regi constituturam, viginti aureorum millia Lusiniano in spem deditionis promittit, vrbéque potitur, quæ trimestrem obsidionem pati haud ęgrè poterat.

Clairacum Regi deditur.

Lusinianum imitatus Castronouanus, Montem-Marsanum decem aureorum millibus vendit; Rege, quod Gallicæ nobilitati non iniuriâ dedecori imputari queat, vrbium suarum emptore. Superabant eâ parte fanum Fidei & Monsflanquinus Forcæo præfecto; propositæ huic deditionis leges, quibus se subscripturum Forcæus negans, Condæum adigit vt in fanum Fidei castra moueat. Normannię cohors, cui primum cornu obtigerat, sauciatis Barone Valiaco, Combaretóque, post diutinum prælium, præsidiarios in fossam retrudit; Pedemontana nihil segniùs suburbium occupat, vulnerato ad brachium Fontenaio legionis præfecto, pertinaciter ad primos accessus vtrimque dimicatum; donec gregariorũ sauciatis, cæsísque pluribus, retractus in munimina hostis liberã hinc inde planitiem linquit.

Mons-Marsanus item.

Mon-flãquin.

Pugnatur ad primos Fani Fidei accessus.

Valiac. Combaret.

Iam succedebant muris legiones, vasaque proximæ verberationi viminea in procinctu erant, cùm

De Lomenie Sieur de la ville aux Clercs.

procurante Lomenio Villæ ad clericos, viro haud vulgaris prudentiæ, in deditionem conuentum, his conditionibus; Vt ducenta aureorum millia, restaurandæ familiæ Forcæo cederent, Marescalli Galliæ præfecturâ, bacillum vocant, donaretur, diplomate veniam sibi, natis, familiæ, militibúsque suis à Rege obtineret. Munimenta vrbis ex placito diruenda, saluis muris.

Deditur vrbs.

Pactâ in hunc modum deditione, venienti Regi in occursum properat, genibúsque supplex aduolutus, lacrymis oportunè obortis in hæc verba præfatur: Vix exprimi posse quo dolore perduellionis exactæ memoriam ferat, perfidum se supra hominum captum, paratum, vt proprio sanguine proditionem diluat; torrentem Rebellionis sequutum quam (nisi lacrymarum torrens expiabit) superesse; vnam, quam impendat pro Rege, glorioso condignóque proditione, vulnere vitam; momenti minoris lacrymas, minoris vitam ipsam, quàm vt scelus omne vnâ proditione commissum illis expiari queat: neque vulnere glorioso sibi debitá mortem, quem potiori iure indecorus publico iudicio præstolabitur finis, cui si eximitur, gratia est, quam vni LVDOVICO, velut liberatori Deo in æternum debitam profitebitur. Paratū se vt Regi militans sanguinem, vitámque in illos impendat, quorum olim fuit & vita & sanguis. Ad hæc Rex non defuturum se officio Regis, si Forcæus postmodùm subditi muneri non defuerit. His districtè, vt assolet, dictis, in vrbem magnâ omnium acclamatione admittitur.

Forcæi à Regem oratio supplex

Habita ad fanum Fidei S. Eucharistiæ supplicationes.

Posterâ die, quæ in sacrosanctæ Eucharistiæ solemne incidebat, habendis ex veteri Ecclesiæ ritu supplicationibus, Regio apparatu vici exornantur; dúmque peristromata filis aureis intertexta plateas illustrant, post celebratum, ministro Archiepiscopo Turonensium, sacrum, ad sanctam synaxim immensâ Rex pietate accedit; hinc Deum-hominem aperto capite, cereóque accenso ad manum, gestu humili, vultúque ad amorem composito adorat & sequitur; vt singularem Regis pietatem ipsimet suspicerent Sectarij, mente, animóque defixi. Vmbulæ plusquàm augustalis, quâ V. Sacramentum tegebatur bacillos quatuor præferebant primores totidem, Condæus Galliæ Princeps, Vicensis, Radesianus Duces & Pares, Prasliniúsque Galliæ Marescallus. Regi astabant Cardinalis Radesianus, Torquati equites, Aulici, prouinciæ nobiles, eâque frequentiâ populus vt vrbs angustioribus terminis circumscripta, vix capax excipiendæ multitudini foret.

Tours.

Regis immensa pietas.

Sequuti Principes, Ducésque.

Condé. Vícez. Retz. Prasliu.

Res est non indigna relatu Regem eâ fanum FIDEI die subijsse, quâ Ecclesia orthodoxa Catholicorum FIDEM in Eucharistiç Sacramento quotannis renouat.

Dux Vindocinensis sacramento Clairacenses in fidem adegit.

Paulò pòst Dux Vindocinensis Clairacensibus iureiurando in obsequium adactis, tractatum iam antè, procurante Ducæo, deditionis negotium conficit, firmatâ nouis stationibus vrbe, præscriptóque diruendorum muniminum ordine.

Le Duc.

CAPVT IV.

EPITOME.

Dux Suillius versipellis homo dolosâ proditione Regi iterum illudit. Lamontium emeritum à custodia missum à Rege, vt eius arces subiret, malè decipit, nouis commentis nectens moras. Forcæum Marchionem, euocat qui occupatâ arce, Oruallum ab eâ in speciem depellit. A Pibracio, Suillius in Forcæum subsidium petit. legit ille auxiliares copias. decipitur. Regis ad rei nuntium ira. eius super eâ re sententia ad seueritatem inclinans. Condæus præualet. queritur de Marchione Forcæo Suillius. deduntur arces. vnde apud nos Vxellodunum, Caddenacum dictum. capitur à Carlusio Suillius. A Tolosano Senatu Rex Moissaci salutatur. Nigrapelissa ingenti hostium clade expugnatur. Deditur Castrum, cui parcitur absumptâ vrbe.

IAM nota nimis Suillij, viri versipellis proditio nequam, quàm vt in dubium traheretur. Hærebat ille etiamnùm dubius, Oruallóque filio perduellionem imputabat, cuius ipsummet nemo diffitebatur auctorem; captum se à filio iam antè imposuerat, recénsque libertate donatus sacramento fidem astrinxerat, admissurum se in arces suas ex placito Regis præsidium. Nihil adhæc differt Lamontius Scotus, emeritus à custodiâ

Suillius homo versipellis.

Lamont exempt desGardes.

Regi adhuc illudit.

miles, quinquaginta Heluetijs rectà Vxellodunum pergere, datísque Suillio à Rege codicillis paratum se, vt Regis iussu eo præsidio subiret arcem. Hìc depræhensus in manifesta proditione Suillius, hærere primùm nescius quam in partem verteret dolum: instare Lamontius, fidem Regi datam non ità violandam; neque ità procul hinc Regias acies, quin postridiè decem hominum millia, tormentáque viginti muris succedant: Suillius contrà, paratum se vt fidem exsolueret, nouo tamen dubio, quod ex nouis emergat conferendas iterùm deditionis leges, quod Regi ipsi commodo vertat; absisteret tantisper, donec delegatione iam vltimâ, quam ad Regem parabat, de eius voluntate fieret certior; dimittendam intereà Pibracij cohortem, quæ Vxellodunum, Figiacum, Cardaillacum, Caiarcúmque arces Regi amicas ità opprimeret, vt non iniuriâ Pibracius perduellis dici posset, qui Regios vanâ Rebellionis imagine tam acriter insectaretur; armis hinc inde hostilibus abstinendum, donec reuoluto mense (quam vltimò deditioni dilationem petebat) præscriptam sibi ab ipso Rege legem subiret.

Pibracium longè absistere petit.

Post exactum mensem adesse iterum stipantibus ijsdem Heluetijs idem Lamontius, cùm Suillius extrema tentat: iussus ex pacto arce absisteret, moras in crastinum nectit, intereà dum monitus Marchio Forcæus in subsidium aduolat; atenim ne proditioni videretur ipsemet post datam toties fidem subscripsisse; diuiso in castellum & arcem Vxelloduno, Oruallo arce creditâ, in castellum ipse secedit.

Nouum Suillii commentum.

nec

nec diu, cùm in vrbem Forcæus Oualli ex sorore frater, magno applausu excipitur: ibi à mutuis fraternâ caritate amplexibus in mensam itur, quam gratulaturus fratri Oruallus multiplici venatione instruxerat: iámque bellaria inferebantur, cùm ludicrâ proditione Forcęus, acto fratri ad iugulum ferro, cedere arce iubet, aut mori. Oruallus ad hæc, delusoriâ formidine, nihil moratus arcem aperit, quam non alio Forcæus sibi præsidio firmat, ipsismet Oralli familiaribus, quíque illi antè merebant legionarijs. rem ridiculam! cui nemo habuerit fidem, aut apertiùs Regem delusum crediderit.

Forcæus arcem delusoriè sibi cedi procurat.

Re agnitâ Suillius, fune pedisequum per fenestram demittit, Pibraciúmque, qui tunc Faisseliæ agebat, interceptam monet à Marchione Forcæo Vxelloduneam arcem, legeret in subsidium expeditas acies, dum sibi virium suppetebat satis, quò in triduum hosti obsisteret. Pibracius vir sagax à pedisequo Suillij codicillos exposcere, ille negare datos sibi, eò positis rebus, vt ne leuiores quidem literarum moras pati potuissent: rem trahere in dubium viri haud inexpertis prudentia, ne tamen officio defuisse videretur, cohortem suam in vnum legit, impetratísque à circumiectis municipijs auxiliaribus copijs, mille & quingentos legionarios in ordinatam aciem instruit, quibus adiuncto alariorum Meruillij ordine, Suillij pedisequum, dato illi in comitem familiari ex suis, renuntiare iubet postridiè adfuturam, Pibracio procurante, subsidiariam manum; illi ad syluæ oram, quà prærupta rupium ingenti præcipicio assurgebant, detectis in-

Faisselle

Meruille.

Suillius mentitâ Regis fide à Pibracio auxiliares copias petit.

Pibracius in subsidiũ copias legit.

sidijs, per dumeta, syluæque anfractus dilabuntur, castellúmque incolumes subeunt. Ex aduerso Pibracius ratus, vt res erat, eâ parte latere insidias, apertâ planitie molitur iter, Figiacóque primùm, dehinc Vxelloduno succedit, hîc expassis signis, tympanísque pulsantibus in quadra agmina copias diuidit, lectáque non arce procul arenâ, hæret in vestigio, signum quoddam à Suillio præstolatus, quo in quam partem irrumpendum designaret. Cùm moræ impatiens, Gargassium centuriæ præfectum iubet expeditam manum muris admouere; ille supra fidem audacter, hastâ ad manum, leuiore manipulo fossæ aduoluitur, eruptúmque legionariorum ordinem magnâ vi in arcem retrudit, donec machinis à Castro muralibus, dehinc vbi propiùs accesserat sclopis exceptus Suillij proditionem Pibracio retulit.

Suillij proditio detegitur.

Gargas.

Ille nuntium ad Regem nihil differre, qui deductâ in arctius belli consilium proditione, in eam sententiam inclinabat, vt præfecto capitalium traditus Forcæus pater ad Vxelloduni fossam obtorto collo in vinculis traheretur, vbi aut ad conspectum filij ferro vltore caderet, aut dedi arcem procuraret; fidem patris recenti iureiurando adactam in obsequium, non à se solùm, sed à filijs, familiaribúsque Regi præstandum; peierantem, capite noxio luiturum pœnas. At Condæi prævaluit in contrarium sententia, qui litem eò suam faciebat, quòd Regis iussu pacta deditionis cum Forcæo nuper inijsset, quæ contra fidem datam violari nefas contendebat, datam à se recèns Rege auctore fidem, quæ nisi leui

Regis in Forcæi necem sententia.

Prævalet Condæi opinio.

huic in Forcæum suspicioni præualet, ludibrio esse, quæ ipse gesserit: vni Suillio eam proditionem deberi, qui Marchionis Forcæi nomen perduellioni suæ prætexit. Datum id Condæi precibus, paulóque pòst, absistente Marchione Forcæo, deditum Regi Vxellodunum. Querebatur eo tempore Suillius prærepta sibi à Marchione quinquaginta aureorum millia, coactúmque se ferro ad iugulum, vt acceptam haberet nurus dotem publico instrumento.

Suillij in Marchionem Forcæum querela.

Arcem, quæ nulli in Europa secunda dici possit, nisi quòd angustior est, præfecto emerito Lamontio subeunt quinquaginta Heluetij; Cardaillacúmque, dein Figiacum, & Caiarcum haud dispari fato in Regias manus incidunt, diruuntúrque à fundamentis munimenta, si Vxellodunum eximis, cuius propugnacula in tempus sarta tecta habuit Rex; hodie vix in rupe asperâ prostat quondam validissimæ arcis monimentum.

Lamont exempt. Cardaillac. Figeac. Caiar. Caddenac.

Dedita arces.

Vxellodunum Cæsari, ab eius temporibus Caddenacum vernaculâ indigenarum voce dictum est; nempe quòd rebellantes præsidiarios diutinâ obsidione Romanus imperator debellauit, non aliâ proditionis pœnâ, quàm quòd oppidanis extrema narium præcidi iussit; vnde delusoriè vrbs Cap-de-Nasum tunc dicta, corruptâ postmodùm voce Caddenacum denominata est, primâ syllabâ aut extremam apud nos rei cuiuspiam partē significante, aut priuationem rei cuiuslibet; ac si diceres nemini nares superfuisse. Hîc Suillianæ tyrannidis finis, hîc in versipellem hominem Regiorū meta laborum; nisi quòd dum Vxelloduno Suillium, ditionē suā trans Ligerim

Vnde Vxellodunum Caddenacū dictum.

Detinetur Suillius.

repetit Gergobinæ in Boijs, à Comite Carlusio, Regis iussu, inhibetur vlteriùs pergere, habitúsque exin honorificè, detinetur, donec in pacem vniuersam conuentum. Moulins en Bourbōnois.

A Parlamento Tolosano Rex salutatur. Aginno Rex Moissacum venit, vbi Parlamenti Tolosani nomine à Mansencallo, Bartholomæo Gramondo, & Clareto Senatoribus, proloquente Caminadæo Præside, viro illustri, magno omnium applausu salutatur. Hinc bipartito exercitu, pars in Nigrampelissam, pars in Fanum Antonini signa cōuertit; intereà dum Zameto mille alariis in Galliam Narbonensem, vastandis Sectariorum agris, iter indicitur. Agen. Moissac. Mausencal. Gramont. Claret. Caminade. Zamet.

Vindocinēsis in fanum Antonini, Rex in Nigrampelissam castra mouent. Vindocinensi, cingendi fani Antonini, Pedemontij, Vibraij, & Valliaci cohortibus munus incumbit. Ex aduerso Rex ipse, ductante primū agmen Condæo, in Nigrampelissam signa conuertit; vrbs erat quatuor à Montalbano milliaribus, valido præsidio, munimentísque præter vetera nouis firmata, vt diutinam passura obsidionem crederetur. Ad VII. Eid. Iun. admotis incruentâ pugnâ non vrbe procul legionibus, munimentis tormenta vndecim succedunt, diutinâque displosione ruinam edunt, quantùm in oppugnationem satis: prçsidiarij quamquam angustiore loco quadringenti, deditionis conditiones exposcunt, quibus saluâ vitâ, reliqua Regis arbitrio stabant. His Condęus respondere, meminissent iugulati nuper ad internecionē prçsidij Regij, neque salutem obsessis, nisi quam ferro vindicarent. Vesperascente ad IV. Eid. Iun. die, post editam quadraginta pedum ruinam, vniuersâ in vrbem oppugna- Vendosme. Vibray. Negrepelisse.

Expugnatur vrbs.

tione actũ, vbi vix dici poteſt quàm ſtrenuè manum conſeruerit prætoriana cohors, ſternuntur primi propugnantes, expugnantur munimina, muri occupantur, non parcitur ſexui, ad vnam nuperæ internecionis memoriam adeò miſericordia exulat, vt ipſimet infantes nullâ innocentis ætatis exceptione raptentur ad mortem.

Deditur nullâ lege caſtrum.

Dum prędæ, incendio, & ruinæ auidiùs incubant Regij milites, in arcem, quæ vrbi ſupereminebat, reliquiæ prælij ducenti circiter Rebelles euadunt, qui poſtridiè deficientibus commeatu & animo, nullâ lege credunt ſe miſericordiæ Regis: at nullâ in laniſtas clementiâ, patibulo ſuffiguntur ad vnum, pœnáſque luunt iugulatæ proditoriè Valiaceæ cohortis. Ferunt præſidiariorum quemdam, dum ſocios, ad circumiectas arbores ſuffigebant carnifices, rogaſſe enixiùs capitalium præfectum, daretur id morituro gratiæ, vt ad arborem non procul hinc ſitam, quam manu ipſe propriâ ſeuiſſet, haud implacidâ morte finire daretur. Nec diſplicuit præfecto acumen ingenij ad Orci fauces tam blandùm garrientis, factúmque voto ſatis.

Vrbs à præda, igne abſumitur.

Boüillõ. Arce conſeruatâ, quia Buillioneę ditionis erat, vrbem abſumpſit ignis, vt vix eius hodie ſuperſint veſtigia, adeò ipſis muris fatale eſt, ſi quando in Regem ſuum oppidani rebellant; neque incruenta noſtris victoria fuit; Baro quippe Eſgullius Nauarreæ cohortis centurio, Fontenaius, Villanouanúſque nobiles deſiderati, ſauciatus Toulongeonus, gregariíque non pauci.


Eſgully. Fontenay. Villeneufue. Toulõgeon.

CAPVT V.

EPITOME.

Vindocinensis Regis iussu in fanum Antonini castra mouet. Vrbis descriptio. auia circumquaque rupes. machinis muralibus inaccessus locus. Viam opera labore assiduo sternunt. propulsatur hostis prælium ausus. Rex ipse acies suas vrbi admouet. tormenta decem in verberationem aptantur. Regi periculum à pilâ tormentariâ imminet. Vulneratur Radesianus. propulsantur successiuè Normanniæ, prætorianorúmque cohortes. vniuersâ oppugnatione expugnantur munimina. Cæsi Regiorum nobilium plures. Vrbs deditur. patibulo suffecti Rebellium quindecim. commendatur haud immeritò Regis virtus. Montalbanenses dum in subsidium accurrunt ad internecionem cæsi. Diruuntur vrbis munimina. Mommorancius in Narbonensi prouinciâ rem strenuè gerit.

Vindocinensis in Antonini fanum castra mouet.



VINDOCINENSIS, commisso id sibi muneris vt fanum Antonini Regio milite quàm citè cingeret, Valliaci, Vibraiíque cohortibus haud segniter castra in vrbem mouit. Fanum Antonini ad Cadurcorum confinia vrbs est, vno olim prunorum commercio adeò illustris, vt quamquam angusta, Galliæ nuper, Belgio, Britanniæque magnæ eam plus æquo mercem suppe-

Vaillac. Vibray. Quercy.

ditaret; vnde longiore annorum decursu diuites oppidani vniuersam hodie agri circumiacentis depopulationem lugent. valle accliui sita vrbs, montibus circùm asperis cingitur; assurgentibúsque hinc inde rupibus inaccessis, ipso loci genio eò validior habebatur, quòd rupium aspera machinis muralibus imperuia videbantur. Naturę muniminibus accedebãt manualia munimenta; à Septentrione, propugnacula duo, hemicyclis, forcipibúsque de more firmata suis; ab Oriente simul & Occidente cornua, hemicyclíque in naturæ subsidium ingenti mole assurgebant; à Meridie, Auairione fluuio alluebatur, vado immeabili, quem inter & vrbem eminebat lapideus murus, cui à tergo platea ingens distribuendis in agmina præsidiarijs; vnde velut prælij promptuario, nouo quasi delectu firmatæ ad muros stationes, si quando oppugnabantur. Ceterùm vix vrbem obsidionis Regiæ fama peruaserat, cùm assiduo cunicularioru opere cauati olim in rupe gradus, quibus in vrbem descensus erat, ità asperantur, vt vndequaque non nisi confragosa saxa assurgerent: hinc non incerta diutinæ obsidionis auguria ducebantur, eò positis rebus, vt quæ nisi tormentis bellicis vrbs expugnari poterat, inexpugnabilis haberetur, loco tormentis inaccesso. His accedebant præter oppidanos mille & ducenti præsidiarij, quos nec deficiebant annona, arma, nec proximi à Montalbanensibus subsidij spes haud incerta.

Fani Antonini descriptio.

Lauairon.

Auia circumquaque rupes.

Locus tormentis bellicis inaccessus.

His sic stantibus Vindocinensis, quem stipabat Marescallus Theminius, tres Pedemontij, Vibraij & Valiaci cohortes montibus circumasperis admouet,

Cunicula- rijs datum id negotij viam sternerent.

cunicularióſque præmittit, ſternendæ machinis muralibus viæ. Legionibus antè intentatum iter ingenti animo per auia molitur imperator, cùm hoſtis conſerendæ manui non vrbe procul, raris, diſſitiſque inuicem apparet ordinibus; nempe præruptis rupibus minimè paſſis aciem ordinatam. leuior hic præſidiariorum conatus, quàm ſperatum, ductáque tunc primùm proximę expugnationis auguria ad præcipitem fugam, in quam leui quidem iacturâ, præcociùs tamen per auia rupium hoſtis abripitur; atenim maior hinc Regiorum triumphus, quòd abrupta montium, & anfractus illis incognitos diu intactâ vrbe conſeruaturus circumferebatur. Hæc Pedemontana, intereà dum ex aduerſo cohortes Vibraij & Valiaci vallem inſident, vbi pertinaci prælio fuſis hoſtibus, expugnatur tandem columbarium æquali vtrimque diſpendio; niſi quòd in vrbem ſuam retrudebantur ſenſim Rebelles, quæ obſeſſorum ruina eſt vna omnium maxima.

Hoſtis prælium auſus retruditur.

Progreditur Vindocinenſis.

Rex ipſe exercitum vrbi admouet.

Ad XVIII. Kal. Quintil. vniuerſum Rex ipſe exercitum muris admouet, póſtque diſtributa occludendi in vrbem acceſſus Burij, Eſtiſſaci, Picardięque cohortibus munia, oppugnationis cura Chapeſianę, Nauarræ, Normannicę, Prætorianęque cohortibus incumbit. Hæc inter affertur ſupereſſe hoſti clauſtra in montis accliui aliquot, quibus nî deijceretur quàm primùm, periculum erat, ne firmatâ validiùs ſtatione, pręſtaret imperuium montem. Ad hæc Vindocinenſis pręfectum Nantaſium ducentis circiter gregarijs iubet eâ parte in hoſtem ferri, qui non diu eluctatus, deſideratis quindecim,

Bury. Eſtiſſac. Chapes.

Nantas

Nantaſius hoſtem fugat.

cim, effusâ in vrbem fugâ abripitur.

Postridiè, rem insperatam! assiduâ cunicularioꝛum operâ decem tormenta bellica munimentis succedunt, ínque duplicem verberationem, hinc ad Regis, Castrametatoribus Valancæo, & Senecæo, illinc ad Vindocinensis oppugnationem distribuuntur, Castrametatoribus Mariliaco, & Arpajono, viam, quam natura negabat, muralibus machinis sternente industriâ.

Tormenta decem munimentis succedunt.

Distributis octo ad vallem tormentis, duobus ad montis decliue non vrbe procul colubrinis, munimentis hostium vallo succeditur, ipso Rege oppugnationes, verberationes, & valla designante, quod penè illi excidio fuit: quippe dum visendis muniminibus propiùs aduoluitur muris, stipante Duce Radesiano, in eam partem disploditur minoris modi tormentum, quo collisa rupis dutities, saxis hinc inde disiectis circumstantes pars cædit, pars sauciat, quos inter Radesianus colliso genu, diu vitam in periculo habuit. Eo Regis discrimine adeò in præsidiarios accenditur miles, vt sinè mora Normanniæ cohors, productis iam in cornua vallis, oppugnationem tentarit; numquam maiore obsessorum audaciâ dimicatum; anxia diu pugna, diu vtrimque Mars æquus; cùm feminæ væsano furore, vacillantibus suis in propugnationem succedunt, non parcitur artificij ignibus, pars ollas pice, resináque refertas conijciunt, pars ebullientem aquam in aduolutos effundunt, pars ignitas iaculantur hastas; donec inclinatâ in vesperam die retruditur magno Normanniæ cohors dispendio. Desi-

Magno Regis periculo Radesianus vulneratur.

Normanniæ cohors propulsatur.

derati Cadroussetus primipilo maiori in subsidium datus, pluresque gregarij; sauciati San-Lazarus, Bellofontius, Lancheriusque. Ca-drous-set. Sainct Lazare. Belle-font. Lauche-res.

Ad infelicem eius oppugnationis euentum, exire à prætoriana cohorte tacitum murmur, quo debitum sibi primæ oppugnationis vbique decus questa primùm, dein in crastinum prælij copiam petit. Illucescente itaque ad XIII. Kal. Quintil. aurorâ, prætorianæ virtutis Rex ipse futurus testis, pugnam haud procul spectare voluit. Dato signo perrumpunt prætoriani vigiles, superatâque non ægrè fossâ, cornua ingenti vi adpugnant; at non dispari hostium audaciâ fusi, cedunt victori palmam, qui vincere olim assueti, non nisi hostili cruore pascebantur; atenim superbo militi molestum supra fidem, Regem habuisse ignauiæ testem; quem visendo prælio inuitarat ipse.

Rex ipse prætorianorum ignauiæ testis.

Posterâ die vniuersam Rex oppugnationem indicit, victóque mœrore, quem à duplici iacturâ conceperat, legionariorum ad quatuor millia haberi delectum iubet, procuratis in cornua cuniculis, quibus postquàm subditus ignis, Pedemontana cohors ingenti vociferatione in medium irrumpit, vbi Lauerdinus eius cohortis præfectus haud segniter dimicans glande occumbit. Vibraij, Valiacíque cohortes ad læuam magnâ contentione dimicant, non procul hinc Nauarræa, ad cuius primam aciem eius præfectus Palüaus, vir magni animi duplici vulnere cadit post rem strenuè gestam. Ex aduerso, non nisi fatigando, auertendóque ab oppugnationibus prædictis hosti, Baro Palliesius Normanniæ cohortem

Vniuersa oppugnatio.

Occisi Lauerdinus. Lauerdin.

Paluaüsque cohortium præfecti duo. Paluaü. Paliez.

maior primipilus ductat, glandéque, collimato in obliquum sclopo, eâ fati malignitate ad sinistrum oculum vulneratur, vt auulsis fatali plumbo, medio naso ambobus oculis in momento excœcatus ictu eodem, superuixerit eo diebus aliquot vulnere; donec deposito, quem antè profitebatur, Caluinismo, magno omnium mœrore finijt. *Paliesius lethali vulnere saucius.*

Ad dextram prorumpit Chapesius, póstque diutinum prælium munimenta ascensione superat, desiderato nobilium Faduræo, centuriæ legato. Ex aduerso nouâ interim prætoriani virtute dedecus hesternum reparabant, discurrebant hinc inde ex Castrametatorum imperio voluntarij nobiles Mariliaco, Senecæo, Arpajonóque ductantibus, quos inter laudati præ alijs Biscarrasius, Cahusacúsque fratres Reginæ parenti familiares duo, viri magnâ virtutis famâ illustres; illi crus, huic renes obliquo vulnere transfossi, vt medius inter hostes, fatiscentibus à vulnere renibus, cetera illæsus, prouolutus in faciem, manibus in terram actis, inflexísque genibus, reptili se in Regiorum agmen receperit gressu, brutum diceres, ita serpebat quadrupes: quod postquam Regi Mariliacus retulit, condignâ fratres remuneratione donauit, seu in gratiam Reginæ parentis, seu virtuti heroïcæ facturus satis. Hîc Baro Salignius magnum sui desiderium reliquit. Non antè hostium iactura maior; desideratis quippe ducentis, præfectis octo, quindecímque feminis, expugnata cornua Regijs adeò auxere animos, vt consternatâ præsidiarij audaciâ, nihil postmodùm tentauerint, quod gloriam saperet.

Chapesius munimenta expugnat. Fadure. *Voluntarij nobiles rem strenuè gerunt.* Marillac. Biscarras. Cahusac. Saligny

Occisus Betancurtius. Producebantur magnâ omnium alacritate valla, cùm Vicecomes Betancurtius distentus operi, glande lethali ad caput vulneratur, miscente, vt assolet, fortunâ, lætis tristia, triumphos iacturis.

Iam obsessis omnia in peius ruebant, cùm desperatâ armis salute, tentandę iam seriùs Regis clementiæ, Consulem primarium ad Regem delegant, qui vnam oppidanorum vitam impetraret. Commissum id Principi Condæo, Vindocinensi, & Schombergo negotij, itá conficitur; vt (si Consulis vitam eximis, quam ille sibi aliorum excidio saluam stipulatur) reliqua Regis arbitrio subsint; nisi quòd quadraginta aureorum millia vrbis deprædationi redimendæ statuuntur, lætæ militibus diutino labore fatigatis manubiæ.

Vrbs deditur.

Ad X. Kalend. Quintil. vergente ad occasum sole prętoriana cohors, Heluetiique vigiles vrbem subeunt, dum ex aduerso pręsidiarij penitus exarmati, bacillo ad manum absistunt, ductante San-Sebastiano, quem Sectarij propulsandæ obsidioni præfecerant: oppidanorum quindecim acti in furcam, quos inter factionis caput sutor aliquis, procuratori Regio substitutus, dissidiique fomes Minister, non ille tamen, quem olim ex Franciscanorum familiâ imponit Mercurius Gallicus, qui saluus euasit, quòd fideles Regi præstitisset operas.

Patibulo suffixi quindecim.

Regia virtus cōmendatur. Quæ omnium iudicio trimestris ad minimum futura credebatur obsidio, immensâ Regis vigilantiâ, cui si se ipsam Gallia immolat vix condigna erit remuneratio gratiæ, nobilium virtute & sanguine, non nisi decem & trium dierum fuit; vt ad tot, tan-

ráque facinora, quæ se in Regium decus velut catenæ annulos nectunt, non immeritò LVDOVICVM HERCVLEM GALLICVM dixeris, qui non suadâ, vt ille quondam, neque compactis auro, sed ferro catenæ annulis, omnium vota & animos ad se allicit, tot triumphis quot annuli, tot vrbibus expugnatis commendabilis, quot eâ catenâ impliciti inuicem orbes.

Montalbanensium in subsidiũ accurrentium clades.

Ludicrum est quod eâdemmet die Montalbanensibus accidit, qui haud immemores beneficij, quod subsidio nuper oportunè immisso Antoninis debebant, trecentos legionarios Montalbanensis militię florem nocte intempestâ subituros vrbẽ emiserant. Illi deditionis ignari prouectâ iam nocte, obstante nemine; quippe Rex aliò castra mouerat, muris succedunt. Prę missus explorator in Regiorum vigilẽ incidit; ille forte, an consilio venientẽ postquàm se Montalbanensium subsidij exploratorẽ dixit, magnâ excipere in speciem alacritate, operiretúrq; tantisper hortari dum stationẽ ad portam excubantem monebat: ità res habuit: monet stationarios Regius vigil, explorator suos adesse iubet, panduntur portę, hostis turmatim ingredi, in regiorũ amplexus miles aduersus, qui tenebris imputabat quòd nostrorũ non nouerat ora, & habitus, magnâ gratulatione proruere; cùm numeratis iã ingressorũ capitibus, ne dolus, struentibus excidio verteret, quã erexerant cratẽ ferream demittunt Regij, datóq; signo Mõtalbanenses ne quidẽ ausos pręliũ iugulãt. Non differtur ad Regẽ nũtius, quo monitus ducẽtos circiter, quibus occlusę

La Chapelle.

portę elapsos; Capellam iubet quà designatum iter

trecentis legionarijs ferri; quo factum vt per auia rupium Montalbanenses latenter suggressi, pars in Regiorum venabula, pars in rusticorum vltrices manus inciderint, à quibus nullo ordine, nullâque misericordiâ necati omnes, vt ne quidem superfuerit stragis nuntius.

Vrbi præficitur Perroudilius. Vrbi præficitur Perroudilius quadringentis circiter præsidiarijs; diruendis munimentis F. Bertrandus Senator Tolosanus, cui magno vitæ periculo ęgro, suffectus ab Alto pullo Senator item, qui egregiè commisso sibi munere defunctus æquauit solo munimenta & muros, quod prouinciæ circumiacenti, quam inde prædabantur Sectarij, supra fidem commodo fuit, non alio illis ad viciniam obice quàm nobilium Catholicorum aliquot, quos inter Prunæus vir animi imperterriti, qui eâ parte sæpius adortus hostem, sæpius etiam ab insidijs hostium, vix domestico famulatu deprehensus facinora edidit, quæ portento magis conueniant, quàm virtuti. *Perroudil. Bertrãd. Dehault poul.* *Prunæi virtus.* *Laprune.*

Iam suprà diximus præmissum in Galliam Narbonensem inferiorem mille cataphractis Zametum, cuius oportunè subsidio auctus Dux Mommorancius circumiectum Montispessulani, Nemausi, Vticæque agrum, summo Rebellium dispendio vastat, vnde destitutis messe Sectarijs, cæsísque sæpius (si quando contrà audebant prælium) magnum sibi promeruit nomen. *Zamet.* *Mommorancius agros Rebellium vastat.* *Mompellier. Nismes Vsez.*

CAPVT VI.

EPITOME.

Rex deuictis Antoninis Tolosæ magno populi applausu excipitur. Senatus Principis Masuyeri ad Regem oratio, quâ magno labore parta, haud ęgrè dilabi queritur. vrbium quę captæ semel rebellarant enumeratio. Non habendam primoribus fidem, quorum sæpe interest non exstirpari dissidij fomites. mediatores Regem inter & & populum esse Senatus patres. Dolorem omnium maximum, quòd Rex velut miles pericula subeat. vota in Regiam salutem nuncupatā. Regis responsum. pecuniaria edicta Senatui proposita, magnâque ex parte reiecta. Iustitia Gallię Regum. discessuro Rege publicus mœror. in Proreges querelæ. Carmanij dediti nuntius. descriptio vrbis. fortunæ debita expeditio. deditur Cucquium.

PRÆCIPITI Iunio, fano Antonini Rex Tolosam venit, vbi vix dici potest quantâ populi acclamatione exceptus fuerit, qui vnam sublatis Sectariorum circumiectis arcibus libertatem spirabat, sperabátque felicibus liberatoris publici armis. Ad vrbis portam à Capitolinis gratulabundè salutatus leui pompâ in ædes Archiepiscopales euadit, vbi à Senatu in purpurâ salutatur, proloquente Masuyerio Senatus Principe, viro

Rex fano Antonini Tolosam venit.

Le Masuyer.

Masuyeri ad Regem oratio.

omni virtute prædito, quem etiamnum morbi diuturnioris reliquiæ adeò malè afficiebant, vt vix illi vires suppeterent sustinendis in vestigio membris; attamen victâ, generoso ad Regis sui præsentiam conamine defectione virium, eius genibus aduolutus ita præfatur.

Felix Catholicis illuxisse auum.

Lætari Parlamentum, quòd expetitus diù post noctem dies, Galliæ tandem aliquando Narbonensi illuxerit, spissioris olim nimbi iam ad solis, ad LVDOVICI præsentiam rarescere tenebras; satis indultum nocti, satis grassatam inter obscura perduellionis tyrannidem; sat sceleri, omniúmque licentiæ datum. Et quando rebus humanis hunc æterna prouidentia præscripsit ordinem, vt continuâ mutatione voluantur, mutandam tandem in melius Sectariorum in Galliâ Narbonensi proditionem; imò & penitus ab infelici alioquin agro pellendam, vbi quinquaginta iam annos vnius sectæ arbitrio debacchata est: Catholicos ordine iam suo dominaturos, qui plusquàm mille quingentis ante sectam annis nullo, aut leui obice Deum inibi in orthodoxâ fide coluerant. At neque satis ad immortalem famam, victoriç decus imperatoribus esse, nisi tot nobilium sanguine, tantóque parta discrimine conseruentur: in id conferre animos Parlamentum, in id vota cum eo Galliam vniuersam, vt immensis laboribus parta, militari prudentiâ, consilio, imò & hostium diffidentiâ sarta tecta habeantur. Neque plenam esse victoriam, nisi quâ diu potiare; id à Rege exposcere haud immerentem Galliæ nobilitatem, quæ vulneribus sanie, tabo, quæ laboribus

Magno parta labore magnâ industriâ conseruanda.

laboribus suis acquisita, luget in dies Præfectorum socordia redire in Rebellium manus. Addubitatum diu, quid magè gloriosum, armis parare lauros, an partas prudentia militari seruare? victoriâque omnium calculis indignum iudicatum, qui labore quęsita dilabi patitur, eiúsque laudem etiam immensam fatiscere in vagum puluerem, qui palmas demetit, quibus exin hostium triumphi illustrentur; vincere magnis innatum animis, conseruare prudentibus; illud militem audacem ad prælium, id imperatorem sagacitate suâ malis obstantem decere. Reuocãdum in memoriam quantâ nobilium iacturâ, quibus redierint in ditionem regiam pignoribus captæ semel vrbes, quas dein Rebellio intercepit, Royanum, Toneinsium, fanum Fidei, Monsflanquinus, Mons-Marsanus, Clairacum, Bruniquellum, Nigrapelissa pluréſque alię. Desideratos nouis expeditionibus eius virtutis heroës, quorum iacturam Gallia venturis retrò sæculis lugeat, quorúmq; bello externo propagandis imperij finibus iure meliori vita debebatur; largitionibus immensis exhaustum ęrarium, vnde bellum suis hodie neruis destitutum lugeret Rex ipse; nisi supra reliqui orbis Reges dives, immensos thesauros in vno diademate possideret; communicatos proditoribus Coronæ honores, præmiáque vni virtuti debita coronasse flagitium, retrahendis scilicet in Regiam ditionem vrbibus, quæ vnâ præfectorum segnitie rebellarant: neque superesse malo remedium, nisi perduellium munimenta vrbium, ipsíque muri funditus corruunt, retineri muniminibus integris, velut in glebâ rebellio-

Non minor gloria partatueri quã acquirere.

Vrbes à Rege semel captæ quæ exin rebellarunt.

nis antiquæ possessionem, quam radicitùs extirpaueris complanatis ijs. vnam hanc esse (ac si alas fortunæ præcideris) retinendæ victoriæ rationem. Futuram eam eloquij libertatem prouinciarum rectoribus, Aulicísque ingratam, quorum forsan intersit stare Rebellium muros, hostémque grassari, vnde illis tantùm auctoritatis accrescat, quantùm pace diuturniore decreuerat: atenim eam esse Parlamentorum libertatem, quæ vulneri cicatricem mentiri, dum vrget necessitas, opprobrio ducunt. indignos esse quos Rex secreti sui conscios faciat, qui adulatoriè, sin màuis proditoriè eius auribus illudere solent, quos moratur cupido, metúsue, quò minùs aut ad publicam vtilitatem loquantur, aut agant. Mediatores Regem inter & populum Parlamentorum patres, qui non ausâ in Principis aulam penetrare timidâ plebe eius planctus robustiori voce ad aures Regias deferant. Regum Galliæ supremam potestatem ijs fundamentis stare, vt interdum humillimis Parlamentorum monitis cedant, eorúmque suasionibus, mutare sententiam ament. Populi vocem post vota in Regiam salutem nuncupata in id vnum ferri; vt si Tolosam amat LVDOVICVS, eam ab hostili deprædatione securam præstet; circumiectas arces Sectarias expugnari velit; quando voluisse sat est, vbi leuia munimenta vel ad vnum Regis nomen fatiscent. Expugnari velit, at neque id satis, nî expugnatas, diruendas procuret, neque procurasse sufficit, nî nobilium, qui arma tractant diffidentiâ, delectis è Parlamento Senatoribus id munus incumbit; neque id adhuc satis, nisi diruta post-

Primorum sæpe interesse non extingui bellorum fomites.

Mediatorum Regem inter & populum officio fungi Parlamenta.

modùm restitui vetat, non habitâ primoribus super eo negotio fide. tacitam esse Nobiles inter, qui arma tractant, legem, quâ in hostem extrema tentare prohibitum, exstirpando alioquin seditionis semini quo passim aluntur. Superesse vnum quod lugeat Gallia, quódque publica gaudia haud iniusto timore moretur, nec pati posse liliorum amantes, Regem adeò sui immemorem, vt legionarijs militarem prælio gloriam inuidere videatur, ità nullâ suorum memoriâ pugnæ aleam subit. Síccine caput cœlo carissimum, deliciæ imperij Gallici, amor exterorum, síccine LVDOVICVS hostium terror, orthodoxæ fidei vindex, prælij discrimen ineat, centena hominum millia, Regni salutem, fidem Catholicam, omnia secum fortunæ inconstanti exponens? fortunæ, quam magnis sæpe illudere in comperto est; quæ primorum vulgò iacturâ triumphat, heroüm trophęa & palmas cõsultò demetens, quò ipsa hominum arbitrio maior habeatur, dum magnos opprimet. Si sui prodigum magnitudo animi facit, meminerit se Regem, cuius vitę vna imperij salus inest, parcat viduis, pupillis, parcat Senatui, quos secum in periculũ trahit; id à pijssimo Rege flagitare Deum, qui vetet in discrimen adduci nullâ necessitate imperia. Ineundam hodie populo stipulante obligationem, quâ LVDOVICVS fidem adigat depositurum se militis in prælio æstum, qui Rex est, sibíque factum satis posthàc crediturum, si ordinatis imperatoriâ sagacitate aciebus, reliqua Castrametatorũ, militúmque virtuti cõmittat; clauum hîc esse æneum, quo fortunæ rota, quæ in circulum

Hortatur Regem ne vt assolet pericula subeat.

Meminerit se Regem, non militem.

volat ſiſtatur. Confectam propemodùm Rebellionem, exteros ad heroïcam LVDOVICI virtutem mente, animóque defixos, diffuſos lætitiâ Gallos, gratulabundos amicos, hoſtes conſternatos, quibus dum accedunt populi immenſus amor, Parlamentorum vota, Dei protectio, nihil obſtare quin Christianiſſimo Regi optare, imò & ſperare audeat, quęcumque Reges feliciſſimos præſtant, vitam diuturnam, lilia placidiſſimo cœli rore conſperſa, amœnitate Zephyri, nullo caſus timore gratè hinc inde nutantia, florida ſemper, fluidam vno, continuóque deliciarum tenore ætatem, progeniem maſculam, coronam Occidentalis imperij, Lunam Orientis immenſo Gallici Solis fulgore obſcuratam, cœli demùm poſt exactum Neſtoris æuum, cœli cui naſcimur, cuíque viuere hominem decet, poſſeſſionem.

Vota Regię proſperitati.

Regis reſponſum.

Hîc paululum hærere Rex, donec ſopito circumſtantium ad applauſum murmure, lætari ſe ſupra modum eâ publici erga ſe affectus demonſtratione, perſtaret vitâ intemeratâ Senatus, quóque populus cepiſſet pede pergeret. Ceterùm exhauſtas ad belli ſumptus, largitionéſque immenſas, quas in Sectarios conferre neceſſum fuit, ærarij vires, quæ niſi edictorum quæ procuratori ſuo commiſit acceptatione, Senatus reparat, imparem ſe bello, quod Toloſatibus liberandis in Galliam Narbonenſem orditur.

Pecuniaria edicta proponuntur.

Poſterâ die ab Aduocato fiſci proponuntur edicta pleraque (reſtaurandi in Galliâ ærarij modo opportuno quidem, niſi vulgò noxium foret) quæ inter vix vnum admiſit Senatus, populi ſaluti ſtudens, quem plerumque edicta eiuſmodi opprimunt; vbi

ex occaſione ab exteris annotari velim datum Parlamentis id à Regibus Galliæ priuilegij, vt edicta eiuſmodi, vel antiquent, ex veteri Romanorum formulà, vel in acta redigant ſua, quo facto promulgantur; Principibus Gallis etiam ſubditorum arbitrio, quæ ſumma æquitas eſt, iuſtos eſſe volentibus: iuſtam regnandi rationem! quę primò Deum auctorem habet, exin acclamationes & vota populi, primorum aſſenſum, Parlamentorum calculum, iuris denique diuini & humani comprobationem.

Regum Galliæ iuſtitia.

Vix fama perſuaſerat Regem in procinctu eſſe, vt vrbe in Narbonenſem expeditionem abſiſteret, cùm mutantur illicò populi in lacrymas gaudia, nempe Toloſam circumſidentibus adhuc Sectarijs arcibus, vnde quà proſtat Gallia Narbonenſis, in ipſamet Toloſæ promœria excurrebant Rebelles.

Toloſani in lacrymas gaudia mutant.

Suprà ex occaſione memorauimus; Manſum Verduni, Inſulam Iordanæam, & Malouicinum, quæ ad Aquitaniam, ſi fas dicere, Toloſam habebant in vinculis, in Regiam ditionem, Mayennio procurante, retracta; ſupererant cis Garumnam Carmanium, Mons-Cucquius, Manſúſque Sanctarum Puellarum, tria vrbis alioquin liberæ retinacula.

Mon-cuq. Carmã. Le Mas Santos-puellos.

Rogauerat iam antè Regem Parlamenti ordo enixiùs, ſe, quam glorioſè inchoaſſet, infectâ penitus abire nollet, id expoſcere ſalutem publicam, id Regium decus flagitare, populíque acclamationes & vota. Quibus Rex, quamquam in preces inclinabat; Narbonenſem expeditionem adeò non pati

Rogatus Rex tantiſper morari reſpondet.

moras, vt, si protelabitur, periculum sit ne in irritum cadat confecta iam propemodùm expeditio. leues Tolosatibus circumiectorum Rebellium obices, quorum vrbes, intereà dum in Galliam Narbonensem progredietur ipse, haud difficilè expugnabit commisso in id illi exercitu, Vindocinensis. Masuyerus Senatus Princeps ad hæc; Magnam quidem Proregum virtutem, multúmque illi reliquam Galliam debere; adeò tamen illorum imperio, & auctoritate infelicem Septimaniam nostram, vt quæcumque exacto iam seculo in eâ Proreges gesserint penè illi excidio verterint; eam esse fati malignitatem, quod adhuc repetat, vt quod iam ab annis ferè centum, Proregum inibi auctoritate gestum, populo ruerit in perniciem certam. bonam illis mentem, immensam in publicum caritatem, magnum animum, quæ tamen seu maligno cœli aspectu, seu infelicioribus illorum armis, prouincialibus parum fuisse prospera nemo nescit. Eam vulgò esse primorum qui prouincias administrant hodiernâ die astutiam, vt primarias vrbes, quæ seipsas alioquin pondere suo sustineant, à circumiectis hostium arcibus opprimi ament; siue oderint quæcumque alienâ ope non indigent, siue stabiliendæ potentiùs propriæ ipsorummet auctoritati. Necessitatem præcipitis in Montempessulanum expeditionis proponi imò & vrgeri, vt violentiùs exin Sectarij Tolosatum iterum diripiant prædia, saluis munimentis quæ vix tormentorum conspectum paterentur.

Vrget Masuyerus.

Lãguedoc.

De primoribus queritur.

Hæc inter affertur deditum Regi Carmanium, quod, verso rerum ordine, publicum mœrorem in

Carmanij deditio nuncius.

tanta commutauit gaudia, vt repentè vici vndequaque Regi applaudentis populi lætâ acclamatione personarint. Rem Tolosæ pergratam paulò altiùs repeto.

Carmanium vrbs est, Carmanij Comitatus primaria, Monluci herois illustrissimi ab vxore ditio nobilis: statio hinc Sectarijs Narbonensibus percommoda olim, quòd Rebellibus refertam Mazameti vallem fere claudebat, sectariásque in vicinia vrbes, Reuellum, Soriciúmque firmabat, insimúlque ab ipsis firmabatur; locus transitui Castro Albigensium Montalbanum, & contrà aptissimus, genióque loci & arte munitus. Obtigit secundum Regis Tolosæ moras, distribui hinc inde ad vrbis ambitum acies captando interim otio; dúmque genio indulget miles, Valancæus Castrametator agnoscendis Carmanij munimentis, nullo obsidionis animo centum circiter alarijs, muris non procul succedit. Oppidani (quamquam iam antè moniti nihil in eos tentaturũ Regem quidquid simularet) vbi alarios vident munimentis aduolui, rati Regij exercitus excursores, qui cingendæ vrbi de more præirent, inire deditionis consilium, in quam tandem, obluctantibus plerisque, potiori sententiâ itum. Hîc vrbe absistere Consules in oliuæ ramo, stipante populo; imò iam alarios suos in aciem ordinauerat Valancæus, nihil hærens quin erumperet in pugnam præsidiarius miles, cùm aduoluti genibus Consules deprecantur iras, pacémque exposcunt; si salua libertas, vitáque forent, reliqua Regis arbitrio stare. Valancæus primùm mente, animóque

Mont-luc.
Mazamet.
Reuel.
Sorese.

Descriptio Carmanij.
Valancæus visendæ propius vrbi accedit.
Metu obsidionis occurrunt in oliua oppidani.

defixus obstupescere, adoratâ dein fortunâ, quæ Regi tam blandùm arridebat, fidem obstringere facturum se cum Rege, vita, libertas, & bona salua accolis habeantur; nec differt illicò Tolosam nuntium, vbi, vel vno hoc beneficio, Valancæi nomen haud immeritâ virtutis commendatione personabit, quamdiu vrbs nobilissima stabit. Caumello Senatori diruendorum muniminum incubuit labor, quod ille muneris supra publicam vtilitatem prædij sui viciniâ haud impigrè obijt.

Vrbs deditur.

Caumels.


Deditus exin Mons-Cucquius, quem magnâ contentione munimentis destitui Altipullanus Senator procurauit. Progressúsque Regis exercitus iam Mansum Sanctarum Puellarum, vrbem in itinere obuiàm attigerat, cùm præmissi exploratores referunt desertam penitus. nec mora, irruere miles, prædæ primùm animo, dein vbi asportatam supellectilem agnitum, subijcere ignem, qui oborto opportunè vento vrbem eâ voracitate depascitur, vt post æquata solo Bertrandi maioris ope propugnacula, vix hodie murorum vestigia appareant, vbi vrbs olim.

Mons-Cucquius item deditur.

Haut-poul.

Le grãd Bertrãd.

HISTORIA.



HISTORIA PROSTRATÆ A LVDOVICO XIII. SECTARIORVM IN GALLIA REBELLIONIS,

LIBER OCTAVVS.


CAPVT I.

EPITOME.

Vindocinensis, armis in Septimaniâ vlteriore præficitur. Rex præmisso exercitu Castri-noui-Arrij moratur. Donaudus Mirapiscensis Episcopus, rudis at audax homo multa coram Rege præfatur. Rupifortius perduellionis postulatur. Carcassonę incendiũ & eius descriptio. Displosa restinguendo igni in ædes tormenta. luctuosa ab igne strages. Vnde tantum incendium. Suessio magnâ laude agrum Rupellanum diripit. mari fatigantur Rebelles. capta nauigia duo. Lesdiguerius hæresim abdicat. Ludouisium inter (qui summus hodie Pontifex) & Lesdiguerium sermo. Crequius Marescallus & Delphinatus Prætor. eius filius Proprætor. Lesdiguerius

Comestabilis Regiique ordinis torquatus eques. Rei gestæ haud indigna relatu formula. primis fidei sanctæ mysterijs initiatus ad sacram synaxim accedit. Fortuna viri non immerentis.

Vindocinēsis in vlteriori Gallia Narbonensi armis præficitur.



N Septimaniam citeriorem Rex castra moturus, vlteriorem Vindocinensi credit, octo circiter legionariorum millibus, alarijs mille, Castrametatoribus Halierio, Bironio, Arpajonóque; cohortibus Chapesij, Vibraij, Valiaci, Villaroij, Pibracij, Griniauti, & alijs: alariorum ordinibus Halierij, Linieresi, Marchionis Meruillij & Arnaldi. Quibus adiunctus Huraultius Belebatus iuri in castris dicundo, summo iure præfectus, vir prudentiæ singularis, qui & stipendia procurabat. Bas Languedoc. Buhalier. Biron. Arpajó. Linieres. Meruille. Arnaud.

Rex Castri-Noui-Arrij moraturus præmittit exercitū.

IV. Kalendas Sextiles Rex Tolosâ, Castrum-Nouum-Arrij venit; vbi, post initum districtè belli consilium, iubetur Praslinius, Valancæo, & Mariliaco Castrametatoribus sequuturo mox Regi viam sternere, rectáque Biterras castra mouere, donec Betarrium obsideretur. Progressis vltrà aciebus, vix duo peditum millia quingenti equites Regi superabant; cùm Mirapiscensis Episcopus, Benedictinus olim Monachus, vir rudis, magni tamen in fide Catholicâ zeli, multa coram Rege de perduellione Fuxensium questus, adijcit, si veteri Ecclesiæ ritu sibi datur cohortes instruere, paratum se vt Comitis Carmanij eâ prouinciâ Proregis ope, nullis Regis sumptibus in sectariam Fuxensis ditionis Rebellio- Castelnau-d'Arry. Beziers. Betarrieus.

Mirapiscēsis Episcopus in expeditionem Fuxensem commeatum offert.

nem arma capiat, ſibi frumentum diutinâ parſimoniâ, ea iam ſuppetere copiâ, quâ immenſus diu exercitus ali poſſit; adfuturos in ſubſidium prouinciæ nobiles, quos fides erga Deum & Regem, odium in Sectarios, ſuorum, patriæque amor ad arma impellet: ſupereſſe vnum Regis aſſenſum, quo abundè erit.

Ad hæc Rex, actis feruenti in hæreticos Epiſcopo gratijs, dare ſe gerendi ex arbitrio belli habenas reſpondit; captíſque exin Fuxenſes Catholici, imperatore Carmanio, commeatuum procuratore Epiſcopo, Caſtrametatore Barone Chalabræo armis, multa in perniciem Sectariorum, Lerani præſertim eorum præfecti, geſſerunt, quæ infrà memorabimus.

Chalabre.

Caſtri-Noui-Arrij Rex medicaminibus curauit corpus, ſeu malè habebat, ſeu ne corrupti peſtilentiâ aëris, laboréque diuturno fatiſceret. Paulò pòſt poſtulatur Rupifortius Mirapiſcenſis familiæ, quòd Fuxenſibus Sectarijs eâ copiâ frumentum precio numerato ſuppeditaſſet, quod alendis diu ſatis foret, flagellatâ alioquin ſuprà quàm dici poſſit apud illos annona. Ægrè tulit Rex viri proſapiâ illuſtris perduellionem, imò cauſæ cognitionem Parlamento crediderat, ní Condæus interceſſiſſet.

Rochefort.

Rupifortius præſtiti Sectariis ſubſidij poſtulatus.

Caſtro-Nouo-Arrij Carcaſſonam, vrbem non ignoti apud antiquos nominis, validiſſimâ loco edito arce, Carcaſſonâ Narbonam, Narbonâ Biterras, Biterris Pedenatium, ſin mâuis Piſcenam, quamquam longiore tempore interiecto, ventum.

Carcaſſonne.

Rex Carcaſſonam venit.

Pezenas.

Luctuoſum ſupra fidem fuit, quod poſtridiè à

Luctuosum Carcassona incendium. Regis discessu Carcassonæ obtigit. In mensam Regis destinata venatio priuatis oppidani cuiusdam ædibus, ideóque ad Regij apparatus culinam angustioribus, eâ carbonum copia assabatur, vt diuturno ignis violentioris calore æstuans ex lateribus, & terrâ congestâ pauimentum, quasi per intimam penetrationem flammam emortuam per trabes & lacunaria sensim transmiserit, quod dehinc vrbi exitiale fuit: vbi enim totâ die in occulto fomite perniciosus delituit ignis, inclinatâ in mediam nocte diu pauimento, & trabibus interclusus, eâ tandem violentiâ euaporatur, vt irrita fuerint oppidanorum remedia quælibet. *Eius descriptio.* Maiore quàm dici queat impetu peruagatum incendium proxima primùm, deinde quasi per saltum remotiora corripiens, plana, edita, circumiecta, longiùs posita nullo ordine depopulatur, eâ rapacitate, vt quæcumque subsidia præuerteret velocitas mali: funesta vrbis facies, lamenta virginum, fessáque ætate senum, eiulatus infantium dum correptis subito igne ædibus pars sibi fugâ consulebant, pars sanguinis caritate, filijs, agnatis, parentibus, vxoribus, amicis: efferri hinc strato incubantes ægros, pars nectere moras traducendæ supellectili, pars festinare, dúmque velociùs fugiunt, hærere passim vicis arctioribus, quos iam multitudo, trabes, tignáque oppleuerant, vt se insimul operæ impedirent. Flammis circumuenti generoso conamine eluctantur, aut si despondent animos miserè inter cruciatus dispereunt. qui in proxima, metu euaserant, ijs illicò flammâ correptis, procul effugiunt; at in longinqua elapsos assequitur

ignis, vt obuia quælibet depascenti, viam sternere oppidanorum fugam diceres; vnde quà vitarent, quà in flammam inciderent ambigui, complere vias, sterni nullo per agros ordine plebs, nobiles, pueri, senes: posterâ die finis incendio factus, flammâ haustis per immensum ædibus, vt prospectantibus patens hinc inde campus, & velut vacuus cœli vndique tractus occurreret.

Displosa in ædes tormenta.

Dum nullo obice inferiorem vrbem depascebatur ignis, displodumtur in ædes igni contiguas murales machinæ, quibus bona, séque ipsos in publicâ necessitate, vrbis saluti deuouentibus oppidanis corruebant circumvicina igni ædificia, quamquam nec eâ ruinâ hærebat incendium, per inane, quod inauditum erumpens. Plateâ mediâ, cui plusquàm centum cubitorum (si fas cum Mathematicis loqui) circumferentia, mapale ligneum assurgebat, laterculis opertum, quod depastus ignis portento fuit, vix ferente naturâ, vt nullo medio vltra centum cubitos sponte proriperet.

Ædificiorum numerus quæ ignis absorpsit.

Ædium, quas ignis absumpsit, haud difficile fuit inire numerum; quamquam ne vacuam quidem aream postridiè discernere poterant proprietarij, adeò locum ipsum deformauerat ignis; supra Franciscanorum cœnobium simul & Ecclesiam, ducenta septuaginta duo ædificia numerata sunt, quibus pars deustis, pars dirutis deserto haud absimilis etiamnùm hodie ea vrbs videatur.

Prima adeò pertinacis incendij causa.

Ferunt pertinacis ad extrema ignis non aliam fuisse causam, quàm quòd per tabernas mangonum, quibus id mercimonij vulgò prostat, quo

flamma alitur, cœptus infeliciter ignis; vnde statim inualescens, vento crebescente vicis angustis, veteribúsque, raro lapide ædibus, longitudinem vrbis penè in immensum corripuit, vt etiam post tres ab incendio Lunas, dum veteribus fundamentis subitaria in tēpus ędificia exstruuntur, valentiores etiamnùm flammę eruperint, quas inter ipsa ędificiorum rudera, operientibus limo & cespite, alebant adhuc in abditis resinæ, picis, oleíque copia ingens.

Remissa Carcassonēsibus tributa.

Non differuntur ad Regem ab vrbe Oratores, quibus immensâ munificentiâ id solatij datum, vt præter Laudimia quæ Regi ex venditionibus iure dominij, cessura erant, in annos decem tributa remitterentur.

Per idem tempus Milhordus Hayę, Regis magnę Britanniæ extra ordinem legatus, biennio iam eo munere exacto in Galliâ, in Britanniam redit, tentatâ sæpiùs irrito nisu pace; quo tempore Soubisium ferunt Dorum appulisse, qui celeberrimus Angliæ portus est, vbi flagitatis incassum à Iacobo copijs auxiliaribus, Scotiam in sectæ subsidium commouere conatur; atenim repulsam passus, piratas Anglos, septingentos circiter, prædæ studio Rupellam inuehit, quos infrà magnâ ex parte desertores videbimus.

Millord de la Haye.

Soubisius Britanniā magnam frustra tentat.

Douure

Escosse.

Brissacus Rohanæi vxorem Fraxineto, arce validâ Brissacum ducit Regis iussu, vbi diu captiua; donec agnito non ideò Rebellionem abdicare maritum, priuilegio sexus dimittitur.

Fresnoy Brissac.

Suessio agrum Rupellanum diripit.

Præcipiti Iunio, Suessio Princeps Rupellę agrum vastabat ferro & flammâ, octóque peditum, duobus

equitum millibus diripiebat maritimam oram. Plures inter hæc, vna omnium maxima hosti infertur clades; cùm enim succisa pratorũ fœna in procinctu essent vt à nostris educerentur, ratus Suessio extrema tentaturum hostem, priusquàm messem ità sibi præripi pateretur, procuratis magno numero plaustris, insidias loco oportuno locat, sclopetariorũ equitantium ordines duos, legionariorum centurias

Ville-fort. item duas, præfecto Villafortio; nec spem fefellit euentus. Dum enim tympanis sonantibus, expassísque signis asportatur à Regijs fœnum, deuolat in prata Rupellanorum expedita cohors, erumpere illicò insidiæ, inuoluere hostem, pugnari hinc inde strenuè; sed à fronte, à tergo, ad latera impetitis Rupellanis, in Suessionem victoria demum inclinat eâ Rebellium strage, vt vix è quadringentis, *Cæsi Rebellium plerique.*

Bessaye. triginta euaserint, captis Bessæi nepote viro illustri, primorum vrbis quatuor, signis peditum duobus, equitum altero; quod Principi etiamnùm adolescenti maximo honori vertit, Vitrióque eius tunc consultori.

Ad eum modum terrâ fatigatis Rebellibus, non minor mari inferebatur clades, occlusis classe Regiâ quibuslibet ad portum meatibus, triremibúsque, agentibus successiuè excubias, quà subsidiarijs nauigijs facilior transitus videbatur; nec procul hinc *Mari fatigantur Rupellani.*

Olonois. Olonij gens maritima, quorum agros recèns Rupellani vastauerant, hostilem diripiebant plagam, cùm naues Rebellium duæ, quæ præfecto Bomportio, iam Rupellæ portui succedebant, insidijs circumuolutæ post prælium acre, diutinúmque in Re-

Capiuntur Rebellium nauigia duo. giorum manus deueniunt, vbi acto in vinculis Bomportio; commeatus copia ingens, quæ Rupellam inferebatur, victoribus cessit.

Paulò pòst Marescallus Galliæ Lesdiguerius post nauatam Regi sedulò, fideliterque operam, Catholicam fidem amplexus est, in quâ ab ortu adoleuerat; iam supra diximus, abstinuisse illum magnâ laude Rebellium factionibus, víxque vnum inter primores, fide inconcussà, Regibus vbique suis militasse: vnde plerisque placuit hanc esse à Deo obsequij Regibus præstiti remunerationem, vt qui impensiùs Dei viuentis imaginem coluisset, prototypum, Deum ipsum longè ab erroribus adoraret; adeò gratâ Deo fide, quam subditi Regibus suis pręstant, vt in momento remunerator ipse & remuneratio se totum dedat ijs, qui fideles Regibus præbuerint operas. Quàm fuerit Regi gratus rei nuntius non ignorant, quibus immensa LVDOVICI pietas nota est: amabat ille, neque herclè iniuriâ, Bonam Lesdiguerium; vnde vehementiùs veteranum Gallicæ coronæ ministrum, haud nouum liliorum protectorem, natum ad Regum imperia, bellóque præ ceteris vtilem lugebat fluctuoso mari naufragum, tentatâ iam sæpius nisu irrito eius conuersione, desperatæ salutis habebatur, cùm pneuma diuinum, quod tonitrua, & fulgura stipant, obluctantem repentè adigit, vt discussis tenebris, in fidei Catholicę lumen placidè oculos aperiret.

Lesdiguieres.

Fidei Regibus seruata Lesdiguerio remunerationem esse, immissam celum fidem.

Bone.

Ludouisiũ inter & Lesdigueriũ sermo. Rem eo tempore scriptam memini non indignam, si vera est, quam hôc loci referamus. L. Ludouisium, qui nondum Cardinalis erat, à summâ

Sede

Sede, pacandis Hispanum inter & Sabaudum dissidijs delegatum, de fide Catholicâ cum Lesdiguerio tunc Caluinistâ sermonem instituisse, qui rem seriam in iocum vertens; Catholicus, inquit, ero, cùm te Ecclesia tua summâ sede donauerit, nempe positâ supra spem omnem, viri iam senis, & ne quidem adhuc Cardinalis, in Ecclesiæ fastigium promotione. nec diu cùm Duce Sabaudo ægrè ferente, quòd Oratorem sibi summus Pontifex sacro Purpuratorum Patrum non adscriptum Collegio delegabat, procuratur haud immerenti Ecclesiastici purpura principatus, renunciatúsque in eam negotiationem Cardinalis, paulò pòst primâ sede per adorationem donatur: quod Lesdiguerio tantum stuporem attulit, vt, promissi haud immemor, de fidè Catholicâ tum primùm cogitarit.

Crequius Marescallus & Delphinatus prætor.

Ad eum nuntium, Rex omnium prodigus vbi de fide agitur, Crequio Lesdiguerij genero haud immeritam Marescalli dignitatem, prętoriámque Delphinatus prefecturam impertitur, Comiti Saultæo eius filio proprætoriam; Lesdiguerio ipsi, quod vnum ad honoris cumulum desiderari videbatur, magni Galliæ Comestabilis primarium decus, cui accessit Regiorum Sancti Spiritus equitum torquis aureus, cruce placido tertiæ personę illapsu illustris. Comestabilis diploma, Crequius nouâ promotione Marescallus, torquem Regij ordinis Lomenius villæ ad clericos à Rege obtulere.

Crequy — Dauphiné. — Comte de Sault

Lesdiguerius Comestabilis & sancti Spiritus eques.

Ambrũ. Ad X. Kalend. August. in Archiepiscopi Ebrodunensis manibus, magnâ populi accurrentis frequentiâ, Gratianopoli hæresim abdicat, in hunc

modum. Postquàm Archiepiscopum inter & Lesdiguerium de Orthodoxa fide pleniùs conuenerat, datur in proximam conuersionem fides, adesse Regio nomine Crequius, qui id Regij placiti testatus, si quando fidem Catholicam amplexabitur Lesdiguerius primariâ armorum præfecturâ donandum, adijcit, ad manum diploma esse, quo iamdiu meritam, cuíque vna hæresis obstet, dignitatem obtineat. Lesdiguerius ad Parlamenti proceres (namque Senatus aderat) conuersus; Diu est, inquit, cùm sectæ errores meliùs consultus deposui, adeste dum Patres, mecum matricem Ecclesiam sacro audiendo subituri. His dictis in Ecclesiam stipantibus plusquàm mille nobilibus euadit, vbi à sacro, magnâ facundiâ Archiepiscopus Ebrodunensis eo themate ex Prophetâ Baruch cap. 4. concionem habet: CIRCVMSPICE HIERVSALEM AD ORIENTEM, ET VIDE IVCVNDITATEM A DEO TIBI VENIENTEM. ECCE ENIM VENIVNT FILII TVI QVOS DIMISISTI DISPERSOS, VENIVNT COLLECTI AB ORIENTE VSQVE AD OCCIDENTEM. Redditis exin à Rege codicillis, Comestabilis Galliæ ingenti omnium applausu renuntiatur.

Rei gestæ formula. — Ambrũ.

Posterâ die, maiori quàm antè apparatu, Regij ordinis torque, à Lomenio, magno eiusdem ordinis præposito donatur, stipantibúsque eiusdem ordinis equitibus Crequio, Alincurtio, Sanchaumondo, Lomenióque; eâ pietate ad sacram synaxim accedit, vt in se omnium conuerteret ora, & oculos.

Ad sacram synaxim accedit. — Lomenie. Alincourt. Sĩchaumond.

Fortunam nemo tunc ſatis mirari poterat, quæ ex nobili quidem; at non primorum ſanguine nato, Mareſcallum Galliæ, ex Mareſcallo Comeſtabilem fecerat, & ſi auſim fortunæ dare, quod Dei vnius decretis debeatur, Catholicum; æmulantibus, vt ita loquar Rege, Deóque: hoc fidem Catholicam placidè inſinuante, quæ gratia omnes continet: illo quidquid magni in mortalem cadere poteſt, niſi Rex eſt, liberali manu impertiente. Faxit Deus meritam diu poſſideat dignitatem, cui Gallia à Rege debet, quod ſpirat.

CAPVT II.

EPITOME.

Mombrunus deſperatis in Delphinatu rebus Montalbanum venit. renuntiatur imperator. Reynieſium, Labaſtidámque oppugnat. Vindocinenſis arces recipit. in Lombercium caſtra mouentur. hoſtium effugio vrbs capitur. Ordo exercitus. prudentiâ commendatur Vindocinenſis, qui audacior eſſe noluit. Mommorancius ad Montiſpeſſulani viciniam rem ſtrenuè gerit. Betarrium obſidetur & capitur. hoſtium ſtrages. diſtributę in varias obſidiones copiæ. militari morbo Cardinalis Radeſianus Biterris occumbit. Manguionum deditur. Maſſilsarguę, Aymargua, Lunellúmque expugnantur. Rex Lunellum venit. Sommierium obſeſſum Regis imperia ſubit. violatur à milite data Lunelli fides. Piloni cohors cęſa. Gallica nobilitas commendatur.

Mombrunus Montalbanum venit.



ESDIGVERIO ad fidem Catholicam conuerso, Mombrunus *Mombrun.* olim ipsius gener naufragam lugens in Delphinatu Sectariorum potestatem, leuibus, quæ à naufragio superabant tabellis, Montalbanum peruehitur vanâ præfecturæ vrbis imagine, quæ à Bourfranci, Vigniauciíque luctuosis sectę funeribus, arbitrio populi stabat. Gratè hominem excipit nouitati studens insania populi; cùm ille parando sibi per ruinam & incendium nomini, lectis tribus præsidiariorum cohortibus in Reyniesium Castrum vrbi adiacens, postridiè quàm aduenerat *Reyniez.*

In Reyniesium castra mouet.

signa conuertit. Ea arx est, vbi nuper Reyniesius lanista, vxorem, eiúsque fratrem Vicecomitem Panatæum, *Panat.* & Vicecomitem Paulinum Sectariorum primores duos, *Paulin.* deprehensâ in adulterio cum Paulino vxore, barbarâ internecione deleuerat. Exin eâ secundùm Montalbani obsidionem expugnatâ Vlmodæum *Loulmede.* Rex centum legionarijs loco præfecerat, cui ob exitialem lucri auiditatem vix quadraginta imperabant quo tempore obsessum Castrum.

Tribus legionariorum millibus, centum cataphractis, duobus maioris modi tormentis, ductante primam aciem Reyniesio in expeditionem itur; nec diu cùm tormenta simul & acies muris succedunt. Territus repentino hostium aduentu Vlmodæus, quamquam propulsandæ obsidioni impar erat, in spem subsidij (neque enim Vindocinensis procul aberat) rem strenuè gerit. Post exactam indesinenti verberatione noctē appetente luce Secta-

Verberatur indesinenti displosione castrū.

rios ruina vastior ad oppugnationem impellit; quia tamen magno animo obsessi nullo machinarum metu, superstructis aggere, humóque tignis ruinam reparabant, hastarúmque cuspides quà via latior, nullo in speciem metu, irrupturo hosti opponebant, placitum dolo agi.

Craticula ingens prostabat, euacuandis, quà Tarnus defluit Castri purgaminibus; in eam partem Reyniesius crepitaculum infert, quo disiecta crates viam in Castrum aperit, dum parte aliâ proditor rusticus, qui Catholici mentitus ora, & habitus se in arcem receperat, demisso ponte hostem vltrò admittens in proditionis remunerationem primus occumbit: ruinam ex aduerso propugnans Vlmodæus plumbo cadere, sterni qui tumultuariò ad craticulæ disiectæ strepitum propulsandis Rebellibus turmatim accurrerant, non inulti tamen; donec inualescente hostium numero Castrum penitus expugnatur: atenim dum ad prædam distentus miles, cæsis penè ad internecionem præsidiarijs, huc illuc nullo metu, liberiùs agit, maiore quàm dici queat strage, à præsidiarijs non nisi duobus afficitur, qui desperatâ salute, scalam angustiorem quà in editam turrem ascensus erat, hastâ ille, hic securi insident; vt hastam à fronte primus hosti opponeret, gradu alter omnium editissimo à tergo securi feriret, quem morari haud potuerat cuspis: cæsorum eo stratagemate numerum haud inire promptum fuerit; imò velut victimæ mactabantur prædones reliqui, nisi defecti tandem viribus, Regij duo, indesinenti impares lanienæ

Expugnatur quà dolo quà proditione.

Victorum magna strages.

se vltrò morti obtulissent: vnde nihil victoribus fuit, quod triumpharent, desideratis eâ expugnatione quinquaginta, quos inter præfecti, nobiliúmque plures. Non procul hinc in La-Bastidam signa conuertuntur, castellum erat genio loci inualidum, rarísque milite & munimentis firmatum; obsidij non alia causa quàm quòd hostis commeatus penuriâ laborans, audierat annonam eò loci, ingenti copiâ, vináque affatim asseruari; soli circumiacentis rusticis in Castrum velut in asylum, messem suam, supellectilémque asportantibus. Ardua hinc expeditio, quòd nouem Montalbano milliaribus dissitâ arce, vel leue Regiorum subsidium, agro inimico hostem opprimebat. Vix primam tormenti displosionem passi præsidiarij despondent animos, dúmque deditionis consilium ineunt, expugnatione subitâ ad internecionem iugulantur. nullo dein obice diripitur castrum; vináque & frumentum in publicum conferenda, irrito nobilium Catholicorum, qui ad eam expeditionem conuenerant nisu, postquàm arci subditus ignis, Montalbanum inferuntur. Statim ac Vindocinensi arces interceptas relatum, eò castra moueri iubet: exiguus tamen retrahendis in ditionem Regiam arcibus labor; vix enim alariorum aduentûs fama peruaserat, cùm hostes, desertis Villabrumiero, Reyniesio, quásque circumiecto solo inuaserant, Montalbanum haud impigrè se recipiunt. Exin Vindocinensis Lombercium capit, vrbem quam Sectarij Rebelles quinquaginta abhinc annis occupabant, arce Regiâ, vt suprà sæpiùs diximus.

Expugnatur la Bastida.

La Bastide.

Diripitur igníque creditur.

Vindocinensis arces recipit.

Villebrumier.

Reyniez.

Lombers.

Rem paulò altiùs repeto.

Lombercium ad Albigenses, vrbs est in collis decliui sita, angustior, neque magni apud antiquos nominis, arce illustris quæ à Panati nuper ditione, procurante d'Elbeno Albiensi Episcopo in Regiam retracta est, eius præfectus Lescurius, Sectarios oppidanos præsidiarijs centum habebat velut in vinculis, vt nihil extra vrbem suam tentarent. Vindocinensis, positâ in facili expeditione, eò castra mouet, tormentis sex, cohortibus Chapesij, Pompadourij, Susæi, Villeroij, Valiaci, Pibracij, Vibraiique, quę vltima dilapsis magnâ ex parte militibus, non nisi ducentis constabat. Alariorum ordinibus VI. Engolismensis quem Bordæus ductabat; Vernolij, La-Voulæo legato, Elluij, Linieresi, Chambreti, Flo-rambelli ab Ambra; sclopigeris equitantibus Arnaldi, Mayennij olim Principis Motæo præfecto, Mombruni à Villis, Presquesiique; qui Vindocinensis alarij omnes, si Meruilij ordinem eximis, quem Montalbanensibus opprimendis paulò antè ad Tarnum reliquerat: nec diù eluctatus hostis inter obscura sensim absistit, incautis Regijs, donec appetente luce visus non vrbe procul collem superare, ad cuius fastigium leuiore exercitu venientem operiebatur Malausius.

Descriptio Lomberciy.

Panat. d'Elbene. Lescure.

Vindocinensis Lombercium capit.

Chapes. Pompadour. Suse. Villeroy. Valiac. Angoulesme. Labor-de. Verneuil. La Voulée. Elluy. Linieres. Chambret. Ambres Arnaud. Lamothe. Mombrun des-Villes. Presques. Meruille.

Desertâ vrbe in varia feruntur præfectorum sententię, pars diripiendam ad hostis conspectum, pars subitâ ascensione superandum collem, imparémque Malausium opprimendum, pars instructo in aciem ordinatam exercitu, subijciendũ vrbi ignem sentiebant, cùm ad obortum oportunè ventum

Prudens Vindocinẽsis, magè quàm audax.

pluuia ingruens, alarijs præpotentem Vindocinensem monet aggrederetur hostem, cuius non nisi legionarijs constabat exercitus, quibus supra modum aduersus imber præstabat in facili victoriam Regijs, nî maiore quàm par esset prudentiâ imperator, futura perpendens inhibuisset prælium, quod diu iam vtriusque excursores exercitus, magnâ contentione commiserant. Placuit missis incendiarijs flammâ vastari vrbem, edictâ priùs capitis pœnâ, si quis prædæ studio signa desereret. Res ita habuit; vrbem, prædámque insimul absumit ignis, non sinè militum murmure: quo facto laudatam memini imperatoris sagacitatem; Malausio non in aliam spem expectante, quàm vt prædæ innatâ militibus auiditate, desererentur signa, turmatímque vrbs insessa vndique, nullo diriperetur ordine; quam ille occasionem capturus, descensum meditabatur, vt dehinc agnitum; cecidissétque ex voto propositum, nî obstitisset Haliero suadente imperator. Quamquam plerisque visus Vindocinensis parum consuluisse honori, qui auerso legionarijs hostium tempore, alarijs fortior haud dubiè victor erat, si secundum pluuiam conseruisset manum.

Hæc inter affertur Mombrunum tribus legionariorum millibus ferro & flammâ Catholicorum vastare prædia, circumiectúmque Montalbano agrum inauditâ crudelitate diripere. nec morâ vrgente Parlamento in eam partem signa Vindocinensis conuertit, vnde, non auso prælium hoste, in minùs felicem Britextæ expeditionem regreditur, de quâ suo infrà loco.

Intereà

Intereà Mommorancius, Zameti alarijs auctus, Sectarios Montispessulanenses æstiuâ messe destituebat, vt suprà diximus, nouísque in dies expeditionibus fatigabat, in quos vna iam Regis ira, armáque vertebantur. memorabile inter alia commentum est, quo trecentis legionarijs, messorum habitu, dum plaustra in speciem educendæ messis armis onusta sequebantur, in viciniam vrbis induxit, locatis oportunè alariorum non procul insidijs, vt quingentos hostium ausos præripere messem nullâ suorum iacturâ penè ad internecionem deleuerit. *Mommorancius agrũ Montispessulani vastat.*

Betarrieus. Ex aduerso Rex Betarrium obsidebat, ea vrbs est montibus circumasperis, Rebellium olim transitui percommoda, prætérque genium loci munimentis eâ arte firmata, vt in eius obsidione exigenda æstas crederetur: præmissi Prassinius, Mariliacus, & Valancæus impigrè muris acies admouent, quamquam hostis tentandæ cominùs pugnæ in occursum eruperat, vbi post diutinum prælium, victoria in Regios inclinauit, pauci hinc inde cæsi, plures sauciati, leuíque iacturâ dici poterant Regij, extima fossarum munimina (contrescarpam vocant) expugnasse, nî Capellæus præfectus plumbo cecidisset; nec magnus exstruendis mapalibus militi labor, quippe vrbem propiùs circumstabant antiquæ maceries, quibus tectus, muris sensim succedebat, machinis muralibus eo impetu disijcientibus munimenta, vt postridie quàm obsessa vrbs ruina ingens patuerit. *Betarrium obsidetur.* La Chapelle. *Verberantur muri.*

Rebus eò positis, vt oppugnatione in crastinum indictâ Regij iam in procinctu essent, relato præsi-

diarij in concilium militare periculo, in varia ferri: atenim vbi omnium calculis in deditionem non conuenitur, dilabuntur nocte intempestâ ducenti, quibus vrbem dedi placuerat. Praslinius re agnitâ fugaces insequi, appetentéque luce, quos viarum ignaros timor faciebat, aperto loco aggredi; nec diù cùm cæsis centum, captísque quinquaginta, reliquis parta effugio salus.

Ducenti hostium diu dilabuntur cæsi.

Victoriâ lætus miles in oppugnationem redibat, cùm rarioribus præsidiarijs oppidani, misso tympanistâ, colloquij facultatem à Praslinio flagitant; multa hinc indè congesta: illi vitam, libertatem, & bona salua petere; sibi adhuc suppetere virium satis, quò aut protelaretur deditio, aut si placet muros expugnari, Regiorum strages magna edatur. Praslinius contrà desperata illis omnia proponebat, eóque positas res, vt vnam Regis clementiam nullâ lege subire gratia illis omnium maxima foret, cui quò magis differebant se totos credere, eò magis Rebellionis crimen asperabant: abnegantibus vita condonatur, vrbísque deprædatio, si duodecim aureorum millibus eam redimerent. Vrbe deditâ, eorum quos pridie Praslinius in vincula egerat, decem patibulo suffecti, crimen in furca publicum expiant, debitâ Praslinio eâ expeditione, non Mommorancio, vt plerisque placuit.

Vrbs deditur.

Sub idem tempus Aluino Schombergi filio imperatore supra quingentos tria Germanorum millia tormenta maioris modi quindecim secundo Rhodano in Narbonensem prouinciam inuehuntur, vnde Mommorancij, Regísque, quas Condæus,

Iuncta insimul copiæ in obsidiones distribuuntur.

Aluin.

Schombergus, Prasliniúsque ductabant copijs insimul ad pontem Latesij iunctis, triginta circiter hominum millibus constabat exercitus, iusto in Montispessulani obsidionem numero. Quamquam ne vrbi, quæ reliquarum caput haud immeritò dici poterat, membra superessent, quibus potentiùs Regi obsisteret, placuit in diuersas eodem tempore obsidiones distribui acies. Mommorancio creditur iterum, cui antè imperabat exercitus, quò in Mauguionum iret, reliquas sibi acies ascribit Condæus, expugnandis Lunello, Massiliarguis, reliquísque vrbibus Montipessulano ad viciniam positis.

Lates.

Mauguion. Lunel. Massiliargues.

Cœlo interim æstiuis caloribus infesto militaris morbus eâ acerbitate grassatur, vt ad afflati pestilenter aëris impurum tractum plures exanthemate occumberent, quàm hostili ferro; at præ alijs luctuosa erat Biterrensium facies, exitiali peste cadentium, morbo adeò ad caniculam incalescente, vt primùm nobiles exteros, dehinc oppidanos penè ad internecionem deleuerit pestilentia febris. Nobiles inter Tilladetus prętorianorum prçfectus, vir magni animi, prudentięque haud vulgaris, qui armis ab ineunte ætate tractatis, bellóque innutritus, veteranos inter magnum sibi promeruerat nomen: at leuis iactura fuit, leuis omnium mœror, vbi eodemmet tempore Cardinalis Radesianus eodem morbo finijt; caput ille Sanctioris Regis consilij, magnâ laude diù rebus Galliæ præfuerat, Regémque in expeditione sequutus, Sectariam hæresim, quam reliqui armis insectabantur, salutaribus dum exstirpabat consilijs gloriosâ morte occubuit, condignum Cardinali

Militaris morbus grassatur.

Tilladet.

Cardinal de Retz.

Cardinalis Radesianus Biterris febre occumbit.

funus, qui dum Ecclesiæ Militantis dignitatem vindicare conatur, haud iniusto Dei decreto post rem gloriosiùs gestam Triumphanti ascribitur. Non antè eo in Sectarios bello iactura maior, seu consilio sagacitatem spectas, seu rebus gerendis auctoritatem.

Mauguionum Mommorancio deditur.

Mauguionum intereà, cuius aditus stagnantibus aquis natura adeò sepserat vt legionibus imperuij haberentur, eâ felicitate Mommorancius obsidet, vt quæ diutiùs propulsandam obsidionem sibi proposuerat gens maritima, ad prælium vulgò expedita, flagitiíque præ alijs capax, post duos dies nullis conditionibus subierit legem, quâ viginti actis in furcam, reliquis concessum vt viuerent. Mauguiono in Massiliarguas castra mouentur, non procul hinc sitam vrbem, quam munimentis, præsidióque adeò firmauerant Montispessulanenses, vt signis explicatis, dum muris admouentur tormenta, eruperit ducentorum expedita cohors, manúmque haud segniter conseruerit, vbi magno Regiorum mœrore plumbo traiectus Baro Mompesatus, Marchioni Portesio Castrametatori in subsidium datus, paucos post dies occubuit; neque minùs ideò retrusus in vrbem hostis.

Massiliargua obsessa deduntur.

Massiliargues.

Mompezat aide de Mareschal de Camp.

Posterâ die, postquam murales machinæ ruinam ediderant, in deditionem conuentum, saluis oppidanorum vitâ, libertate, & bonis. Massiliarguis in Aimarguas signa conferuntur, ea vrbs magno nuper in Galliâ Narbonensi dissidio causam dederat, Ducis Vticensis opima ditio, quam transitui percommodam detentabant Rebelles, non alio possessionis titulo, quàm publici in sectam commodi. Nec dum

Legem subeunt Aimargue.

Aimargues.

Duc d'Vsez.

vrbi Mommorancius admouerat acies, cùm animis defecti præsidiarij loco absistunt.

In Lunellũ signa conuertuntur.

Post repurgatum eâ parte Sectario Rebellium semine, Narbonensem agrum, Condæi exercitum Mommorancius subit, mouendis insimul in Lunellũ castris, quæ, si Montempessulanum & Nemausum eximis, Sectariarum eâ prouincia vrbium validissima habebatur. Arcem recenti subsidio firmauerant mille Cebennarum Rebelles, quibus totidem oppidani ascripti, circumductâ ex æquo muniminibus vrbe sibi virium gloriabantur abundè, quò trimestri obsidione Regis exercitum frangerent, differendo in annum sequentem Montispessulani obsidio.

Lunel.

Duplex oppugnatio.

Hæc Condæo Principi illa Mõmorancio committitur.

Admotis non vrbe procul aciebus oppugnatio duplex indicitur, prima Condæo Principi in Castrum; altera Mommorancio incumbit in propugnaculum, quod immani mole à dextrâ assurgebat. Exin aperiri, producíque labore assiduo valla, donec ad extima fossæ munimina ventum.

Deditum Lunellum.

Nondum ex æquo murales machinæ ruinam ediderant, nouóque auctis subsidio oppidanis, versurum excidio Regijs obsidium timebatur; cùm Mommorancius porrectis supra spem quà vrbem oppugnabat vallis, obsessos adigit, aut oppugnationis incertæ aleam subirent, aut in crastinum deditioni subscriberent: præualuit deditionis consilium, in quam datis vtrinque obsidibus ità demùm conuenitur; vt præsidiarij ense vno, reliqua inermes, saluis libertate & vitâ absisterent; oppidanis vita, libertas, & bona sarta tecta haberentur, æquarentur solo munimina, ipsí-

que muri. Ità quæ trimestris futura credebatur obsidio vix triduana fuit, nempe indesinenti tormentorum duodecim displosione, militúmque Regiorum maiore quàm speratum audaciâ. Iactura minor quàm dici possit; quippe si Courbonem eximis, Estissaceæ cohortis præfectum, qui glande occubuit, nihil damni ab hoste illatum; nisi quòd dum in muros disploditur immane belli tormentum, reboante in fistulam vento, flamma erumpens in tergum aduerso flatu resilit, vnde quinquaginta legionariorum repentina strages, actâ violentiùs in puluerem tormentarium, qui retrò asseruabatur scintillâ.

Oborto repente incendio igne corripiuntur Regiorum plerique.

Courbon.

Post deditam VI. Eidus Augusti vrbem; præsidiarijs absistentibus, repentinâ Regiorum seditione violatur fides, ferróque ad internecionem cadebat hostis, nî præfectorum vigilantia obstitisset; quos inter Praslinius, ipséque Condæus Princeps, qui restincto dissidio proditionis auctores in furcam agi iubet. Postridie repentino incendio, forte an consultò incertum, arsere viginti ædificia, plerísque eam stragem coniecto in puluerem tormentarium igni imputantibus.

Seditione militari violata fides.

Ad eam obsidionem Condæus Princeps, primarius imperator, legatus Mommorancius, Castrametatores erant Bassompetrus, Mariliacus, Valancæus, Portesiúsque viri haud immerentes.

Pridie quàm in deditionem conuentum, Pilonus temerarium caput & væcors, octingentis legionarijs, circumiectam prouinciæ oram deprædabatur, Regiíque impedimenta exercitus longiùs posita

Piloni cohors fusa & cæsa.

diripiebat; cùm monitus cataphractorum Guisij legatus, Baro Bliquius, lectis alarijs octuaginta, in eum castra mouet; Ribauto, Mansio, Gadaucurtióque nobilibus in eam expeditionem vocatis prima committitur acies, víxque milliare emensum, cùm in hostem incidunt: non differtur quamquam numero impare prælium, accurrit Bliquius, vno scloporum fragore monitus manum conseri, productâque, marte dubio, ad vesperam pugnâ in Regios demum victoria inclinat. Nocte perobscurâ dilapsis plerisque, captos centum, sauciatos totidem, cæsos ducentos memorant: Regiorum vix legionarius alter occubuit, eo nobiliore victoriâ, quòd incruenta fuit, vnde supra modum à Rege laudati Baro Bliquius, Mansius, Ribautus, Gadaucurtiúsque, viri haud indigni quorum nomina posteritas sciat.

Bliquy. Ribaute. Manses. Gadaucourt.

Hæc inter Fenoilletus Monspessulanus Episcopus, magnæ vir facundiæ, eruditionísque non vulgaris, eâ Biterris coram Rege eloquentiâ in prouinciæ Narbonensis Sectarios verba facit, vt debitam iamdiu Gallicæ eloquentiæ palmam sibi ipso Regis calculo promeruerit.

Fenoüillet. — *Fenoilletus ad Regem oratio.*

Rex Biterris Pedenatium, Pedenatio Lunellum venit, vrbem, Montempessulanum inter & Nemausum mediam, eo consilio, vt medio exercitu mutuum vrbium commercium intercluderetur, legerétque interim in quam verteret arma. Attamen quia ad pontem illi Latesium, milliari à Montepessulano iter erat; iubetur Bassompetrus quingentis alarijs pontem insedere, ne subitâ forsan eruptione, Regem præsidiarij vix quinquaginta stipatum equitibus, adori-

Beziers. Pesenas. — *Rex Lunellum venit.*

Bassompetrus Galliæ Marescallus. rentur. Bassompetrus indictâ equitum turmâ in occursum venire, Lunellúmque, non auso prelium hoste, ductare Regem. Vbi laudatum ex occasione velim heroëm magni nominis, quem eo circiter tempore Rex vnâ virtutis commendatione Marescalli Galliæ præfecturâ donauit.

Dum Lunelli militare Regis consilium in varia fertur, problematicâ multorum iudicio eâ quæstione, quam in partem castra mouerentur, nempe medio duas inter vrbes exercitu, quarum alteram oppugnari necessum erat; Marchio Portesius, Marilia-*Sommeriũ obsidetur.* cúsque Castrametatores in Sommerium arma conuertunt. *Sommiere.* vrbs erat monte circumaspero, arce validâ, muniminibúsque, quod aiunt, magnâ ex parte regularibus; suburbia ad montis decliue nullis olim muris firmata, eà arte propugnaculis, hemicyclis, ceterísque id genus munimentis recèns circumobduxerāt oppidani, vt ipsamet pomœrij oppugnatio arduum, ingentísque periculi opus haberetur.

Castrum expugnatur. Castrum haud procul vrbe situm, cui à Villâ-ve- *Villevieille.* teri nomen, seu quòd eâ olim parte assurgebat Sommerium, quod indigenis placet, mutatà exin sede; seu id nominis Castro sorte obtigit. Obsidetur Castrum; nec diu cùm salua libertate & bonis loco cedit præfectus, rarioribus, quàm vt Regiam obsidionem pati posset præsidiarijs.

Erumpit hostis. Postridie Condæus Princeps, Mommorancius, Schombergus, Prasliniúsque habito militari concilio statuunt monti admouere exercitum; erumpere hostis, Regiósque vltrò adorturus, in planitiem deuolare, non antè dimicatum acriùs, renouari identidem

tidem

tidem prælium nouis legionariorum delectibus velut rediuiuum, perennari nouis ac nouis incrementis vulnera, donec æquali hinc inde dispendio in munimenta retrusus loco cedit.

Paulò pòst duplici verberatione actum, Mommorancio hinc, illinc Marescallo Praslinio oppugnantibus, vtrinque premitur hostis; prętoriani vigiles, Pedemontanæque cohortis legionarij, ductante Mariliaco montem ascensione superant oliuetis adeò obsitum, vt in hostem vbique Regius miles locorum ignarus incideret, vnde cæsi plerique, quos inter Pigeoletus vir magni animi prætorianæque cohortis præfectus, qui post rem sæpius bello in Sectarios Rebelles gloriosè gestam, eâ infeliciter expeditione finijt. Sauciati Malirius, Biscarrasiúsque Reginæ familiaris, quem ad celebrem fani Antonini oppugnationem vulneratum memorauimus suprà.

Bifariam vrbs oppugnatur.

Pigeolet.

Pigeoletus cadit.

Maliri. Biscarras.

Eò positis rebus, vt nullum obsessis effugium, spes nullâ salutis affulgeret, vrbe præsidiarij cedunt saluis vitâ, libertate, supellectile & bonis. Quæ præcipitis victoriæ laus procul dubio vni Regis præsentiæ debeatur; perhibentibus exacti iam seculi monimentis, copijs etiam valentioribus magni Proregem nominis trimestri obsidione frustrà vrbem eademmettentasse. Et hæc in Galliâ Narbonensi.

Deditur vrbs.

***



Hhhh

CAPVT III.

EPITOME.

Mansfeldij exercitus qui è longinquo in maius audiebat, Sectarijs perduellibus animos addit. Eius origo & mores. Quâ spe, cuiúsque in Galliam suasione venerit. describitur exercitus. conuocatur Lutetiam militare concilium. præscribitur belli ordo & formula. primorum in publicum ad eam expeditionem amor. Niuernensis, exercitus imperator renuntiatur. delegatur ad Mansfeldium orator. pleraque hinc inde dicta. fœdus ad tempus initur. Halberstadius à Mansfeldio deficit. Consaluus Cordubensis Hispanas acies Niuernensi offert. desperatis in Galliâ rebus effugium parat Mansfeldius. datos obsides dolo reuocat. Niuernensis offerendo subsidio legatum ad Cordubensem mittit, par redditurus. Dux Essuorum Niuernensis Principis primogenitus febre extinguitur.

Rumor Mansfeldiani aduentus.



ESPERATIS Sectariorum in Galliâ rebus, peruadit rumor Ernestum Mansfeldium, procurante Buillionio, eorum subsidio viginti Germanorum millibus aduentare; nec diu cùm affertur Campaniæ illum extrema, Mediomatricúmque ditionem flammâ & ferro diripere. Rem ab origine paucis expedio. *Mansfeld.* *Metz.*

Ernestus Mansfeldij Principis filius naturalis,

Germanico bello, quo Palatini legatus erat, eâ omnium licentiâ sibi militis nuper promeruit gratiam, vt qui nihil possidet, quémque fœtu velut abortiuo natura produxit, immensâ in milites auctoritate diu Germaniæ terror habitus, Cæsaris æmulus haud iniuriâ dici potuerit, donec Palatini extincta factio adegit sibi aliunde victum quæreret, quem ab ineunte ætate non nisi incendio, patriæque ruinâ parauerat; Palatinatu ad Rhenum, Alsatiáque deiectus, in Galliam castra mouet, seu eximendis, quod à Spinolâ imminebat periculo quæ superabant Palatino confecti iam belli reliquijs; seu prædæ studio, fertilibus passim prouincijs Galliæ, pasśímque etiamnùm quà Germaniam subeunt hoc in perduelles bello illæsis. His accedebant Buillionij Sedanensis Principis per legatos identidem missos suasiones, quibus supra exspectationem diues, supra ambitum magnus in spem erat, si viginti hominum millibus adforet: ab exercitu quem crebris obsidionibus iam penè confecerat sterilitas Septimanici agri, cœlíque æstus, nihil esse in Galliâ quod cum copijs suis impunè grassantem morari possit. Octingenta circiter milliaria Campaniam inter & Septimaniam interiecta; nec posse Regem, etiam posthabitâ Narbonensi expeditione, nisi exeunte Autumno, regni sui ad Germaniam confinijs præstò esse. Ad æstiuos calores demissos adeò amnes, vt vbique transuadari haud ægrè possint. Posse superatâ Campaniâ in Lutetiam nullo obice castra moueri; subituras intereà victoris legem vrbes in transitu quaslibet, aut numeratâ pecuniâ agri sui deprædationẽ redemptu-

Mansfeldius quis & vnde.

Boüillõ Prince de Sedan.

Quâ spe in Galliam venerit.

Lãguedoc.

Proponitur lucrum & decus.

ras. Expugnanda in momento Lutetiæ pomœria, quorum vel minimo ditentur acies, neque futuram à periculo immunem vrbem ipsam, adscriptis in Mansfeldij militiam Sectarijs quotquot cis Ligerim mentiuntur obsequium; constituras quadraginta ad minimum legionariorum millibus acies, quibus aut coronâ cum Rege partiatur victor; aut si minùs placet aliena inuadere, ingenti pretio victoriâ cedet. afflictorum solamen, publicæque libertatis assertorem vocandum, pacísque, quod immenso honori ducere debeat, Sectarios inter & Regem diribitorem haud immeritò habendum; quando aut propositæ ab eo pacis conditiones, aut subeunda belli pericula.

Describitur Mansfeldij exercitus.

His aut similibus suasus Mansfeldius castra in Galliam mouet. Validus illi exercitus, cui impunitas, prædæque licentia ferro vbique & flammâ latam sternebant viam, vt imperatori, non nisi rapinæ, incendíique stipendijs decem alariorum millia legionariorum totidem militarent. Præfecti legionariorum præ cæteris duo Valmesorius, & Boisinius; alariorum Marchio Durlacius, Iustoüs, Mittæus, Comes Oedemburgensis, Bellimontius Lotharingus, plurésque alij. Primam aciem ductabat Halberstadiensis vir magni apud Germanos nominis, mediam Mansfeldius ipse, vltimam Dux Veinmarius Saxo.

Valmesour. Boisine. Durlac. Iusto. Mitte. Edemburg. Beaumont. Halberstad. Duc de Veinmar.

Ducis Lotharingi ad Reginam codicilli.

His copijs Mansfeldius Lotharingiam, quam in speciem amici transitus subierat, deprædatur; exin Virdunensium, Mediomatricúmque ditiones opimas. Non differtur à Principe Lotharingo Lutetiam

Lorraine. Verdun Metz.

nuntius, quo Regina, Mansfeldij copias Galliæ confinia viginti prædonum millibus diripere monetur; ſpurium caput, inuiſum cœlo, ſolóque hominem nulla clementiâ, nullóque amici aut inimici agri ordine, ferro & flamma vaſtare agros; prædæ, cruori, incendióque aſſuetum Buſiridem inſtare manſuetiſſimæ tota Europâ genti, vnde vehementiùs placidę Gallorum indoli à tyrannicâ incurſione timendum. vaſtatam ab infida gente prouinciæ ſuæ oram; imò niſi oppoſuiſſet valentiores alariorum acies deſperatam ſubditorum ſuorum ſalutem.

Regina primorum conſilium conuocat. His à confœderato Principe monita Regina, militare concilium haud ſegniter conuocat. Nec mora, coïre primores, quos Lutetia tunc, circumiectæque habebant prouinciæ; adeſſe Brulardus Sillerius, vir prudentiâ, magnóque conſiliorum momento exteris æquè notus ac Gallis, qui prouectâ ætate, laboribus, longioríſque viæ incommodis impar, Cancellarium magnâ gloriâ agens, ſigillis tunc ceſſerat; (quamquam bello confecto, redintegratâ pleniùs auctoritate reſtitutum infrà videbimus ex voto Galliæ:) illi adiuncti Ianinus præſes, Duces Niuernenſis, Mombaſonius, Mareſcallus Caſtræus, pluréſque alij. Multa vtrinque agitata; ſatiúſne foret monito Rege inſtruendi exercitus ordinem operiri, an vltrò copias rebus ſic vrgentibus legere? In eámque demũ ſententiam itum, vt retrahendo in Germaniam hoſti, quàm citè inſtruatur exercitus: cui, donec à Rege nuntius, belli præſcripſerit legem, collatis in publicum, priuatorum donis ſtipendia numerabuntur. Renuntiatur exin Niuernenſis, exercitus

Brulard de Sillery. *Ianin.* *Neuers.* *Mombaſon.* *La Chaſtre.*

Præſcribitur belli gerendi formula.

imperator; ad hæc ne muneri suo defuisse viderentur primores, æmulatoriè copias in eam expeditionem destinant. Niuernensis legionariorum octo millia, octingentos alarios, sclopigeros equitantes ducentos. Engolismensis, quinque peditum millia, mille supra ducentos equites, trecentos sclopigeros adequitantes (Carabinos vocant.) Dux Chaunius Picardiæ Legatus quingentos equites, quatuor alariorum millia. Dux Bellegardæus Burgundiæ Rector, peditum cohortes duas, trecentos cataphractos. Longouillanus Normanniæ Prorex, leuis armaturæ alarios ducentos, Matignonij cataphractorum ordinem, octingentósque nullis stipendijs nobiles.

Primoribus distribuuntur munia.

Angoulesme. Chaune. Bellegarde. Lõgueuille. Matignon.

His constabat Regis exercitus, quem aduentare vix castra Mansfeldij peruaserat rumor, cùm dilapsis, rebellantibúsque magnâ ex parte copijs, Galliâ absistere cogitur, vt infrà memorabimus.

Niuernensis exercitus imperator.

Præscripto in eam formam exercitûs ordine; Reginæ iussu Niuernensis in Campaniam citatis equis properat, nec mora Mousoniam arcem, cuius Comes à Magno-Prato præfectus, quam nemo dubitabat, quin Mansfeldius oppugnaturus foret, magnâ operarum contentione firmari iubet, hemicyclis, propugnaculis, præsidio, commeatu.

Mouson. Grand-Pré.

Ad Mansfeldium Oratorem delegat.

Nec multò pòst delegatur ad Mansfeldium orator, qui Niuernensis nomine pacem exposceret; Monteræus (id Oratori nomen erat) plura coram illo præfatus, in hæc verba finem dicendi facit; in procinctu Niuernensi pro Gallo Rege triginta legionariorum millia, quæ centum millibus tumul-

Montereau.

tuariò, nullóque ordine (quales Mansfeldij copiæ) lectis præualerent; vi cogendum agro alieno absistere, si gratis nolit.

Mansfeldius ad hæc; calumnias esse quæcumque in se iactaret inuidia, paratum se vt Regi militaret; rogare tamen perpenderetur, quibus sumptibus ab Alsatià venisset in Galliam, se Palatini legatum viginti hominum millia ductare Boëmici belli reliquias, quibus cõfecto Palatino, à medio iam anni decursu stipendia desint; dari optionem quos, quótque exercitibus suis Rex ascribi velit, quibus militari lege stipendia pendi necessum sit, reliquis in Bataviam præbendæ Ordinibus opi, dono millium aureorum C C. remittendis; futurum se dein Regis Galliæ subditum, si in alienigeno solo haud indignâ remuneratione morari dabitur; natum se Principem, neque adeò abiectæ conditionis, quin Hispanorum immensa in eam causam dona, Venetorum profusam supra quàm dici possit liberalitatem spreuerit; Hispanos odio innato prosequutum, Venetos dedignatum, magno vtrisque animo illusisse; minimum esse quod à Rege exposcat, Marescalli Galliæ præfecturam, opimamque ad Lutetiæ viciniam ditionem, Marchionatus, aut Comitatus titulo.

Habitus oratorem inter & Mansfeldium sermo.

Niuernensis vanâ spei imagine Mansfeldium deludendum ratus, missos ad Regem à se codicillos monere, quibus propositæ conditiones, quæ eius vnius arbitrio stabant, aperirentur; ferro interim abstinendum, præscriptâ donec lege, Regis diplomate amicus imò & Gallus habeatur. Ille trans

Fœdus ad tempus initum.

Mosam ad Lotharingię confinia positis castris commeatum à Niuernensi, exercitui suo fame iam tabido exposcere, quem alioquin morari haud possit, quin parando victui transmeato amne diripiat Galliam. Res ità habet; conuenitur in munitionarios, quos vocant,certo numero panes, qui in dies Mediomatricum vrbe in Mansfeldij castra asportarentur;donec Mediomatrices longioris moræ, & impensę pertęsi negatá annonâ adigunt,vt amne transuadato, etiam inuitus in Galliam castra moueat. La Meuse.

Mousono,arci ad Galliarum limites haud inualidę,admouebantur hostis acies,cùm Marchio Dampetrus, manu expeditâ erumpens, captâ supellectile, sauciatis pluribus, cæsis excursorum sexaginta reliquos in fugam agit. Mouson. Dampierre,

Halberstadius à Mansfeldio deficit.

Hæc inter Dux Brunsuicensis Halberstadius, seu nobiliorem animum prædæ, incendióque accommodare graue erat;seu Mansfeldij dedignabatur imperia, duo alariorum millia, obluctante imperatore in Bataujam ductare parat; ortâque postridie seditione, totidem nullo pręfecto equites castris absistunt, obuia quælibet in prædam, seu victum rapientes. Consternatus ad hæc imperator, nihílque hærens, quin aut initâ coniuratione vniuersus rebellaret exercitus, aut secum rebelles auderent prælium, Comitem à Magno-Prato rogat mutuâ confœderatione paciscerentur. actum ità; datur Dux Veinmarius Saxo in obsidem fidei, octóque tormenta bellica,quę Mousoni,velut in pignus præfectus asseruaret, donec in propositas conditiones Mansfeldium inter & Regem conuentum. Brunsuic Halberstad. Veinmar.

Consaluus

Gonçales de Cordoüa.

Hispanus Gallo auxiliares copias offert.

Consaluus Cordubensis Regis Hispaniarum legatus, qui Mansfeldij premebat vestigia, conseruandis eâ parte Hispani ditionibus, ad Luxemburgensem agrum, Hispani ditionem, non procul à Mansfeldio posuerat castra, cùm auditâ crudelitate, quam prædo nothus in Gallos exercebat confœderationis religione Antonium Contreram ad Niuernensem mittit, qui auxiliaribus copijs oblatis, magnâ Principis gratulatione dimissus est.

D. Antonio Cõtreraz.

Halberstadius ad Mansfeldium redit.

Halberstadius, quem supra rebellantem vidimus, rariore milite quàm vt in Batauiam solus penetraret, renouato fœdere Mansfeldio iungitur: donec desperatis in Galliâ rebus, in discessum, sin mâuis in fugam mutuò conuenitur: retrahendis tamen obsidibus, quos Comiti à Magno-Prato Mousoni præbuerat, addictum se nullis conditionibus Regis obsequio simulare, longiorísque tædio morę paratum, vt dimissis exercitus sui impedimentis, sex feminarũ millibus, ascriptísque Batauorum militię, quos Rex habere noluisset, Cassinam Niuernensis castrum rectà pergeret Proregis imperia subiturus, quoad sibi à Rege formula belli præscriberetur. His suasus Comes, bonâ fide Ducem Veinmarium Saxonem dimittit, tormentáque abduci patitur, quæ Mansfeldius, ne velociùs abeuntem, secundùm viam solo aspero morarentur, Sedani in depositum Duci Buillionio linquit, quæ exin audio sibi iure dominij ab eo vindicata, magè pignus creditæ à se Mansfeldio pecuniæ, quàm depositum asseuerante.

Dilabuntur Germanica acies.

Paulò pôst, plaustris, viæque quibuslibet impedimentis subditur ignis, nulláque ægrorum caritate,

quos rustici dein per agros, & prata, velut pecudes mactabant, absistitur.

Gallus Hispano subsidium offert. Per Hannoniam Batauorum Ordinum subsidio properabat, cùm Consaluus Cordubēsis Iuodio, vbi stabat in armis, ire in occursum statuit. Hæc inter, missi Regio nomine à Niuernensi ad eum Oratores, monent si Gallicis copijs, quæ iam in procinctu erant, Hispanus indiget, paratum Regem vt confœderato Principi subsidium mittat. Vnde laudatus Niuernensis, quòd, ne expectato quidem Regis super eâ re imperio, magnitudine animi ab Hispano, qui iam antè Gallis copias suas obtulerat, vinci noluisset. Atenim fatis vulgò, nullo ordine lætis tristia miscentibus; incruentâ potitus victoriâ Niuernensis, primogeniti sui, Ducis Essuorum, spei maximæ Principis funere in immensum affligitur; qui dum ad quartam ætatis Olympiadem placidè properat, implacidâ malè afflati aëris pestilentiâ finit, cœli intemperiem impuro copiarum Mansfeldij halitui plerisque imputantibus. Malè sit spurio Principi, qui vastatam ad Germaniæ confinia Galliam Principe haud illegitimo viduauit, qui magnę indolis manifesta signa, adhuc in teneris agens, præbuerat sæpius, non indigna Mantuanæ prosapiæ soboles. Hic Mansfeldianæ in Gallia deprædationis exitus, quam Buillionio velut auctori debitam nemo tunc ambigebat; indignâ Gallo in patriam, Regémque suum proditione, cui vltor haud immeritò debeatur. Instructâ dein acie ad Hannoniæ limites Mansfeldium inter & Cōsaluum pugnatū, vbi magnâ vtrinque strage, non probè liquet penès quem victoria steterit. At hæc nihil ad nos.

Hainaut. Iuoy.

Moritur Dux Essuorum.

Rhetelois.

Buillionius proditionis postulatur.

CAPVT III.

EPITOME.

Præsidiarij Rupellani, deficiente stipendio in oppidanos rebellant. Sueßio impigrè imperatorio munere fungitur. ordo exercitus, Castrametatores, præfecti, militum numerus. Pompeij Tragoni opificis Itali acerrimum ad manualia opera ingenium. Crucigalero exercitus Regius Laleum venit. describitur arx Ludouicæa. Erumpit in Regios hostis. Mediâ viâ subitaria claustra excitantur, in vrbem retruditur. Angli à Rebellibus ad Regios deficiunt. desperata Rupellanorum, terrâ marique salus. Theminius Montalbanensem agrum ferro & flammâ vastat, vineas solo æquat. Carmanij in Fuxenses expeditio. Expugnantur Mirabatum, Peiratum, Bastidas Limbrassacúmque Lerani ditiones opimæ. Lerani vxor marito vltimam naufragij tabulam saluam habet. struuntur Castaniaco insidiæ, quas ingenti prælio euadit. commendatur eius, nobiliúmque virtus.



RVPELLANOS terrâ, maríque fatigatos iam in stipendia ærarium, in victum annona deficiebant, quando repentinâ in oppidanos coniuratione conductitijs rebellantibus numerantur de publico tria aureorum millia, adactis triginta oppidanis, vt ea vrbi in mutuum darent, vnde eâ pecuniâ, maritimæque oræ deprædatione substitit aliquandiù classis. *Præsidiari Rupellani in oppidanos rebellant.*

Arx Ludouicea.

Ex aduerso ad continentem nihil muneri suo deerat Suessio Princeps, quinimò Vitrij legati sui prudentiâ, Pompeiíque Tragonis arte mirabili, admotis vrbi aciebus Regijs, arcem in immensū exstruxerat, vnde viginti quatuor tormenta bellica indesinenti displosione tonabant; rem, quę etiamnùm hodie Rupellanis exitio vertat, paulò altiùs repetamus.

Ordo Suessionis exercitus.

Suprà memorauimus, armorum ad Rupellam imperium Suessioni Principi delatum, cui legato Vitrio merebant sex legionariorum millia, sexcenti alarij; peditum Castrametatoribus Auriaco, Seneterrâ, Burguióque Lespinassio, qui vnus, idémque est, contrà quàm à Mercurio scriptum, equitum Marchione Nigellano; cohortibus, Comitis Suessionis quæ prætoriana erat, Campaniæ, Chatelierbarloti, Castribaiardi, Menileti, à sanctâ Gemmâ, San-Viuiani, Baronis Malioti, Valetæi Hierosolymitani equitis, Seneterræ equitis, Ribeiraci, & Vicecomitis Austeli; alariorum ordinibus Reginæ parentis, Reginæ coniugis, Suessionis, Nemoursij, Marescalli Vitrij, Vernolij, Comitis Moreti, San-Lucani, Brassaci. His aderat magni opifex ingenij Pompeius Tragonus Italus, qui inaudito superioribus seculis ausu portus Rupellani ostium, cui milliaris latitudo est, immani catenâ claudebat, nî militari consilio visum satius, terrâ arcem exstruere Rupellæ æmulam, quæ vallo ad ostium ducto (lineam vocant) infesta tormentorum displosione transitum inhiberet.

Auriac. Seneterre. Bourg Lespinasse. Nesle. Charelier-Barlot. Castelbayard. Saincte Géme. Sainct-Viuian. Maliot. Ribeirac. d'Austel Nemours. Verneuil. Moret. Sainct Luc. Brassac.

Pompeius Tragonus magni ingenij opifex.

Pompee Tragon.

Exercitus Laleum ...

Struendæ ex destinatione arci Iarriâ & Crucigalero, vbi diu metauerant acies, Lalæum itur; locus

Iarrie. Croix-Chapeau. Lalcau.

ex aduerso erat, parando commodissimus munimento, maríque claudendo Rupellanis subsidio; pugnatum hîc strenuè, obsistentibus pro virili Rupellanis. Vitrij tamen animo & virtute Lalæum exercitus subit, haud milliari ab vrbe.

Descriptio Ludouicææ arcis. Le fort S. Louis. Designatum exin Rupellam inter & Caput ligneum, ingens munimentum, cui à D. Ludouico inditum nomen, quod superstructis ad latera propugnaculis quatuor, in quadrum assurgens, vallis hinc inde, quà Oceanum spectat, in stadij longitudinem ad littus vsque excauatis; intermedio centum hexapodum spatio, in eam partem porrigebatur Chef de bois. quà Ligneum Caput alluitur mari; vbi propugnaculum ingenti item mole excitatum infestâ colubrinarum displosione prohibebat naues à portu.

Erumpit hostis. Rupellani, quibus arce Ludouicæâ prærepta libertas, præcipiti Iulio sexcentos legionarios, quadraginta alarios in eam emittunt, stipabant plaustra pleraque, nempe struendis tumultuariò claustris, vbi Regij fortiores erumperent. Munimentis, nullâ Regiorum displosione aduoluti, hærere in vestigio primùm, anxij quid tam alta silentia augurarentur; Maliot. dein Malioto qui agebat excubias inhibente maiore quàm antè silentio displosionem, pedem tantisper referre, insidiarum metu, donec Suessio phalange instructissimâ adfuit. Ad hæc impares Rupellani, plaustra quibus tegebantur opponere Regijs, *Claustra tumultuariò excitat.* claustra, quæ moles tignorum importuna, interiectę trabes, hastatíque ad angulos faciebant imperuia; quò tamen infestâ tormentorum in eam partem ab vrbe collimatorum displosione peterentur Regij;

effugium simulant, rati vbi pedem referrent sequuturos magnâ contentione Regios: atenim Comes Auriacus fraude agnitâ in aliam partẽ acies ductat, displosáque tempore eodem tormenta ab vrbe, nauibúsque XX. si lixam eximis vnum, qui miserè discerptus est, nihil Regijs damni intulere; plerisque oppidanorum, Suessionis muralibus machinis, quas in fugientes collimarat cæsis, aut sauciatis: quâ die memorant Suessionem admotis propiùs loco oportuno tormentis, quadraginta in vrbis ædes ictus, magnâ ruinâ displosisse, quod Rupellanis, qui se paulò antè terræ, marísque dominos gloriabantur dedecori vertit, Suessioni, Regiísque armis honori.

In vrbem retruditur.

Postridie Anglorum delecta manus in speciem eruptionis, præmisso Oratore, Suessionis tabernaculum subit, pacémque orat; paratos se, vt gratis Regi militarent, qui Rupellæ inediâ tabescebant, fame extinguebantur. Suessio habitis amicè gratijs nihil indigere alieno subsidio Regem, qui sternẽdis hostibus plus ęquo sit fortior datur exin transfugis Nannetes vsque commeatus, vnde in Angliam Nantes soluunt. Rupellani vbi agnitum dilapsos Anglos, eorum præfectum ignarum effugij, non aliâ causæ cognitione agunt in vincula, rati proditionis auctorem, qui patibulo dein suffectus, an fuerit dimissus, non probè liquet.

Anglorum manus à Rupellanis deficit.

Hic Rupellanorum ad ineuntem Autumnum status, quibus annona, lignúmque intercluso Regiorum nauigijs portu, arcéque Ludouici inhibente transitum, adeò deerant; vt in singulos dies stipendiaria annona vnciatim militi distribueretur;

Afflicti terrâ mari que Rupellani.

rari præſidiariorum ordines,oppidaníque, pars nuperâ ad Olonias arenas clade cęſis,pars ſauciatis,aut ægris, nihil vrbi virium ſuperabat præter nauigia centum,quæ milite, bellicíſque tormentis ex æquo inſtructa infeſtabant maritimam plagam, quamquam ſuas illis fortuna vices,bello iam penitùs confecto, rependet infrà.

Theminius agros Mõtalbanenſiũ vaſtat.

Intereà ad Aquitaniam vlteriorem Mareſcallus Theminius opima,ingentíſque ſpei Montalbanenſium vineta depopulatur, non alio ſubſidio, quàm lectis tumultuariò vrbium circumiacentium copijs, ſi Meruillij alariorum, Toloſæ quem Mollierius ductabat legionariorum ordines eximis,cataphractóſque centum,qui prouinciarum Proprętores bello vt plurimum ſtipant. Conſtabat tribus circiter legionariorum millibus exercitus,cùm mille ruſtici, totidémque exercitus lixę, perticis, falcibúſque pręgrandibus, poſt admotas non vrbe procul acies, ad Montalbanenſium conſpectum iubentur ſolo ęquare vineas,dum miles ex aduerſo ſtabat in armis. Mombrunus,quem ſuprà pręfectum vrbi memorauimus, duobus pręſidiariorum millibus ire in occurſum, ratus opprimi poſſe militem,vinearum depopulationi intentum ; atenim ſpem fefellit euentus: quippe commiſſo eo munere ruſticis, lixíſque vt ſuprà dictum, in quadra agmina diuiſus miles in veſtigio pręſtolabatur hoſtem,quo factũ, vt Mombrunus haud ſegniter retulerit pedem. Ad hęc Regij nobiles Meruillius, Arpajonus, Ialenqus,pluréſque quos ductabat Theminius ipſe, pręlij æſtu in hoſtem ferri, collatíſque leuiter ſignis ad ſuos in

Meruille. *Lamoliere.* *Vineta diripit.* *Magna imperatoris audacia.* *Arpajõ.* *Ialenques.*

circulum regredi, tentato ad fastum magè prælio, vano gloriolæ apparatu, quàm inferendo hostibus damno, quod Gallis inueterati moris est, plerumque contra militiæ disciplinam.

Hostis etiã Regiis fortiter non ausus prælium.

Posterâ die, collatis trans fluuium signis, leui obice, æquantur solo ingenti operarum contentione vineta, quod Mombruno supra fidem dedecori vertit, quem nemo dubitabat posse (si quid habuisset ingenui) æquo Marte cum Regijs manum conserere, haud dispari præsidiariorum, ciuiúmque Montalbanensium numero, vrbísque viciniâ, quæ fusis asylum pollicebatur; victoribus promptum ad captiuos, prędámque transmittendam receptaculū. Enimverò ne tentatâ quidem ab hoste velitationis aleâ vastatis, direptísque vineis Theminius victor ingenti populi acclamatione loco absistit; vnde magnum sibi promeruit nomen.

In Fuxenses expeditio. *Carmain.* *Leran.*

Dum ad Rupellã, Montalbanúmque hæc ità geruntur, Comes Carmanius, Fuxensis prouinciæ prętor, duobus circiter legionariorum millibus, cataphractis centum, Fuxensium oram diripiebat, maximè Baronis Lerani Sectariorum eâ prouincia Rebellium imperatoris, cuius prædia, opimásque ditiones Fuxensis ager habet, priuatorum id odijs gestum, an in publicum amore, liberandæ scilicet à tyrannica dominatione prouinciæ, incertum.

Instruuntur Carmanio imperatore acies. *La Roque. Dolmés* *Leuis de Mirepois.*

Ineunte Iunio ad Rupem Vlmeti conuenerant cataphracti centum, mille supra quingentos legionarij, quibus exin adscripti prouincialium plures: coïerant item eôdem loci Leuius Mirapiscensis Marchio, Lerano gentilis, fratérque ex sorore, Baro

Chalabræus

Chalabræus prosapiâ, animíque magnitudine illustris, indigenæque nobiles, quibus Mirapiscensis Episcopus, procurandæ militi annonæ adiunctus.

Mirabat. Habito districtè consilio placitum in Mirabatum castra moueri: arx ea ad Fuxensium confinia, Leraneæ ditionis erat. Primam aciem ductabat Baro Chalabræus Castrametator: nec diu cunctatum, cùm admotæ acies muris, dato oppugnationis signo irrumpunt; pugnatum hîc diù, seu præsidiariorum pertinaciâ, seu quòd nullâ tormentorum displosione præuiâ, muri ægrè ascensione superabantur: attamen inclinatâ in vesperam nocte expugnatur Castrum, nullâque misericordiâ ad internecionem cadunt Rebelles; nec priùs loco ceditur, quàm subditus ignis æquasset solo arcẽ, circumiectásq; domos. *Mirabatum expugnatur.*

Le Peirat. Paulò pòst in Peiratum Lerani item Castrum signa conuerti placuit; at arduum opus murali tormento destitutis Regijs; neque enim sperari expugnatio poterat, nisi aut consternatis indesinenti displosione præsidiarijs, aut editâ quantùm satis foret oppugnantibus intromittendis ruinâ. Nemine tamen obsistente, suburbium, positæque circum ædes, Lerani feuda diripiuntur; donec tormentis quæ breui adfutura sperabantur, vrbem ipsúmque Castrũ expugnare daretur. Exin Castaniaco, Sectariorum ad Fuxensem agrum flagello, vastandi Apamiarum, Sauerduni, Maserensísque agri munus incumbit, quod postquam magnâ Rebellium iacturâ factum, Allemanicam arcem nuper à Barone Lerano interceptam minoris modi tormento expugnat. *Castaniacus agrum Rebellium vastat.* Pamies. Sauerdun. Maseres. Le fort des Alemans.

Præcipiti Augusto, aucto nouis delectibus Carmanij exercitu tribus peditum millibus, centum quinquaginta alarijs, centum sclopigeris adequitantibus, procuratis Castro-Nouo-Arrij tormentis duobus, militiæ præfectis Marchione Mirapiscensi, Chalabræo, Viuario; Baccio, Castaniaco, Dalono, Bastidæóque, in Peiratum expeditio indicitur, plerisque priuatorum, vt suprà attigi, odio impulantibus, quòd Leranus vnus eâ expeditione petebatur. Infeliciùs muris admotæ acies: quippe Baro Marqueinius, Brossæúsque nobiles, præsidiarijs indesinenti displosione propulsantibus Regios, plumbo cadunt; vnde irâ incensus miles, non expectatâ ex æquo ruinâ, postridie eâ contentione vrbem, Castrúmque adpugnat, vt irrito præsidiariorum conamine, expugnatis, post cæsos ad internecionem Rebelles, reliqua sibi addixerit ignis.

Peiratum à Regijs expugnatur.

Le Viuié. Bacs. Dalou. La Bastide.

Marquein. La Brosse.

Non procul inde, commercio prę cęteris florens vrbecula, diues opum, Bastidam appellabant, eiusdē Lerani feudum nobile: illuc quoque motis castris, leuiori prælio expugnatur; nisi quòd Daloni frater ad primos accessus occumbit, neque pręsidiarijs parcitur neque vrbi; illi ferro vltore cadunt, hęc flãmâ.

Capitur Bastida.

La Bastide.

Kal. Septemb. ridente tam blandùm fortunâ, Limbressacum, haud inualidum eiusdem Lerani castrũ tentari placuit; arx prętерquàm quòd genio loci fortis, munimentis, pręsidióque firmata, vt positum suprà Carmanij vires facinus crederetur. Agnoscendis de more muniminibus, pręmissus Catellus eques plumbo ad tibiam vulneratur. Nec mora, admoueri non procul acies, produci valla, donec tertio à prima

Limbressacum obsidetur.

Limbressac.

Catel.

obsidione die, disiectis hemicycli muniminibus, Castaneto præfecto eius oppugnatio demandatur; manus vtrinque conseritur strenuè, donec victus Regiorum numero & audaciâ, hostis in vrbem retruditur.

Castanet.

Posterâ die, indictâ oppugnatione, per auia dilapsi Rebelles, vrbem suam victoris arbitrio linquunt, quam, nihil dispari reliquis fato, absorbet flamma, vix residuis hodie Castrorum vrbiúmque vestigijs.

Urbs ab hoste deserta.

Hæc inter, Sectariorum infortunatissimus Leranus, qui Fuxensis prouinciæ Comitiorum Rupellanorum nomine, prætorem agebat, Maseresij, lugebat Castrorum suorum ruinam, eâ, vt aiunt, Rebellium mali erga imperatorem suum animi demonstratione, vt nihil in debacchantes eâ expeditione Regios tentarint, seu inuiso illis Lerano, seu quòd mâlim merâ impotentiâ.

Iam Carmanij, Regiorúmque nobilium virtus, eò Lerani fortunam deduxerant, vt ex amplo patrimonio vna illi Leranea domus superesset; cùm indictâ vltimùm in eam expeditione, victori in occursum venit Leuiensis Leranea Marchionis Mirapiscensis soror, rogátque afflicto, fragilíque sexui bella ne inferat, sat vindictæ, sat gloriȩ, sat decori Regio datum, nihilóque minùs futurum victorem, qui prostrato viro vxori pepercerit, Catholicam se, eiúsque familiæ, quæ magnum in prouinciâ nomen sortiatur; fratrem habere, cuius à Carmanio, in prouinciâ, auctoritati & nomini debitum victoriæ decus haud immerito dici possit. crudelem illum nî

Lerani vxor salutē illi Leraneum castrū præstiat.

Eius ad Carmaniū oratio supplex.

quos rustici dein per agros, & prata, velut pecudes mactabant, absistitur.

Gallus Hispano subsidium offert.

Per Hannoniam Batauorum Ordinum subsidio properabat, cùm Consaluus Cordubẽsis Iuodio, vbi stabat in armis, ire in occursum statuit. Hæc inter, missi Regio nomine à Niuernensi ad eum Oratores, monent si Gallicis copijs, quæ iam in procinctu erant, Hispanus indiget, paratum Regem vt confœderato Principi subsidium mittat. Vnde laudatus Niuernensis, quòd, ne expectato quidem Regis super eâ re imperio, magnitudine animi ab Hispano, qui iam antè Gallis copias suas obtulerat, vinci noluisset. Atenim fatis vulgò, nullo ordine lætis tristia miscentibus; incruentâ potitus victoriâ Niuernensis, primogeniti sui, Ducis Essuorum, spei maximæ Principis funere in immensum affligitur; quidum ad quartam ætatis Olympiadem placidè properat, implacidà malè afflati aëris pestilentiâ finit, cœli intemperiem impuro copiarum Mansfeldij halitui plerisque imputantibus. Malè sit spurio Principi, qui vastatam ad Germaniæ confinia Galliam Principe haud illegitimo viduauit, qui magnę indolis manifesta signa, adhuc in teneris agens, præbuerat sæpius, non indigna Mantuanæ prosapiæ soboles. Hic Mansfeldianæ in Gallia deprædationis exitus, quam Buillionio velut auctori debitam nemo tunc ambigebat; indignâ Gallo in patriam, Regémque suum proditione, cui vltor haud immeritò debeatur. Instructâ dein acie ad Hannoniæ limites Mansfeldium inter & Cõsaluum pugnatũ, vbi magnâ vtrinque strage, non probè liquet penès quem victoria steterit. At hæc nihil ad nos.

Hainaut. Iuoy.

Moritur Dux Essuorum.

Rhetelois.

Buillionius proditionis postulatur.

CAPVT III.

EPITOME.

Præsidiarij Rupellani, deficiente stipendio in oppidanos rebellant. Suessio impigrè imperatorio munere fungitur. ordo exercitus, Castrametatores, præfecti, militum numerus. Pompeij Tragoni opificis Itali acerrimum ad manualia opera ingenium. Crucigalero exercitus Regius Lalæum venit. describitur arx Ludouicæa. Erumpit in Regios hostis. Mediâ viâ subitaria claustra excitantur, in vrbem retruditur. Angli à Rebellibus ad Regios deficiunt. desperata Rupellanorum, terrâ marique salus. Theminius Montalbanensem agrum ferro & flammâ vastat, vineas solo æquat. Carmanij in Fuxenses expeditio. Expugnantur Mirabatum, Peiratum, Bastidas, Limbrassacúmque Lerani ditiones opimæ. Lerani vxor marito vltimam naufragij tabulam saluam habet. struuntur Castaniaco insidiæ, quas ingenti prælio euadit. commendatur eius, nobiliúmque virtus.



VPELIANOS terrâ, maríque fatigatos iam in stipendia ærarium, in victum annona deficiebant, quando repentinâ in oppidanos coniuratione conductitijs rebellantibus. numerantur de publico tria aureorum millia, adactis triginta oppidanis, vt ea vrbi in mutuum darent, vnde eâ pecuniâ, maritimæque oræ deprædatione substitit aliquandiù classis. *Præsidiarij Rupellani in oppidanos rebellant.*

Ex aduerso ad continentem nihil muneri suo deerat Suessio Princeps, quinimò Vitrij legati sui prudentiâ, Pompeiíque Tragonis arte mirabili, admotis vrbi aciebus Regijs, arcem in immensũ exstruxerat, vnde viginti quatuor tormenta bellica indesinenti displosione tonabant; rem, quę etiamnùm hodie Rupellanis exitio vertat, paulò altiùs repetamus.

Arx Ludouicaa.

Suprà memorauimus, armorum ad Rupellam imperium Suessioni Principi delatum, cui legato Vitrio merebant sex legionariorum millia, sexcenti alarij; peditum Castrametatoribus Auriaco, Seneterrâ, Burguióque Lespinassio, qui vnus, idémque est, contrà quàm à Mercurio scriptum, equitum Marchione Nigellano; cohortibus, Comitis Suessionis quæ prætoriana erat, Campaniæ, Chatelierbarloti, Castribaiardi, Menileti, à sanctâ Gemmâ, San-Viuiani, Baronis Malioti, Valetæi Hierosolymitani equitis, Seneterræ equitis, Ribeiraci, & Vicecomitis Austeli; alariorum ordinibus Reginæ parentis, Reginæ coniugis, Suessionis, Nemoursij, Marescalli Vitrij, Vernolij, Comitis Moreti, San-Lucani, Brassaci. His aderat magni opifex ingenij Pompeius Tragonus Italus, qui inaudito superioribus seculis ausu portus Rupellani ostium, cui milliaris latitudo est, immani catenâ claudebat, nî militari consilio visum satius, terrâ arcem exstruere Rupellæ æmulam, quæ vallo ad ostium ducto (lineam vocant) infesta tormentorum displosione transitum inhiberet.

Ordo Suessionis exercitus.

Auriac. Seneterre. Bourg Lespinasse. Nesle. Chatelierbarlot. Castelbayard. Saincte Géme. Sainct-Viuian. Maliot. Ribeirac. d'Austel Nemours. Verneuil. Moret. Sainct Luc. Brassac. Pompee Tragon.

Pompeius Tragonus magni ingenij opifex.

Struendæ ex destinatione arci Iarriâ & Crucigalero, vbi diu metauerant acies, Lalæum itur; locus

Exercitus Laleum venit.

Iarrie. Croix-Chapeau. Laleau.

ex aduerso erat, parando commodissimus munimento, marique claudendo Rupellanis subsidio; pugnatum hic strenuè, obsistentibus pro virili Rupellanis. Vitrij tamen animo & virtute Lalæum exercitus subit, haud milliari ab vrbe.

Descriptio Ludouicææ arcis. Le fort S. Louis. Designatum exin Rupellam inter & Caput ligneum, ingens munimentum, cui à D. Ludouico inditum nomen, quod superstructis ad latera propugnaculis quatuor, in quadrum assurgens, vallis hinc inde, quà Oceanum spectat, in stadij longitudinem ad littus vsque excauatis; intermedio centum hexapodum spatio, in eam partem porrigebatur Chef de bois. quà Ligneum Caput alluitur mari; vbi propugnaculum ingenti item mole excitatum infestâ colubrinarum displosione prohibebat naues à portu.

Erumpit hostis. Rupellani, quibus arce Ludouicæâ prærepta libertas, præcipiti Iulio sexcentos legionarios, quadraginta alarios in eam emittunt, stipabant plaustra pleraque, nempe struendis tumultuariò claustris, vbi Regij fortiores erumperent. Munimentis, nullâ Regiorum displosione aduoluti, hærere in vestigio primùm, anxij quid tam alta silentia augurarentur; Maliot. dein Malioto qui agebat excubias inhibente maiore quàm antè silentio displosionem, pedem tantisper referre, insidiarum metu, donec Suessio phalange instructissimâ adfuit. Ad hæc impares Rupellani, plaustra quibus tegebantur opponere Regijs, *Claustra tumultuariò excitat.* claustra, quæ moles tignorum importuna, interiectę trabes, hastatique ad angulos faciebant imperuia; quò tamen infestâ tormentorum in eam partem ab vrbe collimatorum displosione peterentur Regij;

effugium ſimulant, rati vbi pedem referrent ſequuturos magnâ contentione Regios: atenim Comes Auriacus fraude agnitâ in aliam partẽ acies ductat, diſploſâque tempore eodem tormenta ab vrbe, nauibúſque XX. ſi lixam eximis vnum, qui miſerè diſcerptus eſt, nihil Regijs damni intulere; pleriſque oppidanorum, Sueſſionis muralibus machinis, quas in fugientes collimarat cæſis, aut ſauciatis: quâ die memorant Sueſſionem admotis propiùs loco opor- *In vrbem retruditur.* tuno tormentis, quadraginta in vrbis ædes ictus, magnâ ruinâ diſploſiſſe, quod Rupellanis, qui ſe paulò antè terræ, maríſque dominos gloriabantur dedecori vertit, Sueſſioni, Regiíſque armis honori.

Anglorum manus à Rupellanis deficit. Poſtridie Anglorum delecta manus in ſpeciem eruptionis, præmiſſo Oratore, Sueſſionis tabernaculum ſubit, pacémque orat; paratos ſe, vt gratis Regi militarent, qui Rupellæ inediâ tabeſcebant, fame extinguebantur. Sueſſio habitis amicè gratijs nihil indigere alieno ſubſidio Regem, qui ſternẽdis hoſtibus plus çquo ſit fortior datur exin transfugis Nannetes vſque commeatus, vnde in Angliam Nantes ſoluunt. Rupellani vbi agnitum dilapſos Anglos, eorum præfectum ignarum effugij, non aliâ cauſæ cognitione agunt in vincula, rati proditionis auctorem, qui patibulo dein ſuffectus, an fuerit dimiſſus, non probè liquet.

Afflicti terrâ marique Rupellani. Hic Rupellanorum ad ineuntem Autumnum ſtatus, quibus annona, lignúmque intercluſo Regiorum nauigijs portu, arcéque Ludouici inhibente tranſitum, adeò deerant; vt in ſingulos dies ſtipendiaria annona vnciatim militi diſtribueretur;

rari præſidiariorum ordines, oppidaníque, pars nuperâ ad Olonias arenas clade cęſis, pars ſauciatis, aut ægris, nihil vrbi virium ſuperabat præter nauigia centum, quæ milite, bellicíſque tormentis ex æquo inſtructa infeſtabant maritimam plagam, quamquam ſuas illis fortuna vices, bello iam penitùs confecto, rependet infrà.

Theminius agros Mōtalbanenſiū vaſtat.

Intereà ad Aquitaniam vlteriorem Mareſcallus Theminius opima, ingentíſque ſpei Montalbanenſium vineta depopulatur, non alio ſubſidio, quàm lectis tumultuariò vrbium circumiacentium copijs, ſi Meruillij alariorum, Toloſæ quem Mollierius ductabat legionariorum ordines eximis, cataphractóſque centum, qui prouinciarum Proprętores bello vt plurimum ſtipant. Conſtabat tribus circiter legionariorum millibus exercitus, cùm mille ruſtici, totidémque exercitus lixę, perticis, falcibúſque pręgrandibus, poſt admotas non vrbe procul acies, ad Montalbanenſium conſpectum iubentur ſolo ęquare vineas, dum miles ex aduerſo ſtabat in armis. Mombrunus, quem ſuprà pręfectum vrbi memorauimus, duobus pręſidiariorum millibus ire in occurſum, ratus opprimi poſſe militem, vinearum depopulationi intentum; atenim ſpem fefellit euentus: quippe commiſſo eo munere ruſticis, lixíſque vt ſuprà dictum, in quadra agmina diuiſus miles in veſtigio pręſtolabatur hoſtem, quo factū, vt Mombrunus haud ſegniter retulerit pedem. Ad hęc Regij nobiles Meruillius, Arpajonus, Ialenqus, pluréſque quos ductabat Theminius ipſe, pręlij æſtu in hoſtem ferri, collatíſque leuiter ſignis ad ſuos in

Meruille. Lamoliere.

Vineta diripit.

Arpajō. Ialenques.

Magna imperatoris audacia.

circulum regredi, tentato ad fastum magè prælio, vano gloriolæ apparatu, quàm inferendo hostibus damno, quod Gallis inueterati moris est, plerumque contra militiæ disciplinam.

Hostiū etiā Regiis fortior non ausus prælium.

Posterâ die, collatis trans fluuium signis, leui obice, æquantur solo ingenti operarum contentione vineta, quod Mombruno supra fidem dedecori vertit, quem nemo dubitabat posse (si quid habuisset ingenui) æquo Marte cum Regijs manum conserere, haud dispari præsidiariorum, ciuiúmque Montalbanensium numero, vrbísque viciniâ, quæ fusis asylum pollicebatur; victoribus promptum ad captiuos, prędámque transmittendam receptaculū. Enimverò ne tentatâ quidem ab hoste velitationis aleâ vastatis, direptísque vineis Theminius victor ingenti populi acclamatione loco absistit; vnde magnum sibi promeruit nomen.

In Fuxenses expeditio. — Carmain. — Leran.

Dum ad Rupellā, Montalbanúmque hæc ità geruntur, Comes Carmanius, Fuxensis prouinciæ prętor, duobus circiter legionariorum millibus, cataphractis centum, Fuxensium oram diripiebat, maximè Baronis Lerani Sectariorum eâ prouincia Rebellium imperatoris, cuius prædia, opimásque ditiones Fuxensis ager habet, priuatorum id odijs gestum, an in publicum amore, liberandæ scilicet à tyrannica dominatione prouinciæ, incertum.

Instruuntur Carmanio imperatore acies. — La Roque. Dolmés — Leuis de Mirepois.

Ineunte Iunio ad Rupem Vlmeti conuenerant cataphracti centum, mille supra quingentos legionarij, quibus exin adscripti prouincialium plures: coïerant item eôdem loci Leuius Mirapiscensis Marchio, Lerano gentilis, fratérque ex sorore, Baro

Chalabræus

Chalabræus prosapiâ, animíque magnitudine illustris, indigenæque nobiles, quibus Mirapiscensis Episcopus, procurandæ militi annonæ adiunctus.

Mirabat. Habito districtè consilio placitum in Mirabatum castra moueri: arx ea ad Fuxensium confinia, Leranæ ditionis erat. Primam aciem ductabat Baro Chalabræus Castrametator: nec diu cunctatum, cùm admotæ acies muris, dato oppugnationis signo irrumpunt; pugnatum hîc diù, seu præsidiariorum pertinaciâ, seu quòd nullâ tormentorum displosione præuiâ, muri ægrè ascensione superabantur: attamen inclinatâ in vesperam nocte expugnatur Castrum, nullâque misericordiâ ad internecionem cadunt Rebelles; nec priùs loco ceditur, quàm subditus ignis ęquasset solo arcē, circumiectásq; domos. *Mirabatum expugnatur.*

Le Peirat. Paulò pòst in Peiratum Lerani item Castrum signa conuerti placuit; at arduum opus murali tormento destitutis Regijs; neque enim sperari expugnatio poterat, nisi aut consternatis indesinenti displosione præsidiarijs, aut editâ quantùm satis foret oppugnantibus intromittendis ruinâ. Nemine tamen obsistente, suburbium, positæque circum ædes, Lerani feuda diripiuntur; donec tormentis quæ breui adfutura sperabantur, vrbem ipsúmque Castrū expugnare daretur. Exin Castaniaco, Sectariorum ad Fuxensem agrum flagello, vastandi Apamiarum, Sauerduni, Maserensísque agri munus incumbit, quod postquam magnâ Rebellium iacturâ factum, Allemanicam arcem nuper à Barone Lerano interceptam minoris modi tormento expugnat. *Castaniacus agrum Rebellium vastat.* Pamies. Sauerdun. Maseres. Le fort des Alemans.

Præcipiti Augusto, aucto nouis delectibus Carmanij exercitu tribus peditum millibus, centum quinquaginta alarijs, centum sclopigeris adequitantibus, procuratis Castro-Nouo-Arrij tormentis duobus, militiæ præfectis Marchione Mirapiscensi, Chalabræo, Viuario; Baccio, Castaniaco, Dalono, Bastidæóque, in Peiratum expeditio indicitur, plerisque priuatorum, vt suprà attigi, odio imputantibus, quòd Leranus vnus eâ expeditione petebatur. Infeliciùs muris admotæ acies: quippe Baro Marqueinius, Brossæúsque nobiles, præsidiarijs indesinenti displosione propulsantibus Regios, plumbo cadunt; vnde irâ incensus miles, non expectatâ ex æquo ruinâ, postridie eâ contentione vrbem, Castrúmque adpugnat, vt irrito præsidiariorum conamine, expugnatis, post cæsos ad internecionem Rebelles, reliqua sibi addixerit ignis.

Peiratum à Regijs expugnatur.

Le Viuié. Bacs. Dalou. La Bastide. Marquein. La Brosse.

Non procul inde, commercio prę cęteris florens vrbecula, diues opum, Bastidam appellabant, eiusdē Lerani feudum nobile: illuc quoque motis castris, leuiori prælio expugnatur; nisi quòd Daloni frater ad primos accessus occumbit, neque pręsidiarijs parcitur neque vrbi; illi ferro vltore cadunt, hęc flāmâ.

Capitur Bastida.

La Bastide.

Kal. Septemb. ridente tam blandùm fortunâ, Limbressacum, haud inualidum eiusdem Lerani castrū tentari placuit; arx pręterquàm quòd genio loci fortis, munimentis, pręsidióque firmata, vt positum suprà Carmanij vires facinus crederetur. Agnoscendis de more muniminibus, pręmissus Catellus eques plumbo ad tibiam vulneratur. Nec mora, admoueri non procul acies, produci valla, donec tertio à prima

Limbressacum obsidetur.

Limbressac. Catel.

obſidione die, diſiectis hemicycli muniminibus, Caſtaneto præfecto eius oppugnatio demandatur; manus vtrinque conſeritur ſtrenuè, donec victus Regiorum numero & audaciâ, hoſtis in vrbem retruditur.

Caſtanet.

Poſterâ die, indictâ oppugnatione, per auia dilapſi Rebelles, vrbem ſuam victoris arbitrio linquunt, quam, nihil diſpari reliquis fato, abſorbet flamma, vix reſiduis hodie Caſtrorum vrbiúmque veſtigijs.

Vrbs ab hoſte deſeritur.

Hæc inter, Sectariorum infortunatiſſimus Leranus, qui Fuxenſis prouinciæ Comitiorum Rupellanorum nomine, prætorem agebat, Maſereſij, lugebat Caſtrorum ſuorum ruinam, eâ, vt aiunt, Rebellium mali erga imperatorem ſuum animi demonſtratione, vt nihil in debacchantes eâ expeditione Regios tentarint, ſeu inuiſo illis Lerano, ſeu quòd mâlim merâ impotentiâ.

Iam Carmanij, Regiorúmque nobilium virtus, eò Lerani fortunam deduxerant, vt ex amplo patrimonio vna illi Leranea domus ſupereſſet; cùm indictâ vltimùm in eam expeditione, victori in occurſum venit Leuienſis Leranea Marchionis Mirapiſcenſis ſoror, rogátque afflicto, fragilíque ſexui bella ne inferat, ſat vindictæ, ſat glorię, ſat decori Regio datum, nihilóque minùs futurum victorem, qui proſtrato viro vxori pepercerit, Catholicam ſe, eiúſque familiæ, quæ magnum in prouinciâ nomen ſortiatur; fratrem habere, cuius à Carmanio, in prouinciâ, auctoritati & nomini debitum victoriæ decus haud immerito dici poſſit. crudelem illum nî

Lerani vxor ſalutē illi Leraneum caſtrū præſtat.

Eius ad Carmaniū oratio ſupplex.

ſaluti ſororis, agnatorúmque proſpectum velit. minimum eſſe quod flagitet, captas Leraneæ ditionis vrbes quatuor, deletos ad vnum oppidanos, vaſtatos ferro & flammâ agros, direptam domini, ſubditorúmque ſupellectilem, ne ipſa quidem priſtinæ dignitatis veſtigia ſupereſſe, perijſſe coniugi ſuo omnia, in ęternum ſeu priuatorum, ſeu Regiæ vindictæ monimentum; petere id vnum ſibi innocenti & Catholicæ viuere liceat, quę nec factionibus Sectariorum ſubſcripſerit antè, nec ſuum poſthàc Rebellioni ſuffragium datura ſit. Nihil nobiliſſimæ olim familiæ, nihil ab vniuerſa ruina reſidui eſſe ſupra Leraneum Caſtrum, quod ſibi à coniuge commiſſum, lubens Regi cedat, ſi prædæ, incendióque parcitur. Ad hæc Carmanius vir manſuetæ indolis; comitate erga ſexum vrbanâ; Subſcribere ſe, inquit, ſupplicibus votis, Caſtrúmque Sectarij in Regem ſuum perduellis, Catholicæ coniugi concedere dum promiſſis ſtaret; quamquam collata indebito, vt videbatur tempore, in feminam gratia, illi ſtolido populi iudicio in peius vertit.

Struuntur Caſtaniaco inſidiæ. Leuibus velitationibus exacto Septembri, Lerani animum tandem aliquando vindictæ ardor ſubit. Alariorum Carmanij ordo, præfecto Caſtaniaco, eo furore vaſtabat Fuxenſium Sectariorũ agros, vt æſtiuâ ſibi meſſe pręreptâ, ſpem omnem autumnalis exuerent: cùm operę pretiũ militari cõſilio viſum inſidijs tentare fortunã, quę ſe aperto Marte tã pertinaciter prodebat auerſam; nec mora vocatis Apamiarũ, Sauerduni, Reuelli, Maſereſij, circumiectarũmq; vrbium ſtationarijs, ſexcentos pedites, alarios centũ & *Reuel.*

Belpech Môtaut quinquaginta legunt; auditóque Castaniaci alarios in procinctu esse, vt Bellipodio Altimontium irent; syluis amne medio interiectis, insidias locant.

Soluebatur intereà Castaniaci agmen, seu diludia quærentibus alarijs, longiore iam expeditione fatigatis, seu priuatim ità suadebant res cuiusque familiares; Mauræus iam appetente luce abscesserat, Bastidæus receptui in domum suam canebat, conscenderátque equum, cùm affertur, expeditam alariorum turmam non procul Regiorum diripere ædes. Castaniacus nihil de insidijs cogitans, Baccium fratrem decem alarijs, sclopigerísque equitantibus quatuor, iubet instare hosti; donec ipse reliquum agmen in prælium ordinasset. Baccium sequitur delecta manus, quæ vix in conspectum venerat cùm hostis fugam adornare, sequi laxioribus habenis Baccius, premere non procul fratris vestigia Castaniacus frater, quem triginta circiter alarij stipant; atenim insidijs vndique circumuoluto Baccio nihil damni illatum, datúsque liber transitus nullo obice, eo nempe insidiatoribus animo, vt Castaniacus, cuius vnum caput petebatur, frequentiorésque cum eo alarij sequuti Baccium in casses inciderent; nec spem fefellit euentus. Castaniacum circumsistunt quingenti legionarij, centum quinquaginta alarij; vt à tergo, à fronte, ad latus, vtrinque incumberet hostis. Ille nihil despondens animum, suos primùm hortari fortiter capesserent prælium, nec nisi fugiendo Parthorum more dimicarent: quia tamen premebat acriter hostis, identidem actis in gyrum equis redibant in hostem, leuí-

Alliciendis in prælium Regius præmissi ab hoste alarij.

Maure. La Bastide.

Bacs.

Castaniacus in insidias incautus euadit.

que conamine morabantur, donec iterum laxioribus habenis in fugam prorumperent: nunquam audaciùs tam iniqua prælij lege à triginta alarijs, in septingentos pugnatum, cęditur Monsclusius Meruillaneæ familiæ strenuus eques, qui vix adoleuerat, Aulixius, Peirerianus veteranos inter vir magni nominis, metationúmque in eo equitum ordine procurator. Laudem partæ in fuga victorię promeruit sibi Castaniacus, cuius ijs expeditionibus virtutem, si dixero ipsis historiarum veteribus monimentis, quæ portento fabulas sapiunt, exemplo carere, vix condignam heroï rependero laudem. Commendatus item Carrieranus Tolosas, Bastidæus, meliùs dixerim vno verbo laudatos omnes, qui, nî obstitisset virtus plusquàm heroïca, vitam exempto nemine, in armis posuisse debuerant.

Monclus. Aulix. Lapeirriere.

Commendantur ea expeditione Castaniacus, nobilésque.

Carriere.

Retractis ab hoste in Bellipodium Regijs, tympanis sonantibus, expasísque signis in Maseresium perduelles se recipiebant, cùm Baccius, Castaniaci excursorum ductor, retrusis in vrbem Rebellibus quos insectatus diu fuerat, equis sudore madentibus, defectísque redit; nec diu cùm detectis septem hostium signis, regredi inglorium, progredi temerarium ducens, nullo in speciem timore in vestigio hęret; atenim fuga exitialis erat fessis equis, neque alia in promptu via, nisi quę Maseresium ductabat. Ad hæc hostis, quo impellente incertum, ingloriè tamen suprà quàm dici queat, non ausus prælium, diuerticulum longiori circulo quęrere, quod salutem Baccio attulit, qui desperatâ magis per effugium salute firmauerat in arenâ vestigium, specie

Belpech Maseres.

Baccius remeans in hostem incedit.

conſerendæ manus, quàm quòd ſalutem prælio ſperare auderet.

Poſtquàm ad eius conſpectum à dextrâ dilapſi Rebelles, pergere ille, infortunati quid de Caſtaniaco fratre eò auguratus, quòd vox nulla, nullus tubarum clangor exaudiebatur; nec iam dubitabat, quin cæſis ad internecionem alarijs ſuis, frater quem, vnam furori ſuo Rebelles victimam appetebant, glorioſà morte finijſſet; cùm in cadauera ſecundùm viam incidit; agnitóque ſuorum ore (nuda enim nullo cultu, præreptis ab hoſte veſtibus iacebant, ſpectaculum triſte) nihil addubitat quin inſidijs interceptus frater, ſuos inter occubuiſſet, quæſitóque diu nec inuento cadauere, creditum, odio herois ab hoſte abductum, cùm nuncius fratrem, alarióſque ferè omnes Bellipodium reduces monet. Dignam expeditionem quę primarias inter, eo in Rebelles Sectarios bello, aſcribatur, quâ tam iniquo marte cæſi hoſtium XV. Regiorum vix totidem. *Bellipodiũ illæſus euadit.*

CAPVT IV.

EPITOME.

Nouo legionariorum delectu Vindocinenſis fortior de Britextæa obſidione cogitat. ſimulatâ in fanum Pauli obſidione in Britextam ſigna conferuntur. Cingitur non vndique tamen, quod mali caput eſt, vrbs quamquam anguſtior. Subſidium vrbi quà patebat planities

libera, infertur. adpugnatur irrito conamine propugnaculum. nouo subsidio fortiores obsessi nouam spem induunt. Arpajonum inter & Vindocinensem rixæ. oppugnatio nuperâ infelicior. Obsidio soluitur. accusatur tacito populi murmure Vindocinensis. eius apologia ex sagaciorum mente. militum, præfectorúmque in eumdem querelæ. Theminius impetratas copias in Montalbani expeditionem ductat. Majnaüs salutem publicam miserè prostitutam lugens, dolori succumbit & moritur. Theminius arces Montalbanum circumstantes recipit, ignémque Sectariorum prædijs subdit.

Duo legionariorum millia Vindocinensis acies augent.



VINDOCINENSIS post desertum ab hoste Lombercium, receptásque minoris momenti ad Montalbani viciniam arces duas, transmeato Tarno in Narbonensem sibi à Rege demandatam prouinciam redit; nec dum Vaurum venerat, cùm Britannicam Comitis Maritimæ eius filij, Griniautíque cohortes adesse relatum, illam supra ducentos mille legionarij, hanc circiter mille, expediti omnes componebant. His copijs auctus, quò moueret castra dubius, militare concilium conuocat, in variásque sententias itum; pars fanum Pauli Amiatensis, pars Britextam obsidere volentibus: præualuit tamen Britextea obsidio; tum quia fanum Pauli, minoris momenti vrbecula habebatur, leuioribus etiam eâ expugnatâ in Regios cõmodo & honore; tum quòd positis circumquaque Sectariorum Rebellium arcibus, non adeò in facili erat eius expugnatio, quin circumiectæ hostium vrbes, pericu-

La Vaur.

Martegues.

De Britextea obsidione consiliũ.

S. Paul de la Miate.

Britexte.

periculoſum opus inducerent. Quò tamen faciliùs interciperetur deſtituta præſidio militari Britexta, ſpargitur in ſpeciem arcani tacitus rumor, po- S. Paul. ſtridiè caſtra in fanum Pauli mouenda, minúſ- *Simulatur in fanum Pauli expeditio.* que firmatam vrbem, in ſpem deditionis proximæ, obſidendam. Peruadit Britextam, Caſtrum Albigenſium, circumiectáſque Rebellium vrbes hic rumor; nec mora quod paulò antè Britextam ſubierat *In Britextam caſtra mouentur.* militare præſidium, nocte intempeſtâ abſiſtens fano Pauli ſuccedit; cùm Vindocinenſis doli, prudentiæque haud expers, ſigna in Britextam impigrè confert, priúſque muris acies admouet, quàm adeſſe Regios agnitum.

Leſcure. Cingendæ vrbi Leſcurianæ Albigenſium co- *Vrbs cingitur.* horti, alariíſque cura incumbit; attamen quod fuit mali caput, non niſi eâ parte cingitur, quâ oppugnari placuit; locatâ non vrbe procul Pibracij cohorte vnâ, ad Monticelli decliue quà venturum hoſtile ſubſidium timebatur. Vnde procul du- *Subſidium obſeſſis illatum.* bio ortum Regiorum excidium, commeatu, ſubſidióque, ſæpe hoſti illatis; libera circumquaque in vrbem, niſi quà oppugnabatur, planitie. Centum quinquaginta legionariorum ſubſidio aucti præſidiarij, Chapeſij, Suſæíque cohortibus, dum propu- *Propugnaculum irrito niſu à Regiis oppugnatum.* gnaculum editâ ruinâ oppugnant, ingentem cladem inferunt, propulſántque; quamquàm non incruenta illis victoria fuit, quippe eâ oppugnatione tot Rebellium cæſos memorant, vt petituros ſubſidium nouum Oratores ſtatim ad vrbes circumpoſitas delegarint, quod dum illis nouo delectu paratur; Vindocinenſis ſtationes locat, quà nuper auxi-

liares copiæ ſubierant vrbem; ſeriùs tamen, ſegniúſque.

Interceptus, dum viam in vrbem per anfractus quęrit, Rebellium explorator, Vindocinenſi ſiſtitur, proditúmque codicillos obſeſſis in ſolamen afferre, quorum ſecretum in abdito fuit; notis hieroglyphicis, arcanum tegentibus: rogatus diù rem noſtris ænigmaticam aperire; maluit pertinacis vęſaniæ in furca pœnas luere. Paulò pòſt nocte concubiâ legionarij ducenti, expeditum obſeſſis ſubſidium, eademmet quâ nuper viâ, leui non niſi duorum vigilum obice in vrbem dilabuntur, fugientibus turpiter Regijs, qui ad foſſam medio excauatam itinere, loco oportuno agebant, vnde in Villeroij cohortem, cui eâ nocte excubiarum incubuerat munus, accuſatio grauis; actúſque in vincula, cui eâ ſtatione delatum imperium primipilus; proditionis, ſeu imbellis animi poſtulatione (nam vtrumque bello capitale eſt) patibulo ſuffigitur.

Subſidium obſeſſis infertur.

In furcam actus primipilus.

Agnitum ab imperatore, pręfectíſque iam ſeriùs, præpoſterum fuiſſe conſilium, quo vetitum milite vrbem cingi, niſi quà oppugnaretur. Hæc inter adeſſe à Rege nuntius, quo Vindocinenſis, niſi triduò vrbs expugnabitur, obſidionem ſoluere iubetur, rectâque Montempeſſulanum pęrgere vbi, tunc belli moles. Ille in ſpem deditionis, protelare in dies, cùm affertur tentandæ prælio inſtructo fortunæ aduentare Malauſium, quem quatuor legionariorum millia, quingenti alarij, iuſtus in eam expeditionem numerus ſtipabant. Arpajonus Caſtrametator, qui eâ forſan die ex officio agebat excubias,

A Rege nuntius iubet obſidionem ſolui.

Ad nũtium aduentus hoſtium Arpajonus ire obuiàm parat.

vir magni animi, manipulum legere, iturus hosti obuiàm, quando Vindocinensis, forte an consilio in eam partem accurrens, magnum facinus ausum increpat, vetátque in occursum ire. Arpajonus sibi stationem in eam diem præfecto id posse inhiberi negans, aut iturum se obuiàm adijcit, aut neminem. contrà imperator, suum esse legem bello dicere, sibi imperia, quibuslibet alijs delatam à Rege obsequij gloriam. Arpajonus ad hęc, legem veteris Gallorum militiæ opponere, quâ accurrenti in obsessorum subsidium hosti, qui tunc excubat Castrametator, occurrere iubetur; eam belli legem imperatricem esse, cui ipsum imperatorem parere deceat. Iussus tamen aut mori, aut firmare in vallo vestigium; respondit, nec hęsurum se loco, dum ceteri dimicarent, sibi inglorio; nec erupturum in hostem, quando sic vnâ placiti ratione iubebatur; futuram tamen postremam eam legem, quam sibi Vindocinensis dixerit, detrectandis imposterum à se quibuslibet ad eas expeditiones muneribus, quibus ille imperia dabit: nihil dein moratus castris absistit magnâ animi virtutísque famâ, quòd tam acriter imperatori, qui iam apud milites, iure an iniuriâ, malè audiebat, obstitisset.

Rixa Arpajonum inter & imperatorem.

Posterâ die Marescallus Theminius, qui ductandis in circumiectas Montalbano Sectariorum arces, Valiaci, Pibracij, Griniautíque cohortibus, alariorum ordinibus Cluij, Chambreti, Linieresi, Arnaldi, & Presquesij, Regis iussu in castra venerat, re infectâ ad Montalbani expeditionem redit, quam ex necessitate narrationis suprà memorauimus, se-

Theminius copias auxiliares incassum petit.

quutus Arpajonus Castrametator, insalutato imperatore abijt. Nec multò pòst nouis à Rege codicillis iussus obsidionem soluere Vindocinensis, tentare supremo conamine fortunam statuit.

Oppugnatur frustra neo adhuc nisu propugnaculum idem.

Post redintegratam à primo crepusculo verberationē, inclinato in medium sole, oppugnari propugnaculū idem placuit irrito nuper nisu tentatum. Bironio Castrametatori datur id muneris, legionarios in aggressionem ex æquo diuideret, cunicularios parandæ medio propugnaculo stationi procuraret, voluntarios nobiles retraheret à periculo magis, quàm in pugnam accenderet. Nihil cunctatus ille post agnitam de more ruinam, ex qualibet cohorte centurias duas; quolibet alariorum, sclopigerorum equitantium ordine viginti deligere, qui sibi inuicem eâ lege præstò forent, vt fatigatis qui primi irrupissent, succederet nouo quasi delectu manipulus integer; donec perennatis pugna diuturniore vulneribus retruderetur hostis: magnâ vtrinque contentione dimicatum pro victoriâ Regijs, pro salute præsidiarijs depugnantibus; cùm munimento, subitâ eóque breuiore Regiorum victoriâ excussis Rebellibus præcociter triumphus canitur; iámque firmandæ medio munimento stationi inferebantur quamquam seriùs dolia, cùm ingenti clamore, pugnæ præsidiarij restaurandæ prorumpunt, non antè pugnatum acriùs, donec retrusi in fossam Regij à fossâ dein in valla, victoriâ cedunt.

Obsidio soluitur.

Posterâ die rubore manifesto suffusi milites Regij, despondere animos, spéque expugnandæ vrbis penitus abdicatâ, primores quibus eâ obsidione im-

perium erat, criminum postulare, quæ hîc præterire satius duxerim, seu falsa in eos accusatione, seu imputando vni fortunæ malignitati successu. Quidquid id est, tentatis frustra omnibus, obsidio soluitur, cui à tertiâ Regis iussione, oportunè color quæsitus, Vindocinensem vtcumque exemit inuidiæ. Agmen vltimum Pibracio, Cluyóque committitur; illo cohorte suam ducta͏nte, hoc alarios centum, in quos nihil tentauit hostis, abundè sibi factum putans quòd obsidio soluebatur.

Vix obsidionis solutæ fama peruaserat, cùm calumniæ & conuitia in Vindocinensem inaudita, vesanâ populi libidine conijciuntur, Britextæa infortunia vni imperatoris ignauiæ (sic enim præposterè loquebatur) imputantis. Legionarios qui vrbem cinxisse debuerant, agendis ad prætorium excubijs distentos, vt magis obsessum imperatoris tabernaculum videretur, quàm vrbs; hinc mali caput, cui ascribebatur quòd militari concilio statuta in pessum ibant, non nisi pro arbitrio Vindocinensi gerente bellum, neque demandatis vnquam exequutioni, in quę concilio habito præfectorum calculis conuentum fuerat. hæc populus. Contrà quibus mens melior, nec excusabant penitùs imperatorem, nec in eum infelicem obsidionis exitum omninò conferebant: præposterum fuisse consilium, quo vrbem nisi quà oppugnaretur, cingi prohibitum, quo item tormenta minoris modi duo, quę in fossam vrbis collimauerat Pibracius, vnde strages hosti maxima inferri potuerat, indebito illi tempore prærepta fuerant, alióque translata; breui

Populi in Vindocinēsem postulatio.

Eius apologia.

tamen expugnandam vrbem nî tertium à Rege iussum, etiam inuitum imperatorem ad obsequium adegisset. non potuisse sinè perduellione manifesta diutiùs protelari obsidium, quod vbi hostis agnouerat, pugnauerat acriùs in spem proximę liberationis. Hæc districtè de Britextæa obsidione, quam post exactum mutuis hinc inde cladibus mensem, Regiæ iussionis prætextu Vindocinensis soluit.

Britextâ Vaurum venit exercitus, vbi nec diù hæret, ad irati imprecationes populi non auso moras nectere imperatore. Vauro Lobeinsium itur; ibi numeratis stipendijs miles noua in imperatorem suum conuitia conijcit, palámque præfecti questus mouent, quòd quæ vitæ periculo, ingentíque ad valla labore promeruissent stipendia, nullo sibi iure addiceret imperator, qui contrà, vbi deforent, ea de suo contulisse debuerat; placuit tamen plerisque, infensi imperatori suo militis calumnias esse; falsa, an vera postulatio, viderint quorum interest. *La Vaur* *Lobeius* *Militum in Vindocinensem questus.*

Postridiè Marescallus Theminius, Masnaüsque Senator Lobeinsium veniunt; ille copias in Montalbani expeditionem à Rege destinatas, hic petiturus obsideretur in transitu leuioris momenti Sectariorum castrum, vnde circumiectam prouinciam impunè prædabantur. Theminio ceduntur cohortes Valiaci, Pibracij, Grigniautiíque; alatiorum ordines, Cluij, Chambreti, Limieresi, Arnaldi, Presquesiíque. Masnaüo negatur haud iniustæ petitionis effectus eo colore, quòd iteratis à Rege iussis nullà dilatione parendum; nec posse tentari obsi- *Masnau* *Theminio ceduntur copiæ.* *Masnaüs rem iustam sibi negari luget.*

dionem vllam, inhibente Rege, nullóque medio rectà in Montempessulanum eundum. Iusta in speciem exceptio, nisi Masnaüs vir magni animi bis, térque repulsam passus, quo ardebat in publicum zelo, proposuisset vix milliari à via quà exercitui transitus, dissitum Castrum, quod nullis munimentis, præsidio nullo vix tormenti bellici conspectum passurum foret. Enimuerò ne misso quidem ad Castrũ Feciali, qui deditionẽ exposceret, quod abundè erat, maluit vltrà pergere Vindocinensis, quàm mœstos ad solutam recens obsidionem prouincialium animos, leuioris huius gratię beneficio alleuare: vnde is dolor Masnaüm Tolosani Parlamenti Senatorẽ inuasit, vt prostitutam lugens salutem publicam; febrem statim contraxerit, vnius, ex medicorum relatione doloris effectum: quæ ad malè afflati pestilentiam aëris ingrauescente morbo, præmaturo funere extinxit, quem, si quid virtus ad vitam valuisset, annos Nestoris implere debuerat. Non antè Tolosatibus iactura maior; eorum appello fidem, quibus nota viri in Deum pietas, erga principem fides inconcussa, in publicum flammeus vbique zelus, caritas in proximum æstuans, quibus demum nota virtus in arduis ludens.

Contractióque morbo extinguitur.

Vindocinensis in Galliam Narbonensem citeriorem, Marescallus Theminius in vlteriorem; ille in Montempessulanum, hic in Montalbanum castra mouent. Montalbanum eò loci situm suprà memorauimus, quem circumquaque cingunt Sectariorum vrbeculæ, totidem olim arces, in quas secundùm Britextæ obsidionem ab hoste nuper in-

Theminius arces recipit Montalbanensiúmque prædia vastat.

terceptas Theminius expeditionem indixit: nec mora, expugnantur haud ægrè Lasbartæ, arx Mombetonia, Corbarrium, ad Tarni ostium quà amnis Garumnam subit propugnaculum ingens, cui à cuspide nomen, pluresque his similes arces, quibus vini recentis, frumentique copia ingens asseruabatur, transferendo Montalbanum commeatui. Exin circumiectis Sectariorum castris eo militum furore subditur ignis, vt ad quartum ab vrbe circumquaque milliare, ne ipsa quidem ædificiorum vestigia appareant. Hæc Theminius ad Aquitaniæ vlterioris confinia.

Lasbordes. Mombeton. Corbarrieu. La Pointe.

CAPVT V.

EPITOME.

Expugnatis ad Galliam Narbonensem Sectariorum vrbibus, in Montempessulanũ castra mouentur. Plerisque ea expeditio præpostera videtur. Varia hinc inde argumenta. Rohanæus præbito sibi à Rege cõmeatu Montempessulanum ingreditur, pacemque nisu irrito tractat. Mommorancius Cebennas vastat. Baro Roquetus glande occumbit. Montipessulano visendo propiùs, Comestabilis munimentis aduoluitur. Exercitus auctior. Lesdiguerius castris absistit. quare. oppugnatur vrbs bifariam. prætoriana, & Picardica aggressiones. Dispositi ad vias quibus hosti transitus alarij Regis. Delecti præfectis primoribus nobilium manipuli. Vicelegatus Auenionensis ab hoste capitur. Rosselaius, Viciúsque excedunt. Commartinus Procancellarius renuntiatur.

DVM

DVM haud indignâ magnis animis æmulatione, ad Rupellæ confinia Suessio Princeps, ad Montalbanum Marescallus Theminius, ad Fuxensem Comitatũ Comes Carmanius Rebelles Sectarios opprimebant, Rex captis in Gallia Narbonensi Carmanio, Manso Sanctarum Puellarum, Monte-Cucquio, Betarrio, Massiliarguis, Aimarguis, Lunello, Sommierio, Fano Ægidij ad limites prouinciæ; in Montempessulanum castra mouere statuit: quamquam, deducta in consilium militare eâ expeditione, plerisq; placebat, post confectum iam crebris obsidionibus exercitum, satius esse diludium à bello quæri, quàm nouos periculosâ obsidione subire labores. Accedebat quòd imminente Autumno, morbísque grassantibus arduum erat vrbem instructissimam obsidere, cui expugnandæ vix annus satis foret; vrbium quas Gallia, quin & forsan earum quas reliqua Europa habeat validissimam, duobus præsidiariorum millibus, totidem oppidanis gente ad bellum expeditâ firmatam, annonâ quantùm huic numero militum in annum abundè sit, tormentario puluere, pilis, plumbo, tormentis bellicis, ceterísque id genus adeò munitam, vt si steterint insimul oppidanorum fides & opera, suprà vires, spémque omnem sit eius expugnatio.

Regis in Gallia Narbonensi victoria.

S. Gilles.

Montempessulanum non esse obsidendum.

Contrà, quibus placebat tentari obsidium, quos inter Condæus primarius Princeps; Præpostere opponi crebris obsidionibus fatigatum militem, quem præda ingens, quem victoriæ vbique sequaces in

Contra obsidendum esse.

momento refecerint; defectum viribus, audaciâque tunc dici posse exercitum, cùm cladibus sæpe exhaustus, vulneribus, sanie, tabo, caloribus æstiuis debilitatus, cœlo, solóque aduersis fatiscit. Enimverò (quod vni Deo beneficium debeatur) Regias acies, quas bello diuturniore confecisse debuerant gelu, via longior, cœli ad caniculam intemperies, morbi militares, Mars sæpè dubius; annona modò largior, modò deficiens, cæteráque id genus belli incommoda, eo tamen statu hodie positas, vt conflatum nouo delectu exercitum magè dixeris, quàm veterana agmina, quæ in immensum exacta terrarum spatia Narbonensi prouinciæ sistunt; alacritatis non aliam causam quàm prædas, frequentibus victorijs vbique partas. Enixam mulierem non meminisse pressuræ, militem laborum, æstuum, vulnerúmque immemorem vbi vicerit, paratum vt nouæ obsidionis incommoda subeat, vbi peculium manubijs auxit. Neque timendam eò loci hyemem, qui gelu, pluuiámque nesciat.

His suasus Rex animum in obsidionem conuerterat, cùm Comestabilis per nuntium monet, inita Rohanæum inter & se de pace colloquia, quæ si Regiâ auctoritate comprobata velit, nihil hærendum, quin breui in vniuersam pacem conueniatur. Bulionius vir sagax, tanti proxeneta negotij, codicillos à Rege ad Comestabilem refert, quibus datâ sibi tractandæ pacis facultate, cum Rohanæo ad primum Nemauso milliare de pace consilium init; multa hinc inde allatâ, conuentúmque tandem, vt Rohanæus, suadendæ oppidanis paci Montem- Bulioụ

pessulanum subiret; datur in eam rem à Rege commeatus, Crequiúsque Marescallus, quingentis alarijs vrbi incolumem sistit: donec irritâ negotiatione petito iterum commeatu, stipante Crequio, Nemausum redit; nec dubitatum ampliùs, quin castra in vrbem illicò mouerentur.

Rohanæus pacem negotiatione irritâ tractat.

Ceuenes. Intereà Mommorancius Regis iussu in Cebennarum confinia signa contulerat, auertendis Montepessulano procul prouincialium Sectariorum armis, qui in vrbis subsidium conuenisse circumferebantur. Ille Regis imperia magno animo exequutus, prouinciæ inimicam oram primùm diripit, dein, id quoque iussus, obsidia simulat in plerasque eodem tempore vrbes; nec irrito sanè euentu: quippe Sectarij, qui iam lectis in vnum vrbium presidiarijs, iustum exercitum composuerant, dum suæ quisque vrbi succurrere auet, sensim dilapsi signa deserunt, quod Regi fuisse percommodum nemo ambigat.

Mommorancius Cebennensem agrum diripit.

Quissac Sauue. Quissaci diebus octo moratus Mommorancius, Sauueo in speciem obsidendo illuc castra mouet, Marillaco & Portesio Castrametatoribus, ludicróque prælio dum admouetur muris exercitus, Baro Roquetus plumbo cadit, magno Regiorum mœrore: exin ad Montispessulani obsidionem reuocatur exercitus.

Baro Roquetus lethaliter sauciatur.

Comestabilis Priuatio incassum tentato, leuem alariorum turmam in subsidium Regi ductauerat, cùm vrbis munimenta propiùs agnoscere iussus, Espernonium, Schombergúmque qui tormentorum præfectum agebat, sibi comites deligit, stipant

Vrbem Comestabilis agnoscit.

voluntariæ nobilitatis, alariíque conductitij bis mille, agitur ad vrbis ambitum gyrus, intereà dum à propugnaculis indesinenter collimata in turmam tormenta disploduntur, vnde nihil Regijs damni (quamquam Gallico ad pericula æstu vrbem propiùs circumsteterant) detectę interim ad oliueta, nō vrbe procul insidiæ Comitem Malliæum adigunt, in eam partem leui alariorum turmâ prorumperet: hærere in vestigio lacessitus hostis, fisus loco, quia plurimis circumquaque arboribus claudebatur, eóque magis equis imperuio; nec diu pugnatum, cùm glande ad genam traiectus Malliæus magno vitæ periculo pedem retulit. Maillé.

Sanciatur Comes Malliæus.

Postridiè duplici cohorte augetur exercitus, Biturigum instructissimâ, quam Condæus in eam obsidionem Regi procurârat, Nerestaníque ingenui adolescentis, eius filij, quem suprà ad Pontes Cæos cæsum memorauimus. Iussus exin Comestabilis in Priuatij obsidionem castris absistere, quæsito, vt plerisque placuit, eius expeditionis prætextu, quò Condæus nullo obice exercitui Regio imperia daret: quippe id Comestabilis officio inesse creditur, vt Regis vnius imperia subiturus, principibus quibuslibet in exercitu legem dicat, quod Condæo primario Borbonij sanguinis Principi graue, Regem impulit, vt colorem eius obsidionis quæreret. Berry.

Augetur exercitus.

Lesdiguerius quare castris absistat.

Intereà Lugduno aduehebantur secundo Rhodano qui non procul Montepessulano maria subit, commeatus, tormenta bellica, pilæ, puluis tormentarius, arma, ceteráque id genus in obsidionem necessaria, quod exercitum supra fidem reficiebat.

Paulò pòst militari consilio duæ oppugnationes indictæ à Sangelij Columna, ad Peironi portam, vrbe reliquâ ne quidem milite cinctâ. Regi ad primum ab vrbe milliare, tabernaculũ; nobilibus non hinc procul Villænouæ metatio erat, vrbecula est quam mare alluit. Distributis in obsidionem muneribus prima oppugnatio Regi incumbit, quam à prætorianis militibus, excubiarum aggressionem; altera Mommorancio, quam à Picardiæ cohorte, dixere Picardicam. Regi ad primam oppugnationem, legato Condæo, militabant cohortes prætoriana, Pedemontana, Nauarræa, Normannica, E[illegible]saci, Heluetiorúmque; Castrametatoribus Praslinio, Bassompetro Marescallis, Valancæóque; manuali vallorum, muniminum, machinarúmque opifice Gaborino Italo, quem sæpius suprà cum laude memorauimus. Mommorancio è regione merebant cohortes Picardiæ, vnde oppugnationi nomen, Narbonensis Galliæ, Perauti, Annibalis Mommorancij, Biturigum, Montoisonij, duóque Germanorum millia.

Pila Sangely. Le Peirou.

Duæ oppugnationes hæc Regi illa Mommorancio.

Distributa in munia cohortes.

Mommorancij oppugnatio.

Peraut. Bourges. Montoison.

Non procul ab vrbe, Marescallo Sangerano alariorum præfecto, quà auxiliaribus hostium copijs transitus esse poterat, statio indicitur, hoc ordine. Cataphractorum Regis primarius ordo Salçnouæ agebat; eiusdem leuioris armaturæ alarij centum, Verunæ; D. Gastonis Regis fratris instructa centum equitum turma, Elbeno præfecto, ad Fanum Ioannis de Bedasio; Ellebouij, Ioinuilij, Mommorancij, Portesij, Couuissoni, quæ duobus circiter alariorum millibus constabant, varijs hinc inde

Alarij Regij inhibendo subsidio ad transitum locati.

Salcneufue. Lauerune. S. Iean de Bedas. Couisson.

locis ex necessitate dispositæ. Sangerano phalangis præfecto in dies Rex ipse præstò aderat, voluntarijs nobilibus mille suprà quingentos, quibus demum labore assiduo fatigatis (namque cohors hostium, obsessis illatura subsidium ad syluæ profundioris oram quotidie erumpebat, susceptura viam) placuit alleuando labori, leuiores principum, primorúmque manipulos legi, qui vicissim excubias agerent quà timebatur hostis; illi æmulatoriè amicos quisque & familiares in turmam suam allicere, profusáque liberalitate, alariorum sibi promereri gratiam, quos ordinibus suis ascriberent: duas sibi Rex turmas delegerat, Chalesio, Rhodesióque præfectis. legerant suam quisque Ioinuillius, Ellebouius, Vindocinensis Hierosolymitanus eques, magnúsque Galliarum Prior & Princeps, Courtanuautus, Comes La-Voutæus, & Poliniacus; quos, ne in idem tempus coincideret labor, sibi mutuò succedere placuit, gestúmque ità, Regijs aciebus quę vrbem in tuto circumstabant perutiliter.

Deliguntur nobilium manipuli quibus primores præerant.

Chales. Rhodes

Courtãuaut. La Voulte. Poliniac.

Agentibus vrbe procul excubias alarijs; cohortibus ad primum lapidem, inhibendo item transitui, stationis munus incumbit Normannicæ, Rastenclierij, & Montisferrierij; nec ideò Nemausi præsidiarij excursionibus in exercitus Regij impedimenta abstinebant. capto Mauguionum inter & metationem Regiam Boissierio, qui præfecti tormentorum legatum agebat, prædà tam blandùm allectis placuit tentari facinus audax, quo Apostolicæ Sedis Vicelegatum, Comitem Torignium, PortesiumBalduinum pluresque simul,

Rastenclieres. Montferrie.

Boissierius ab hoste capitur.

La Boissiere.

Torigny. Portes. Baudoüin.

nobiles, quos à castris Auenionem pergere audierant, in vincula agerent. Regem, summi Pontificis Vicelegatus, offerendo Auenionensium subsidio inuiserat, reducémque stipabant Comes Torignius, Portesius Balduinus ærarij Regij præfectus, nobiliúmque complures, cùm Sectariorum insidijs inuolutus capitur, Nemausúmque velut in triumphum ductatur. Vnde opima capientibus redemptio, vnâ Regis liberalitate accreuit: quamquam non deerant, qui contrà militiæ leges captum contenderent, ducto hinc argumento, quòd extraneus, nihil bello in Sectarios Rebelles à Rege moto implicitus, ab eorum incursionibus immunis esse debuerat, in alienâ ditione dissidij expers. *Vicelegatus Auenionensis capitur.*

Sub hoc ipsum tempus Rosselaius Italus, quem suprà sæpius memorauimus, morbo militari excessit, vir ingenio acri, experientiâque defecatâ, Reginæ primùm parenti, exin Luinæo à secretis fuerat: atenim summam olim rebus gerendis auctoritatem à Luinæi excessu exuerat penitùs, vitámque non nisi priuatam agens, stipabat in expeditione Regem, fortunam quæ diuerterat iterum tentaturus, quam inuenit in præcipiti funere, vitâ anteactâ condignam. Eodem morbo Vicius Galliæ Procancellarius finijt. ab Aquitania olim, natali solo Lutetiam venerat, vbi post exactam bonis artibus adolescentiam virilem ętatem maioribus regni negotijs insumpsit: exin ad primam senectutem delegationibus extra Gallici fines imperij gloriosè defunctus, sanctiore diu consilio Veteranus consedit, donec in decrepitam ætatem inclinans, Procancellarij digni- *Rosselaius moritur.* De Vic. *Vicij Procancellarij excessus.*

tate eo tempore donatus est, quo vitâ functo Luynæo, quem Comestabilem insimul & Procancellarium Gallia tulerat, togæ arbitrio cessere sigilla, quę inter armorum licentiam sibi ensis addixerat: leuis eo funere mœror, senectute defecto Procancellario, ferendóque labori iam impari.

Nemo tunc dubitabat, quin Brulardo Sillerio Gallíæ Cancellario restituerentur sigilla, quibus diu magnâ laude præfuerat; cùm rebus aulicis vulgò sic se habentibus, vt nisi occasioni adfueris ipse dum se vltrò offert, rarò etiam meritâ fruare dignitate, in Aligrium & Commartinum, qui tunc fortassis aderant, Regis arbitrio itum; præualuerátque Aligrius, nî Principi inter primores magno addictus, in suspicionem nimiæ erga illum propensionis venisset, quod reputatur crimini sigilla tractantibus, qui primores vno ordinė omnes habere debent, coronæ Gallicæ affectu vno pręualente. Commartinus ergo vir prudens, qui Regio iam insenuerat concilio legitur; vt plerisque tunc visum fuerit habitam vnius ætatis eâ promotione rationem, Viccio, Commartinóque viris iam decrepitis successiuè eâ dignitate donatis, quibus, sapientũ calculis, nihil præ reliquis virtutis in erat, aut meriti, quò eam sibi præfecturã promererentur. Vix tamen trimestris Cõmartini possessio fuit, sigillis, si fas dicere, in Gallici splendoris sacrarium, in Brulardi magni manus redire appetentibus vndė diuertetant; faxit Deus haud immeritâ diù fruatur dignitate, cui nisi se fateatur Gallia ex asse debitricem ingrata erit. At hæc infrà si eò prouehimur.

Sillery.

Viccio succeats Commartinus.

Aligre. Commartin.

CAPVT

CAPVT VI.

EPITOME.

Leuiore prælio expugnatur à Regijs hostilis ad collem sancti Dionysij statio. Erumpit hostis, agnito Regiorum ad eam stationem præsidio. Fusis Regijs Mommorancius, Fronsacúsque Duces accurrunt. Ille tribus sauciatus vulneribus prælio superstes est, hic quadraginta cadit. acti in fugam Rebelles. nobilium Regiorum plerique cæsi. Ingens omnium à Fronsaci funere dolor. in primores querelæ. Fortunam Mayennij Fronsacique disparem. Mommorancium Rex inuisit, virtutique heroïcæ gratulatur. Argencurtius munimentum eôdem loci excitat, quem Regij deseruerant, supra vires positum opus rati. peccatum à nostris eâ expeditione grauiter. in singulas stationes alarij iam serius distribuuntur. Espernonius prouinciæ Aquitanicę prætor renuntiatur. Zametus magnum sui desiderium relinquit. Portesius hostem in munimenta sua retrahit magnâ laude. Roquelaurus Zameto substituitur. Gaborinus glande occumbit.



D III. Non. Septembr. clades, quâ non maior antè, Regijs aciebus infertur. Inclinatâ in mediam nocte, Gaborino machinarum, vallorúmque opifici, munimentum expugnari placet, quod ad sancti Dionysij collem, è *Expugnatur hostilis ad collem sancti Dionysij statio.*

Nnnn

regione vrbis, opere assiduo exstruebat hostis. Nec mora, lectis quadringentis è Normannica, ducentis Nauarrea, totidem Pedemontana, Fabreguesij & Sambreti cohortibus integris, magnâ vi in eam partem irrumpitur, leuíque prælio expugnatur locus, retrusis non sinè iactura in vrbem Rebellibus. Indicitur exin indesinenti labore nouum cuniculariis opus, firmatóque aggere & limo claustra excitantur. Atenim dolijs, saccísque terrà oppletis deficientibus, quod plerumque nostris alibi exitiale fuit, leuius munimentũ paratur, cuius post creditam Fabreguesio & Sambreto custodiã, loco absistitur.

Eruptionis in Regios ordo.

Vix veteranæ cohortes in suas se metationes receperant, cùm obsessi in Fabreguesium, Sambretúmque erumpere statuunt; eruptioni hic ordo præscribitur: Tres legionariorum turmas in quadra agmina distributas, stipabant quinquaginta cataphracti, rem antè inauditam, quibus manum conserere inhibitum, nisi post initam acriùs à gregarijs pugnam. Legionarijs prǽerat Argencurtius vir magni animi, bellóque expeditus, qui extima vrbis munimenta designasse vnus circumferebatur; alarios ductabat Calongius Rohanæi legatus: quibus ità dispositis, placuit in speciem tractandæ captiui cuiusdam redemptionis, indagandis reuera Regiorum excubijs, prǽmitti tubicinem, cui obducti fasciã oculi; donec Regiorum proteruiâ militari, quasi positis eò rebus, vt nihil ab hoste timendum, subducto in contemptum velamine, statio, claustráque ostentantur, quibus ille circumspectis attentiùs, erupturo hosti omnia refert, vnde mali caput.

Argencour.

Calonges.

Commentum hostiũ.

Exploduntur tria tormenta bellica eruptioni signum, factóque repentè agmine prorumpit hostis; Fabreguesius, Sambretúsque suos hortari fortiter capesserent pugnam, nec passo diutiùs loqui periculo, ire in hostem; rari dimicantes strenuè præfectos circumsistunt: pugnatur tamen vnâ illorum virtute acriter, donec crebescente hostium numero, abreptísque in fugam legionarijs suis, gloriosâ morte occumbunt. Scloporum intereà fragor, clamor hominum, tubarum clangor, tympanorum strepitus repercusso in immensum aëre à Regis tabernaculo procul inde exaudiuntur. nec mora, Mommorancius, qui Alesium Comitem ex sorore nepotem ægrum inuisurus, vno Mombruno comite huc venerat, equo fortuito insilire, laxísque in monticellum habenis accurrere, quem Regij fugaces deseruerant: sequi Dux Fronsacus Aurelianensis prosapiæ Princeps, qui nedum adoleuerat, Marchio Veuronus, Hoquetotus, Mombrunus, & alij; Rex ipse collem, qui non procul oportunè assurgebat conscendere, visendo prælio.

Erumpunt Rebelles.

Mommorancius Fronsacúsque accurrunt.

Fronsac. Veurõ. Hoquetot. Mombrun.

Mommorancius Dionysianæ colli aduolutus, dissipatas acies, ignauos iam à prælij exordio in fugam abreptos, strenuos exhalatâ recèns animâ inuenit calescente adhuc sanguine mediâ arenâ spumantes, rari vnâ desperatione, magno ad honestè moriendum incitamento, firmabant vestigium pertinax, non aliâ spe, quàm vt moriendo gloriosè finirent. Iam Fabreguesij fratres, Sambretúsque à cohortibus suis ignauiter, ne dicam proditoriè destituti, vitam haud inglorijs vulneribus inter arma

Regij in fugam acti.

posuerant, ídque eôdem loci in cuius custodiã destinati, quamdiu vita superstes fuerat, conseruarant. Cæsis cohortium præfectis, grassabatur impunè hostile ferrum, quósque legionarijs obstitisse animus tulerat, equorum nisu sternebant sequaces alarij; cùm desperatis rebus, in subsidium aduolant Mommorancius, Fronsacúsque; nec mora, retractis in prælium suis, hostium præcipitem in momento victoriam sistunt, quæ periculum erat ne ad ipsum Regis tabernaculum nullo obice penetraret. Mommorancius dum incautè in fugaces longiùs à suis abripitur, hastâ in obliquum, ad ventriculum sauciatur, vnde leue vulnus, non nisi delibatâ cute extimà. Animos addit resiliens magnâ copiâ cruor, turbámque dimicantium maiori quàm antè contentione intersecans in præfectúm Carlinquassium incidit. Ille Mommorancio agnito, nec ne; ex filis tamen aureis vestem distinguentibus, torquéque Regij ordinis, quem gestabat, primorum aliquem auguratus, ingenti animo depugnare, instare Mommorancius, donec hostis in terram actus vitam humiliter deprecatus, ensem victori cedit: hinc vocatus aliò, ferrum fortuitò equiti in victoriæ monimentũ præbere, nihil hærens, quin hunc suorum comitem sibi fortuna dedisset, cùm eques (namque alariorũ Rebellium erat) penè eodem ense victorem transfodit; hîc fatum lethale euaserat, cùm rursus instãtes duos gladio ita excipit, vt ante ipsum exanimes procubuerint, nõ inulti tamen; duplici enim vulnere sauciatus ipse, diu vitã in periculo habuit. Haud dispari animo Dux Fronsacus, ex aduerso dimicans quadraginta

Mommorancij Fronsacique virtus.

Vulneratur Mommorancius.

Cadit Fronsacus.

vulneribus cadit, vt qui omniũ iudicio victor hostis, ad Regis conspectum in fugam actus loco cesserit.

In fugam agitur hostis.

Luctuosa Regijs ea victoria fuit; hostium enim vix centum desideratis, occubuere Regiorũ ducenti; quamquam minima eo numero iactura, nî legionarios inter cecidissent nobilium, primorúmque complures. Flebilis præ ceteris Dux Fronsacus, prosapiæ Aurelianensis illustrissimus Princeps, Comitísque à sancto Paulo soboles vna, adhuc adolescens, qui ad prima armorum rudimenta luctuosè finijt, prelio quidem glorioso; sed quod à legionario committi debuerat: neque enim ita creantur Principes, vt ad occasiones singulas incertã periculi aleam subire debeant. Preciosior est imperio Gallico eorum sanguis, quàm vt sic indictâ causâ effundatur: atenim hic vulgò est ingeniosus Gallorum in suam perniciem animus, hæc primorum audacia, vt detrectasse prelium crimini reputent, neque sibi vnquàm factum abundè credant, nisi, cùm ipsismet legionarijs æmulatoriè dimicauerint. Parcant mihi hoc loci primores, si liberè loquor & sinè fuco. res Galliarum agitur, quis sileat? Melius honori publiceque consuluerint vtilitati, si meminerint eius legis, quà olim capitale imperatori erat, prælij subijsse aleam, nisi rebus penitus desperatis. Gregariorum iactura minimi est momenti, at Principum, primorúmque irreparabile damnum; pereat gregarius miles, parum refert tantâ Gallici sanguinis propagatione, dummodò Principes Regni columina, Magnales imperij bases & fundamenta, nobiles corone ornamentũ, & dignitas, conseruentur. Horum tamen,

Iactura Regiorum maxima.

Non debere primores incertam præliorum aleam subire.

quod mali summum est, iactura fuit eo bello omnium maxima, quod vni legionariorum ignauiæ imputandum nemo ambigat: quippe defectis virtute militari gregarijs nostris, pessum ibant omnia; nisi nobiles, primorésq; restaurâssent pugnam; hinc iactura omnis, hinc crebriora nobilium funera, hinc cæsi ad obsidiones duas Principes duo, ad Montalbanam Dux Mayennius, Mompessulanam Fronsacus; ille alienigeni Lotharingorum sanguinis; hic Gallici Aurelianensium; ille post subitam sæpius marte dubio prælij aleam; hic in primo virtutis conamine; ille post quadragesimum quintum, hic penè ad vigesimum ætatis suæ annum; ille vno ad oculum vulnere eminùs, nullóque prelij æstu inultus; hic cominùs, post vindicatam manu propriâ necem, quadraginta plagis occubuit.

Mayennio confertur Dux Fronsacus.

Mœrorem exercitus in Fronsaci nece vniuersum, auxere funera Marchionis Veuroni, viri prosapiâ illustrissimi, Hoquetoti, Comvareti, Luynæi olim nepotis, Mombruni, Fabreguesiorum fratrum, Sambreti, Lussani, Laterrassij, quem suprà ad Neracçam obsidionem cum laude memorauimus, aliorúmque, quorum si memoriam posteritas obliterari patitur, ingrata erit.

Regiorum ad eam obsidionem cæsi-que.

Conrazet.

Mommorancius triplici vulnere saucius, haud illegitimè dici possit exercitus eâ die protector, Regiique honoris assertor, quod à cohorte Normannicâ, cui, cæsis primis cohortibus prelij onus incubuerat, adeò agnitum; vt statim à primo vulneris, quem vocant apparatu, eius tabernaculo aduoluti præfecti cohortis, gratiam vitæ conseruatæ habuerint, cui de-

Mommorancius à Rege inuisitur.

beri quod ſpirabant non diffitebantur. Neque hîc prętermitti debeat Regem ſtatim à prȩlio Mommorancij prętorium ſubijſſe, laudataque virtute heroïs gratulatum, quòd vulneribus tribus fortunę litaſſet, totidem plagis, quot ferro hoſtes transfoderat. Vnde laus Mommorancio immortalis.

Inclinato in veſperam die, placuit collem aſcenſione ſuperari; non alio argumento, quàm quòd hoſtis ab eo tantâ pertinaciâ prohibuiſſet Regios. Prouectâ itaque nocte Ioinuillius, Praſlinius, Baſſompetrus, Gamorinúſque, agnoſcendo propiùs loco, inter noctis ſilentia ſenſim ſuggreſſi, collem conſcendunt, indagatóque attentiùs eius ſupercilio, in quo arcem conſtruerent, terræ inopiâ (namque confragoſa rupes hinc inde aſſurgebat) pedem referunt. Atenim Argencurtius extimorum muniminum in vrbe præfectus, vbi re infectâ Regios regreſſos videt, cunicularijs ſuis, nouum in rupe opus indicit, eâ contentione, vt munimentum eademmet die ingenti mole conſtruxerit, vbi Regij exploratores ne quidem aduerterant humum.

Argencurtius munimentum in coll: à Regijs deſerto excitat.

Præpoſterè quidem ſępius geſtum à Regijs eâ expeditione bellum; ſed non alibi magè ſupinus error, quid enim obſtitit, quò minùs viri magnę alioquin rebus bello gerendis experientię, primos obſidionis conatus in eum montem conuerterent, qui vrbi ſupereminens habebat illam quaſi in vinculis? hinc pernicies omnis, hinc ſtrages illa, quę diu Gallię luctuoſam eam obſidionem prȩſtabit. Statim vrbe deditâ omnibus patuit, quod neque ipſi diffitebantur Rebelles, palàm profeſſi, ſi primo obſi-

Peccatum contra militarem diſciplinam à Regijs.

dionis exordio interceptum à Regijs monticelli iugum, cedendum loco obsessis, aut nullâ spe ad munimenta extima moriendum fuisse; vt mirari iure liceat, quî factum, vt viri prudentiâ militari commendabiles, ad ipsum obsidij exordium ne quidem cogitarint de statione ad supercilium montis locandâ, quod haud ęgrè poterant, neque demum, vbi rei necessitas patuit, arcem construxerint, vno hoc prætextu, quem præposterè quæsitum in momento prodidit hostis industria: atenim id bello cum omnibus quæ cœlo subiacent rebus commune passim, vt suas patiatur vices, quósque consilijs prudentioribus oracula dixeris, vanis sæpè rerum imaginibus deludantur; vix alioquin homines quibus ex naturæ fragilitate peccare innatum. Ab eâ hostium eruptione, quia illata ab alarijs strages fuerat, placitum diuidi exin in legionarios, & alarios stationes, vt si fortassis denuò erumperent equites ab equitibus exciperentur.

Alarij in stationes singulas distributi.

Espernonius prætor Aquitaniæ renunciatur.

Espernonius quamquam imperij ad eam obsidionem expers, valla tamen quotidie, & oppugnationes Regio iussu explorabat, oberratísque castris, pleraque vir experientiæ defecatæ concilio militari proponebat, quæ in melius verterent; cùm Regi donari virum haud immerentem placuit prætoriâ Aquitaniæ præfecturâ, quam ille iamdiu in votis habuerat, dignus qui Mayennio Principi, eo munere magnâ laude defuncto succederet; vt hodie quæcumque in nobilem cadere possunt, obtinuisse dici possit, si Galliæ ensem eximis, quem & puto illi aliquando fortuna rependet.

Septem-

Prid.Non.Septembr.in Mommorancij metationem eo furore erumpit hostis,vt consternati vigiles vix prælium ausi valla deseruerint; adesse intereà Zametus Castrametator,fugaces quà minis,quà precibus, cohortationibúsque in pugnam retrahere; restaurari prælium, delectúque nouo suppletis Regiorum excubijs retrudi magnâ iacturâ hostis. Cùm victor Zametus aliò pedem referens, à Peironi propugnaculo,dum Coudronum alloquitur tormentariâ pilâ lethaliter petitur, quæ post collisum Coudroni femur, cæsos equum, pedissequúmque inter vtrumque medium, effracto Zameti crure, equum, equitémque deijcit, vnde paulò pòst magno omnium mœrore occubuit. Vir erat, prosapiâ Italus, magnis animo, & experientiâ,cuiusq; virtuti non parùm eo bello debitum nemo neget; Castrametatoris diu officio functus viam sternere dicebatur, quæ ad Galliæ Marescalli præfecturam ducit, obtinuerátque haud immeritam dignitatem, nî præcoci, glorioso tamen fato finijsset.

Hostis erũpens à Zameto retruditur.

Zamet.

Cou-,dron.

Cæsus Zametus magnum sui desiderium relinquit.

Roquelaure.

Zameto substituitur Roquelaurus,vir laboris admodùm patiens, magnâque apud exteros virtutis famâ. Manualia ad eamdem Mommorancij metationem opera designabat Meinius, qui hodie Baro Chabanus appellatur, quem eâ arte aiunt in hostiũ munimenta produxisse vallum, vt nullâ suorum iacturâ penè in fossæ munimenta extima penetrarit eâ parte Mommorancius. Excubijs hic ordo impositus,vt vigilem ad valla legionem sustineret non proculà vallis legio integra, in quadra militaria distributis gregarijs, quod sæpius hosti erumpenti

Roquelaurus Zameto substituitur.

LeMeine. Chabã.

excidio fuit, subitâ nec præuisâ coaceruati agminis irruptione.

Portesij virtus commendatur.

Non multò pòst tentatâ obsessi eruptione, vacillantes excubias agebant in fugam, cùm Portesius Castrametator ferro ad manum, cetera inermis, accenso ad pugnam milite, haud leui hostem dispendio in munimenta retrudit, vnde magnum sibi promeruit decus.

Gaborinus glande occumbit.

Posterâ die, quæ in Septembris V. incidebat, ex aduerso ad oppugnationem prætorianam, Pedemontanæ cohorti valli producendi munus incubuerat, cùm Gaborinus manualis opifex agnoscendo hostium munimento caput vallo exerens glande transfoditur, magnâ viri haud inexpertis iacturâ. Collimatáque exin in cornua quæ eâ parte assurgebant tormenta quatuor, quæ indesinenti ad vesperam displosione, munitiones doliares disijciunt.

Intermissâ verberatione in Nauarræam cohortem hostis erumpit, tentatóque incassum Regiorum claustro, Porcherij coaceruatum agmen ductantis virtute retruditur, vbi Campesium Nauarreæ cohortis præfectum captum ab hoste memorant.

Porcheres. Deschamps.

CAPVT VII.

EPITOME.

Indicitur in cornua inimica oppugnatio duplex, præscriptóque ordine expugnantur. Cæsi vtrinque plures. Irreligiosum hostium stratagema, quo cadauera insepulta

iacent. triginta quinque machinis muralibus vrbs verberatur. Roquelauro exitiale in alienos officium. Regiorum strages & fuga. Bassompetrus manu subsidiariâ accurrit. cæsi præfectorum plures. Roquelauri magna iactura. Rex subsidiariæ hostium cohorti in occursum impigrè properat. Nouis delectibus suppleta acies. Vindocinensis, qui quatuor hominum millia ducturus sperabatur, vix mille supra quingentos ducitat. Lesdiguerius quatuor legionariorum millibus Regis exercitum auget. initur de pace concilium. conuocati primores. Comestabilis de pace ineunda oratio. Principis Condæi bellum suadentis item oratio. in vtramque partem agitatâ abundè quæstione in pacem conuenitur. Condæus præ ira exsoluendo in speciem voto in Italiam pergit.



EMICYCLVM firmabant hinc inde cornua, quæ Regijs indesinenti displosione suprà quàm dici possit obnoxia, oppugnari placuit. Nec mora, prætorianæ, Pedemontanæ, Nauarreæ, Normannicæ, Estissacique cohortibus datur id muneris, vt habito militum delectu, nempe ex qualibet cohorte centurijs duabus in hostem irrumperent. Dextrum Pedemontanæ, quam Nauarræa sustinebat, læuum Normannicæ, cui prçstò aderat Estissacea, agmen medium prætorianæ incumbit: quia tamen iam antè sæpius agnita legionariorum vbi soli dimicabant ignauia, placitum deligi ex cataphractorum ordine quolibet alarios decem, qui in tres diuisi manipulos legionariorum ad tres oppugnationes vestigia premerent, succederéntque

Indicta in cornua oppugnatio.

Præscribitur in oppugnationem ordo.

in prælium; nec defuere muneri suo nobiles voluntarij prætorianã cohortem magnâ ex parte sequuti.

Expugnantur cornua

Perobscura nox erat, cùm Regij postquàm carbasea ferreis thoracibus indusia superinduxerant agnoscendis se inuicem, in cornua vi ingenti irrumpunt, quę diutino, grauíque pręlio expugnantur demum, cęsis hostium octuaginta, legionariorum Regis quinquaginta, nobilium decem, quos inter Tarautius vir magni animi Montísque-Pessulani, iuri dicundo præfectus, Luyneæ fortunæ superstes adhuc, eques Manicanus, Lagoüs, & alij. Paulò pòst missus ad hēmicyclum tympanista, qui retrahendis hinc inde cadaueribus inducias peteret absistere procul iubetur, vt cadauera vtrinque insepulta iacuerint, donec Regij vallis huc sensim productis, triduò pòst, demortuis iusta exsequiarũ persoluunt; quod religionis officium, etiam suis ab hoste ideò negatum referunt, vt fœtore cadauerum, nõ procul hinc Regiorum statio malè afflaretur, cogerentúrque loco absistere stationarij. Crudeli sanè, ignotóque ipsis etiam barbaris stratagemate, maximè vbi suorum promiscuè cadauera iacebant cum Regijs.

Cæsi vtrinque plures quos inter Tarautius.

Tarautius.

Manican.

Lago.

Irreligiosum hosti ũ stratagema

Triginta & quinque tormenta vrbem verberant.

Præcipiti mense, supra quinque machinæ murales triginta, Schombergi tormentorum præfecti diligentiâ, opitulantibus Boissiero, & La-Moliero eius legatis, quà in munimenta, quà in ædificiorum ruinam collimatæ, nullâ intermissione disploduntur; producebatúrque vallorum opus, cùm diuturnioris impatientiâ moræ, visum ex necessitate oppugnari quæ superabant cornua. Discurrentibus huc illuc ad imperia præfectis, Ferronus, Bordetúsque

La Boissiere.

La Moliere.

Ferron.

Bordet.

Nauarrææ cohortis centuriones vnâ eâdémque glande occumbunt.nec minùs ideò paratis in oppugnationem omnibus, cuniculis subdebatur ignis, cùm interim tormentariâ pilâ cæsus Castronouanus, vir magni rebus gerendis momenti, prætoriorúmque præfectus, irrupturos subito terrore consternat.

Castelnau.

Cæsus Castronouanus terrorem suis incutit.

Enaporatis minore quàm speratum ruinâ cuniculis Nauarræa, Estissacíque cohortes prorumpunt, póstque diutinum prælium cæsis Cerano, Frenellesióque prefectis magnâ iacturâ propulsantur; quod vbi à Roquelauro agnitum, vallo inter vtramque oppugnationem medio (lineam communicationis appellitant) à Mommorancij metatione, vbi Castrametatorem agebat, ad Regiam præceps accurrit; at enim præposterum in alienos beneficium illi excidio vertit. Vix enim Nauarræis opitulaturus conseruerat manum, cùm lethali glande traijcitur, cadit insimul Castrametatoribus subsidiarius à Sancto Ioanne vir strenuus, Fretæus Estissaceæ cohortis primarius signifer; Plessius glande ad oculum petitur. Iámque in fugam abripiebatur miles, cùm Bassompetrus ferro ad manum, Guitantum quinquaginta Pedemontanæ cohortis militibus sequi iubet, nec diu cùm glande cadit Guitautus, cui substitutus Guiermontius plumbo item occumbit, nouum Guaüs manipulum ductat, glandéque traijcitur. Donec Espernonius, desperatis rebus, Nantasium iubet centuriam in eam partem ducere, sequuti voluntarij nobiles acri prælio hostem in fugam agunt.

Ceran. Frenelles. Roquelaure.

Roquelauri præposterũ in alienos beneficium.

Regiorum strages & fuga.

S. Iean Aide. Freté. Plessis.

Guitaut.

Bassompetrus in subsidium aduolat.

Guiermont. Gua.

Náras.

Commendatos ad eam oppugnationem memini Espernonium, Bassompetrum, Valancęúmque, quibus debitum victoriç decus; quamquam lethale foret sic sępius vincere; irreparabilis quippe tot inter nobiles Roquelauri Castrametatoris iactura; Gallus natione, diu subsidiarijs apud Venetos exteris magnâ laude præfuerat, neque aliam ob causam venisse in Galliam circumferebatur, quàm vt à Rege Venetis in bellum Rhæticum, quod tunc ad Valtolinam gerebatur, auxiliares copias impetraret. Eâ legatione defunctus, gloriâ impellente nectebat in castris moras, delatíque sibi Zameti nece necessitate imperij, Castrametatorem agens, protelabat Venetias reditum, cùm glande nimis officiosus occumbit; officiosum dixi, cùm enim prætorianis eius oppugnationis incumberet onus ad Regiam metationem, non erat quòd Mommorancij, cui merebat, desertis castris, ex aduerso in prætorianæ cohortis subsidium præceps accurreret; stationem suam adeò iussis tueri ipsis præfectis, vt piaculum habeatur etiam conferendæ alibi manui eam deseruisse.

Magna Roquelauri iactura.

Magna item Castronouani in prætoriana cohorte præfecti iactura fuit; petentibúsque ingenti contentione opimam eius præfecturam primoribus, postpositis Rex omnium votis, Estissaceæ cohortis primarium centurionem, veteranum militem vocari iubet, habitâque virtutis vnius ratione, haud immerentem eo munere donat: condignam Rege remunerationem, qui posthabitis gratiâ & fauore vnam coronasse virtutem gloriæ ducit.

Prætorianæ cohortis præfectura donatus primarius Estissaceæ cohortis præfectus.

Iam ſuprà memorauimus, lectos à Rege primores aliquot, qui collectis manipulatim amicis, alariorum expeditas turmas, ſubſidiarijs hoſtium viam auſis opponerent, quod magnâ laude actum, ipſo Rege qui duas ſibi turmas delegerat, excubias paſſim agente, noctè interdiúque.

Miſſus intereà à San-Gerano alariorum præfecto ad Regem nuntius, quo obſeſſis militare ſubſidium non vrbe procul adeſſe monebatur, impulit equo impigrè inſiliret, in eámque partem præceps ferretur; non alibi nobilium erga Regem amor apertiùs innotuit: peruadit illicò rumor Regem in occurſum hoſti properare; nec mora, nobiles turmatim accurrere, ſequi tumultuariò pars loricati, pars inermes, quà viam Rex præuius demonſtrabat; initóque nobilium numero, inuenta duo millia. Primam aciem ductabat Eſpernonius, qui, quamquam prouectiore iam ſenectute, generoſum equum conſcenderat, veſtéque coloratâ armillis & auro diſtinguentibus ſericum, primæ adoleſcentem lanuginis glorioſè mentiebatur. ſtipabant primorum turmę, quibus adequitabat Rex medius, ſcintillantibus prælij æſtu, oculis, alarióſque quà geſtu, quà voce ad pugnam accendens.

Rex ſubſidiarijs hoſtium copijs in occurſum properat.

Non diſtulit qui ſe iam viæ commiſerat hoſtis ad vnum Regij occurſus nuntium pedem referre, donec ſyluæ profundioris anfractus, quos diù antè inſederat tenuit; vbi notari par eſt armatum diu, noctúque Regem, viginti quatuor horis vix vllâ quiete hoſtes inſequutum.

Rareſcentibus, morbo autumnali, cladibúſque

Nouis delectibus suppleta acies. iam sæpe acceptis, ordinibus, nouis in dies delectibus restaurabatur exercitus, nempe cohortibus San-Chaumondi, Vicecomitis Lestrangij, Vilarsiique, quorum hic ad Sancti Dionysij collem, cæsis Sambreto, & Fabreguesio successit. Paulò pòst expecta- *Sainct-Chaumont. Lestrange. Vilars.* *Vindocinẽsis mancas cohortes ductat.* tus diu Vindocinensis, qui quatuor legionariorum millibus, in subsidium oportunè adfuturus sperabatur, vix mille supra quingentos, exercitum auget; quod in eum inuidiam auxit. stipabant cohortes, Chapesij, Pompadourij, Comitis Maritimæ Britannica, Castrametatore Halierio; Pompadourij, *Martigue.* Britanniceque cohortibus Peironum inter & Mommorancij oppugnationem præscripta metatio, Chapesianæ ad Regiam verberationem commissum vallorum munus. *Lesdiguerius quatuor hominum millibus adest.*

Ex aduerso Comestabilis postquàm in vniuersum de pace cum Rohanæo conuenerat, ex Viuariensi in Narbonensem prouinciam, cum expedito exercitu venit; legionarijs quatuor millibus, alarijs quadringentis, Castrametatoribus Saultesio & Turnonio, viris prosapiâ illustribus, Talaróque; alariorum ordines quatuor ductabant præfecti totidem, quos inter Comes Lieguensis vir strenuus. *Du Sault. Tournon. Talar. Liegue.* Aucto his copijs exercitu Regis, iam erat desperata Rebellium salus, cùm in pacem inclinans Comestabilis, seu Sectarijs olim suis id etiamnùm gratiæ rependere auebat, seu ità ex rerum necessitate videbatur, Regem perinuitum suasionibus importunis adegit, vt de pace cum Rebellibus ineundâ suaderi se pateretur. *Initur de pace consilium.* Habito super eâ re districtè concilio contrarijs hinc inde studijs actum. Conuocati

Condæus

Condæus Princeps qui tractatam se inconsulto pacem querebatur, Comestabilis, Schombergúsque ex gente armatâ; ex togatâ Commartinus Procancellarius, cuius consilio minimum tunc erat rebus gerendis momentum, Pisiusiúsque, Brulardi magni, Galliæ Cancellarij filius, ingenio sagax, magnæque morum innocentiâ & virtute apud Regem auctoritatis.

Iussus à Rege Comestabilis sententiam dicere in hæc verba silentium fregit. Neminem latere posse quin sua non parùm intersit bello nunquam finem imponi; Comestabilis se, immenso Regis beneficio dignitate donatum, etiam Principibus Gallis præesse, vbi in prelia classicum sonat, potiorem esse Comestabilis inter arma præfecturam, quæ pace diuturniore vilescat, vnde in comperto sibi ipsi aduersari, qui, rebus sic stantibus, pacem exposcit; neque sibi obijci posse imbellis animi labem; bellis olim Galliæ intestinis, externísque nimiùm notũ se, quàm vt ei postulationi subiaceat. Quæ cùm ità sint posse se audacter de pace ineundâ sermonem instituere, qui bellis gloriosè insenuerit, (absit fastus eloquio) nihil esse intra vel extra fines imperij Gallici, quod pacem hodie non proponat, velut summum Galliæ bonum. Reuocandum in memoriam, pristinum Galliæ decus, florem liliati imperij, qui tribus abhinc annis ità emarcuit, vt quæsita hodie in seipsâ Gallia infelix, vix prodere quid possit quod illam exprimat; cumulatas ruinas ruinis, funera funeribus, veteres bellorum ciuilium flammas nouis incendijs auctas, paricidia in dies nouis atrociori-

Comestabilis suadenda paci oratio.

búſque congeſta parricidijs, ſcelerum omne genus impunè debacchatũ, ex regno olim florentiſſimo, quæ eſt eius calamitas, feciſſe ruinæ omnimodæ, excidiorum, flammarum, incendiorum, parricidiorum, omnium denique ſcelerum lugendum reliquo orbi theatrum; ſubire tandem aliquando debere Regis animum eam cogitationem, Gallos eſſe qui ſe inuicem inauditâ feritate ad internecionem iugulant; parentes, filios, fratres, agnatos ſe mutuis hoc bello vulneribus in Gallię ruinam deſtruere, quæ dum ità intrà Gallici fines imperij luctuosè Regno nobiliſſimo cedunt, explicare in eius excidium oculos vicinum hoſtem, cuius ſtomacho decoquendis alienis ditionibus adeò innatus calor, vt nihil euomat,id abundè teſtari Vallem-Tolinam, vbi gens innocua,vno religionis prætextu opprimitur. Neque aliam oppreſſionis re verâ cauſam, niſi quòd ab Hiſpanis in Belgium, Germaniam, Italiámque hàc facillimum iter, poſitúſque regnorum auidis in plano tranſitus: nec adeò diſſitam inde Galliam, quin à vicino hoſte timendum illi vehementer, vbi futurus victor. relictam tacitâ maiorum traditione eam legem,quâ vicinas inter nationes,quarum æqualis potentia, expedit medium eſſe obicem,quo terrarum communio,ditioníſque alienæ vęſana libido inhibeantur; quam politiæ legem Hiſpanos præ ceteris ſpectare nemo ambigat. mutandam in melius belli infeliciùs in Gallos ipſos initi rationem, confœderatæque nationi opem inferendam, quam & Veneti enixiùs petunt: id iure ſuo Rempublicam poſcere, quæ nunquam Galliæ Re-

gibus defuit, id gentem innocuam flagitare, quæ ab Hiſpano oppreſſa, non habet in promptu tutelarem Deum, cui lubentiùs ſalutem ſuam credat, quàm Galliarum Regem. Nihil eſſe, quo pax quę ſummum omnium bonum eſt differri diutiùs debeat, nullam bello ſalutem, maximè quod in ſubditos geritur. diſcerpi mutuis hinc inde vulneribus viſcera, ſanguinémque effundi qui iure meliori bello in Barbaros debeatur. Enimuerò, inulto Rege, iniquam eſſe vel ipſam de pace cogitationem, neque ſe profligatę adeò mentis, qui pacem tractare contendat non proſtratâ penitus perduellione ; primum id ineundæ pacis fundamentum; extirpandum radicitùs Rebellionis ſemen, vníque Regis clementiæ ſtandum. initum à ſe recèns, auctore Rege, cum Rohanæo de pace colloquium, tacitâque lege in id conuentum, quod Regi honori, Galliæ vtilitati & commodo vertat. Nemauſum, Vticam Mon tempeſſulanum, Fuxenſem agrum, imò & Rupellam ipſam diſſidij caput, eius ſtatim ac fidẽ Regi pręſtiterit, ſequuturas veſtigia. Nec dubitare ſe quin crimen ſit omnium maximum Regi ſuo, temerario auſu bellum intuliſſe; bellorum tamen egregios fines quoties ignoſcendo tranſigitur. Ceterùm vix bello diuturniore ſperari poſſe, quod vna dies nullo diſcrimine offerat: atenim ſi tormenta, pœnalibus iudicijs, capitibus noxijs adhuc debita videbuntur, vnam ijs pœnam eſſe omnium maximam, conſcientiâ vltrice vitam infelicem protrahere, quibus quantò longior vita, tantò plus ſupplicij erit.

Hîc peroratus circumſtantium in ſe conuertit

ora & animos, cùm Condæus Princeps iussus sententiam dicere, sic præfatus est.

Ceteris mortalibus in eo stare consilia, quid sibi conducere putent, Principum diuersam esse sortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda. Neque exspectandā imperij Gallici tranquillitatem pace intercedente, quam aut breui extinguet fortuna malignior, aut mutabit in peius atrocitas belli; alta pacis fundamenta non nisi bello diuturniore iaci, quæsitam præcoci auiditate, sin mauis segnitie pacem, vbi illam inueneris, in peius ruere, ipsísque interdum auctoribus excidio vertere: pacem Deam omnium optimam, quæ vt bello vno destruitur,ità bello eodem validiùs stabilitur. tentanda in pacem omnia ad primum belli ineuntis exordium; at si semel conserueris manum, delendos ad internecionem hostes, aut ità habendos in vinculis vt triumphi exin magè, quàm rebellionis indices esse possint. Ceterùm ad famam Regis pertinere, perduellionis excidium, cui si innatâ sibi clementiâ parcit, impotentię dabunt exteræ nationes, quod humanitati debebitur. Non posse nisi iniuriâ haberi de pace cōcilium, rebus eò deductis, vt aut malè dispereat Rebellio noxia, aut se nullà lege Regis clementię dedat, quod in comperto est, quàm sit hodie ab eius mente alienum. Cētum supra quinquaginta vrbes, totidem Sectariorum Rebellium arces à Rege expugnatas, quod residuum est, inediæ magis, famíque deberi, quàm gladio: superesse Rupellam, Montalbanum, Amilianum, Castrum Albigensium, Nemausum, Vticam, Fuxensem minoris momenti prouinciam;

namque Montiſpeſſulani conclamatã ſalutẽ nemo abneget. Rupellam terrâ, mariq; validiſſimis cinctã exercitibus, illinc à Guiſio quà mari alluitur, hinc à Sueſſione,non habere vnde diu ſubſiſtat, cõmeatu, cõmerciòq; penitus intercluſis:Montalbanũ à Theminio meſſe autumnali deſtitutum,annonâ,circumiectíſq; olim arcibus deficientibus, vix in ver proximũ deditionẽ protelare poſſe, inediâ tabeſcere præſidiarios,fame extingui oppidanos;nec poſſe in dubium trahi,quod nouis in dies nuntijs confirmatur: adhibituras operi ſupremam manum hyemales glacies, ad quas aut frigore rigebit miles, aut ſuperimpoſita trabibus ędificia diruet, parando vrbis ruinâ ligno. Caſtrum Albigenſium, Nemauſum,Vticam, vrbéſq; lõgiùs à ſe inuicẽ diſſitas, circumiectis agris Regio milite inſeſſis, vbi commercium libertáſque defuerint,mole ſuâ ruituras.Non aliàs ſperandum in Galliâ Rebellionis exitium; neque Sectarios cum armis, inueterata in Reges ſuos odia poſituros, mentituros ex rerum neceſſitate Regi fidem, quam veteri maiorum traditione violare amant, quoties iuuat: pollicitationes quibus incautis illudere ſtudent, Gomorrhęis pomis haud abſimiles eſſe, quæ intrinſecùs fauillaceę, ambitione cutis extimę cohibentur, vt vel leui preſſa tactu non niſi in fœtorem, fumúmque abeant. Si blandùm loquuntur, hyęnas eſſe; ſi lacrymis obtinere tentant quod petunt, Crocodilos; ſi armis abſtinent,meram impotẽtiam; confectos diludium à bello magè reparandis viribus expoſcere, quàm pacem diuturnam. Nec poſituros tam facilè odium, quo ſupra Reges reliquos

LVDOVICVM, vnum sectæ extirpatorem prosequuntur: tacitis primùm apud exteros factionibus, exin maiora ausos ad minimã dissidij auram, primoribus qui nimis quàm multi in Reges interdum rebellant adfuturos: eò positos hodie Sectarios perduelles, vt ex se nihil possint; vbi factio aliundè ingruet vehementer timendi. Bello extingui Rebellionis semen quod pace diuturnâ alueris. Ridiculum esse quod perduellionis tędio ductos adijcitur fidem in obsequio renouaturos, verba esse & voces, quęcumque paci ineundę consultò garriant; imò & ducendum validum hinc fluxę illorum fortunę argumentum, quos gentem suprà quàm dici possit superbam produnt ipsamet eorũ scripta, iactatæque ausu olim temerario in Regem voces; neque humili oratione deprecaturos bellum, nî desperatã penitus salutem agnoscerent. Deniq; posse quidẽ propositis cõditionibus iniri pacem, nunquã tamen à Condæo primario Gallię Principe obsignandã, futurã posteritati, ab eius consilij postulatione, immunem eius memoriã.

Præualet pax.

His multa addita, quibus posthabitis, Rex in Comestabilis sententiam iuit, pręualuítque de pace sententia; quod vbi à Condæo agnitum in Italiam iter meditatur, voto Virgini Deiparę exsoluendo, quasi nec sibi factum satis crederet, nî eo loco abesset procul, vbi in pacem conueniebatur. Principis ergo mentitus ora & habitũ in Italiam vno Annonæo comite pergit, Romæque proditus primarius Galliæ Princeps perhonorificè à summo Pontifice excipitur, quod graue tulit, seu fastum pietate Christianâ auersatus, seu libertate vitę, quam habet carissimam.

Condæus in Italiam voto exoluendo pergit.

CAPVT VIII.

EPITOME.

Vbi de pace Lesdiguerium inter & Rohaneum, conuentum, Rohanæus pactis inducijs Montempessulanũ subit. paci obsistit populus. Rohanęo periculum à suis imminet. vrbe absistunt pręsidiarij stipendio dimissi. Rohanæus obsignatâ pace Regem adit. Calongij Sectariorum nomine ad Regem oratio supplex. Diploma quo pacis leges à Rege præscribuntur. Conditiones tacitæ, Rohanæo, priuatimque vrbibus nonnullis concessæ. Diruendorum Montispessulani muniminum Valancæo munus incumbit. diruitur Castri Albigensium post pacem promulgatam Ecclesia Cathedralis. classis Regia. Guisius Rupellanam classem prælio instructo in fugam agit. pacem Rupellani orant. Ludouicæam arcem subit Campaniæ cohors præfecto Arnaldo.



OST indictas hinc inde in triduum inducias, vrbis matronæ, virginésque, quas habet loci genio Monspessulanus supra reliqua prouinciæ municipia, & plures, & formâ pulcherrimas, ad munimentorum ruinam turmatim accurrere, placidéque exceptos nobiles Regios, quos nuper petebant ad mortem, amicè compellare; donec exacto mutuis vtrinque colloquijs triduo, Rohanæus Nemauso Montempessulanum venit

Virgines matronæque vrbis nobiles Regios amicè compellant.

suadendæ seditioso populo paci. Spargitur intereà per vrbem tacitus rumor, non in aliam causam venisse, quàm vt amplam sibi fortunam oppidanorum excidio strueret; eum inter & Regem de pace conuentum, quæ eius vnius commoda spectans, vrbem Regis arbitrio linquat, nempe à milite diripiendam, ferro dein & flammâ vastandam. moriendum aut præuertendã nefariam scelerati capitis proditionem. Hæc oppidani. Cùm ex aduerso præfecti militum, ipsíque præsidiarij, quos aut iam magnâ ex parte obsidij diuturnioris tędebat, aut in partes suas donis, pollicitationibúsque traxerat Rohanæus, Regi parendum clamant, vbi de pace cum Rohanęo Reformatorum in Gallia imperatore conuenerit; datas ei, Comitiorum generalium auctoritate, liberas pacis ineundæ habenas, cui obstare velle proditio sit. Ceterùm aut obsignandas conditiones, quas ipse subscripserit, dum ne libertatem publicam opprimant; aut nullâ misericordiâ ad internecionem iugulandos qui obstiterint.

Rohanæus vrbem ingreditur.

Paci obsistit populus.

Mutuas inter populi, pręfectorúmque altercationes, parum abfuisse memorant, quin Catarinotæ, gens desidiosa, flagitiíque capax, qui iam facto agmine Rohanæi circumsteterant ędes, ferro illum transfoderint; imò iam perierat infelix dissidij victima, nî Calongius validâ præsidiariorum manu seditionem compescuisset.

Rohanæus de vitâ periclitatur.

Superabant etiamnùm dubia quædam in quæ nondum penitus conuentum fuerat, irritísque hinc inde delegationibus, placitum haberi Rohanæum inter & Comestabilem colloquium: ad Dionysiani montis

Petitionibus Rebellium fit satis.

montis decliue conuenitur, Rohanæum ſtipant Nemauſi, Vticæ, Caſtri Albigenſium, Amilianíque Oratores, quibus Regiâ clementiâ factum ſatis.

Vrbe ſoluto ſtipendio abſiſtunt præſidiarij.

Poſtquàm in pacem conuentum, vrbe abſiſtit præſidiarius miles, extimáque inter munimenta & muros ſtationem locat; donec ſtipendio, quod vnum operiebatur, dimiſſus eſt: ſuccedunt Regiorum quatuor millia, quibus prætoriana vigilum, Heluetiorúmque cohortes conſtabant.

Rohanæus Regem alloquitur.

Poſterâ die, quæ in XV. Kalend. Nouembr. incidebat, Rohanæus poſito enſe Regis genibus aduoluitur ſupplex, veniámque proditionis precatur & pacem. Nec plura loquutum Rex gratè excipit, vitâque meliore Rebellionis crimen impoſterùm diluere iubet. Paulò pòſt Montiſpeſſulani, Vticæ, Nemauſi, vnitarum in Gallia Narbonenſi vrbium, Cebennarúmque Oratores, proloquente Calongio diſſidia inter Montiſpeſſulani præfecto, in hæc verba Regem compellant.

Calongij ad Regem oratio ſupplex.

Adeſſe Sectariorum Galliæ, Benarniíque principatus prouolutos ad genua humaniſſimi Regis Oratores, perduellionis primùm veniam petituros, dein pacem, ſi quid preces enixæ valent. Neminem diffiteri, quin æquitas ſupremo addicat ſupplicio, quos Principis immenſa clementia, quos innatus illi erga ſubditos amor patibulo eximit. Si quæritur proditionis cauſa, non aliam eſſe præter eam conſcientiæ libertatem, cui populi omnes innato erga religionem ſuam affectu impenſiùs ſtudent: atenim colorem hunc perduellio-

ni ab ijs quęsitum, qui bella appetebant; quippe qui ſperarent futuram ineundi belli rationem omnium optimam, quæ pro religione faceret. Nec diſſimulandam coram Rege, qui Deum exprimit, vnam veritatem; capta communi Eccleſiarum aſſenſu arma in ſpem vindicandæ eius libertatis, quam breui tacitis inimicorum factionibus opprimendam rumor erat: at vbi agnitum non cogi à Rege conſcientiam, quam Deus vnus pro arbitrio moderatur, depoſitam in momento Rebellionis feritatem, Regiſque ſui genibus humillimè aduolutos vrbium Oratores, qui, ſi vnam eximis conſcientię rationem, nihil ad reliqua libertatis expoſcunt. Natos ſe in ſuauiſſimo Regiæ poteſtatis iugo, quæ libertas ſit placidè ſeruiens; natos ſe in Galliâ, vbi Reges amaſſe hereditarium ſit; ab ijs ortos, qui parandæ Henrico olim IV. Galliarum coronę ſanguinem & vitam impenderint: neque Principem diu gratiam illis debuiſſe, collatis in eorum progeniem tot beneficijs, vt ingrati animi labes manifeſta ſit in protectoris ſui heredem, in LVDOVICVM Regem omnium maximum arma conuertiſſe; ſcelus nullis expiabile flammis, niſi eius atrocitatem leniret conſcientię libertas, quam ſenſim abreptam imponebant quorum in ſeditionem inclinabant affectus. Quod vbi procul eſſe à Regis animo agnitum, omnium votis in obedientiam itum, ſtatutúmque pacem precibus impetrare; Rebellibus parum debitam gratiam, Regis tamen clementiæ, quæ ſubditos omnes vno affectu proſequatur conſentaneam. id ſperare gentem olim Rebellem, hodie nullis

conditionibus ad imperia mancipatam.

Ad hæc Rex; Enixis primorum precibus exoratum ſe vt pacem perduellibus indulgeret, qui, niſi immenſo crimini gratia in immenſum rependitur, cadere ad internecionem debuerant; Deum tamen imitari ſe, cuius imaginem præferat, dum vitæ anteactę penitentiâ ductis parcit lubens in ſpem melioris vitæ. *Regis reſpõ-ſum.*

Poſterâ die vrbem Rex ingenti ipſorum etiam Sectariorum applauſu ingreditur, vbi ſex diebus moratus, diploma quo pacem ſubditis indulgebat promulgari iubet in hæc verba.

LVDOVICVS DEI GRATIA Galliæ & Nauarræ Rex, vniuerſis præſentes litteras inſpecturis S.



HRISTIANVM Principem, qui Deum timeat, abhorrere ab effuſione humani ſanguinis hinc maximè decet, quòd Omnipotentis imago in homine cæſo inclementer impetitur; vnde nec ei ſolùm bellis ciuilibus perniciosâ regnorum peſte abſtinendum; ſed & quærenda attentiùs conſeruandę ſubditos inter concordię ratio quælibet, quò & debitam Regi fidem præſtent & *Diploma pacis.*

placidâ insimul communione vitam traducant. Testem adesse Deum, cui & vitã Reges & coronam debent, eorũ, quę pacandis Regni dissidijs plusquàm intestinis, à primà belli origine gessimus. Testem Galliam ipsam, testem reliquum orbem, quo Nos iure, quâ necessitate auctoritatem Regiam armis vindicare coëgerit subditorum Rebellio; seu quibus primi ad pueritiam nostrã tumultus bellici debẽtur; seu vltimò Sectariorum perduellium, eorũ quos vęsana libido nuper ad arma impulit, qui dissidijs, publicísq; Regni felicioris calamitatibus, velut in luto sues saginantur. quæsitũ pręposterè moti in Regem suum belli prętextũ, ab oppresśâ libertate conscientiæ, quam nemo illis maiorum nostrorum, quod nec ipsi diffiteantur, sartam tectam sanctiùs habuit. Decessorum nostrorum felicis memorię Regum edicta, in eorum fauorem inducta, ne pessum irent curauimus; tentauimus ad primum mali nascentis exordium extrema quælibet, quibus irritis, immenso dolore cepimus arma, quæ protectionis iure meliori quis arma dicat, quàm oppressionis, vti falsò imponere studuit Rebellioni quæsitus color. Hęc Nos oppressionis iniqua postulatio etiam inuitos adegit, vt potestate quâ immediatè à Deo regnamus, in perduelles tandem aliquando vteremur; gestum ex voto supra fidem feliciter; donec nullâ effugij spe perduelles depositâ feritate, clementiæ nostræ genibus prouoluti, Principis arbitrio sui credidere, quod antè armatâ manu tentauerant.

Quę cùm ità sint, Nos ad clementiam naturâ proni, post vindicatam armis auctoritatem, vnâ po-

puli afflicti commiseratione,in eam sententiam inclinantibus Principibus, Ducibus, & Galliæ Paribus,Coronæ Gallicæ ministris, quibuslibet demum Concilij nostri Senatoribus,diximus, decreuimus, declarauimus, dicimus, decernimus & declaramus; id ex mente nobis esse quod semper fuit, vt Edictum Nanneticum,prout in Parlamentorũ acta relatum est,sartum tectum imposterum habeatur; restauretur fidei Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ vbicumque intermissum fuerit exercitium, neque à decimarum, fructuúmque quorumlibet, qui ipsos ratione officij spectant perceptione, priuentur Ecclesiarum possessores.

Religionis insuper,quam Reformatam dicunt facultatem liberam, vbi fuit antè, concedimus ; iurisdictionum sedes,Rationum & Vectigalium Cameras, ijsdem locis restitui placet, vbi à Sectarijs olim iura reddebantur, exceptâ Neraci Camerâ vnâ,cuius sedi postauditos Aquitaniæ Oratores ex æquo prouidebimus.

Placet munimina quælibet noua, vrbium, arcium, pagorum, Castrorúmque quæ hodie Sectarij detinent, æquari solo ; maximè quæ ad insulas Riæ, Oleronæámque recens constructa sunt, immutatis reliquis, nempe veteribus muris, portis, & turribus.

Inhibitum posthàc volumus quibuslibet Sectariorum municipijs, prętextu quolibet, munimenta, fossas aut muros de nouo excitare.

Quæ vt ex datâ fide procedant, obsides nobis ex delectu dabuntur, quò in eam rem delegati iuxta

monitiones legémque quam ipsis pręscripseremus, muniminibus diruendis tuto, sedulóq; incumbant.

Iubemus, vrbes Rebellium quaslibet, quæ post decimum quintum à primâ huius edicti promulgatione diem, pacis subierint legem, edicti beneficio frui nemine reclamante.

Quia Comitia sæpius indixisse, ipsis Sectarijs exitiale fuit; inhibemus imposterum Circulos, Cõcilia, abbreuiatas Synodos, Comitia, quaslibétque illegitimas conuocationes ad pœnam criminis, quod nõ nisi capite diluetur; nisi nobis interdum ex causâ contrà placuerit. Quamquam non ea nobis mens, vt Colloquia, Consistoriíque collegia, quæ eorum conscientiam spectant, penitùs proscribantur.

Gesta perperam ab ineunte Ianuario anni reparatæ salutis M. DC. XXI. ad hodiernam diem condonamus, exceptis criminibus execrabilibus, quæ edictum Nanneticum articulo LXXXVII. continet, quorum apud Magistratus nostros iudicium esto.

Concedentur priuatim Brisonio, Priuatiensibúsque diplomata, à postulatione quælibet in eam diem liberatoria.

Quòd de Rationalibus ęrarij nostri est, qui vectigalem pecuniam, inter armorum dissidia vi maiore adacti, hosti cessisse produntur, placet edicti, eâ parte Nannetici obseruari articulos LXXVIII. & LXXIX.

Quælibet Parlamentorum placita, Magistratuúmque inferiorum sententias, decreta, ceteráque id genus, quæ inter armorum licentiam in Sectarios

lata prodentur, iuxta eiusdẽ Edicti articulos LVIII. LIX. & LX. irrita esse placet.

Contrà, valida sunto iudicia quælibet lata Sectarios inter ab armorum præfectis, seu ciuilia fuerint, seu pœnalia.

Statim ab huius edicti promulgatione, libertate donentur captiui hinc inde nulla redemptione, irritis quibuslibet obligatorijs schedis, quas libertati obtinendæ subscripserint, nisi eas iam numeratâ pecuniâ dissoluerint.

Schedulę obligatoriæ, nomina, rationes, actiones, officia, honores, gradus & dignitates non aliâ causæ cognitione ijs restituentur, quibus belli atrocitate prærepta fuerint; nihil obstantibus fisco addictionibus, donísque quibuslibet à nobis in priuatos collatis: exceptis tamen militię muneribus, de quibus antè liberè inter partes conuentum fuerit, aut quæ nobis in alios remunerandæ virtuti conferre videbitur, pręstitis priùs indemnibus, qui ea possederint.

Quæ omnia iuxta Nannetici edicti articulum LXXXII. obseruari placet, delegandis pro arbitrio præfectis militiæ, & magistratibus, qui id negotij ex data sibi formula gerant.

Mandamus dilectis, fidelibúsque Parlamentis nostris, Cameris Edictalibus, Nomarchis, Seneschallis, aut eorum Legatis, & quibuscumque Iudicibus, ad quos placiti nostri exequutio spectat, curent quàm citè edictum hoc legi, promulgari, & in acta sua referri. Procuratoribus item fisci nostri, eorúmque substitutis committimus, prospiciant ne quid contra diplomatis huius formulam fiat. Ita enim

placet. In cuius fidem præſentes litteras ſigillo noſtro muniri iuſſimus.

Datum Monſpeſſul. XX. Octob.ann. à reparata ſalute M. DC. XXII. Regníque noſtri XIII.

LVDOVICVS.

Auctore Rege.

PHELIPPEAVXIVS.

In maiore ex cera ruſa ſigillo.

Conditiones tacita Rohanao, Sectariorúmq; vrbibus cōceſſæ.

Diplomati huic accedebant tacitæ leges, quas vna Regi clementia dixerat; quibus Valeſiorum Ducatus opima & nobilis ditio in ſexcentarum mille librarum hypothecam Rohanæo cedebat. Póſtque ducenta illi librarum millia in remunerationem eorum quæ bello amiſerat numerata, deducitur in ſtipulationem Soubiſij penſio annua, quam illi Rex bellum antè pendebat, nouáque librarum ſex millium penſio Calongio conſtituitur. Præſtitæ item ab euerſione munimentorum immunes Rupella, Montalbanum, Caſtrum Albigenſium, Amilianum, Nemauſum, Vticáque; Rupella & Montalbanum omnino; quatuor reliquæ non niſi ex parte, vt ſemidiruta hodie munimenta præſtent magè inualidas vrbes, quàm ſi penitus deſtructa forent. Quod ad Montempeſſulanū ſpectat; ita lex dicta, vt munimina quælibet æquarentur ſolo, Conſuléſque impoſterum Catholici mixtim & Sectarij æquali numero crearentur, qui olim Sectarij omnes, quod exin

exin Regis arbitrio geſtum. Negata inſuper veteri titulo poſſeſſio vrbium quas ſecuritatis, matrimonij, fideíque obſides, Sectarij rebus olim felicioribus appellabant; extinctæ tum Miniſtrorum, tum Præfectorum vrbium penſiones; Stationariorum ſtipendia annua, quæ Reges pernicioſo exemplo, medij iam penè decurſu ſeculi de ſuo pendebant, proſcripta.

Interea dum ſtabiliendæ paci Mompeſſulani Rex crebriora concilia habet, triplici cohorte augetur exercitus, Monteſpani, Ragnij, & Tremontij quæ tribus hominum millibus conſtabant, placitúmque ſolutis magnâ ex parte cohortibus reliquis, ſtare illas in armis, donec iacta vbique firmiùs pacis fundamenta. Datum exin Valancæo diruendorum Montiſpeſſulani muniminum munus, quod ille Picardicæ, Normannicæque cohortium ſubſidio magnâ laude obijt, non ſinè Sectariorum murmure, qui parum ſibi ſeruatam fidem prçpoſterè querebantur.

Mon-teſpan. Ragny. Tre-mont.

Valancæo munus diruendorum muniminũ incumbit.

Preaux. In acta Toloſani Parlamenti, procurante Preauxio Regio in eam rem Oratore refertur diu expetitum diploma, miſsíque hinc inde à Maſuyerio Senatus Principe ad Sectarias vrbes nuntij, lætâ vbique acclamatione excipiuntur, eò poſitis Sectariorum rebus, quod nemo ambigat vt vnâ tunc Regis clementiâ ſtarent.

Neque hîc omitti debeat væſanâ priuati cuiuſdam libidine, ſtatim ac certus pacis initæ rumor peruaſerat, dirutam Caſtri Albigenſium Eccleſiam Cathedralem, prædæ minùs animo, quàm pellendæ

Caſtri Albigenſium poſt pacem promulgatã diruta Cathedralis Eccleſia.

Cameræ Edictalis, quam vnus ille, pedaneus Iudex habebat auctoritati suæ exitialem; neque penitus spe suâ cecidit: indebito enim tempore sacrilegos oppidanos Rex Cameræ translatione mulctauit, Insulæque eam Albigensium ex æquo restituit, vnde in Catholicorum necem diuerterat olim. Exin irritis ad Regem in dies delegationibus queruntur Sectarij sibi iniuriâ præreptam Cameram, vel dirutæ à pace initâ Basilicę vnâ postulatione indigni, qui eam supremæ iurisdictionis sedem aliquando obtineant.

Classis Regia. Nondum pacis nuntius ad Guisium venerat, cùm in hostilem classem fortuitò incidens instructâ acie dimicare statuit; prælio prescriptus hic ordo.

Primum agmen ductabat Sanlucanus nauigijs decem, medium Guisius quindecim instructissimis, vltimum Mantius sex, quorum primario à Virgine Deiparâ nomen. Circumstabant hinc inde triremes Galliæ decem, viginti & duo nauigiola, quibus supra mille ducenti milites vecti, prælij primipilo Boucio, viro haud inexperti. *Guise. S. Luc. Manty. Du Bouc.*

Guisium manum cum hoste conserit. Ad VI. Kalend. Nouembr. non procul à continente hostem Regia classis ad sancti Martini plagâ intercipit. Nec morâ triremes ad cursum expeditæ adornant prælium, intereà dum Guisius prætoriâ vectus, stipante Rupifulcaudio, lentiùs vehitur defectus vento. Diu irritis magnâ ex parte ictibus tormenta hinc inde disploduntur, donec obortus opportunè ventus, Regios magnâ vi in hostium classem impellit, nunquam acriùs dimicatum, cùm hostis flexis in obliquum proris, deficientem subitò Regijs ventum, plenis excipit velis, quibus iniquo

Marte certabatur, cùm subitò prætoriam circumsistunt pleraque facto agmine nauigia, quæ inter duo penè illi excidium inferunt: nexę rudentibus fibulæ in eam coniectæ, hostium arbitrio, quò lubuerit trahunt. Iámque malleolis, muricibus ignem præferentibus, hastis ardentibus, falaricis, aliísque id genus flammæ artificijs, quæ in eam coniecerat aduersus miles iam tota ardebat, nî magno illam Guisius animo, flammæ, naufragióque exemisset, quod non priùs actum quàm demersa in imum indesinenti tormentorũ displosione nauigia duo, vnde artificij ignes iaciebantur. ibi restin- guendo distentus igni Vinceguerra vir strenuus glande occumbit. Vince-guerre.

Liberatus ab incendio Guisius classe in vnum lectâ triginta hostium naues vndequaque circumstat, præstò adsunt Rupifulcaudius, Comes Ioignius, Sanlucanúsque eo impetu, vt nisi nocte diremptum prælium ad internecionem Rebelles cecidissent. Dilabitur secundùm tenebras hostis eò faciliùs, quòd Regiorum tesseram fortè inter dimicandum exauditam, vbi opprimebatur, velut clypeum opponebat, quo factum, vt tenebras inter minori iacturâ euaserit. *Magnum illi ab incendio discrimen.* Ioigny. *Nox prælium diri-mit.*

Posterâ die dissipatâ ad maritimam oram classe inimicâ, in Regios identidem incidebant collisæ naues, quas inter proprætoria tormentorum displosione continuâ in imum agitur; exin tria mercatorum nauigia, quibus annona Rupellam vectabatur in Sanlucani manus incidunt: vnde versâ in vrbis excidium eâ expeditione, ingens Rupellanos ha- *Regiorum victoria.*

buit mœror. Regiorum cæsi quadringenti, Rebellium duo millia, actæque in imum suprà proprætoriam, decem naues. Neque dubitabatur, quin Guisius fugaces diu insequutus, postquàm eos ad sancti Martini plagam interceperat, bello victorem faceret Regem, qui iam prælio triumpharat, cùm expeditâ cymbâ signum Rupellanorum militare in obsequij specimen ad eum mittitur, nempe eo colore, quòd pace iam subditos inter & Regem initâ, abstinendum armis; nec diu cùm datâ à Guisio viâ, positis vexillis, vmbulísque ad Regiæ conspectum classis, secundo vento Rupellam dilabuntur.

Iactura hostium.

Paulò pòst missis Rupellani ad Suessionem Oratoribus pacem orant: dimisso exin exercitu Regio, Campaniæ cohors, præfecto Arnaldo, LVDOVICI arcem subit, vnde etiamnùm hodie Rupellani se contra ius, pactámque pace initâ conditionem in vinculis esse queruntur; nouísque in dies ad Regem delegationibus diruendam arcem contendunt. de bello hactenùs.

Pacem Rupellani orant.


Champagne. Arnaud

Tandem ergo Titan è caligine prodit, tandem hyemales in frigore brumas extinguit verna felicitas, & puro incorruptóque aëris tractu, impuris omnibus exhalatis, tandem dies expetitus affulget. Faxit Deus in cuius manibus cor Regum est, suprema hæc sit Regiorum in Galliâ laborum meta, Sectariíque Regibus præstare obsequium suo dispendio docti, posita ad Regis vnam mansuetudinem arma patiantur otio diuturniore induci rubigine; ità illis, nobísque, parabitur post strages immensas aurei amœnitas seculi; ità placidi, pace diuturnâ, astri

aſpectu Galliarum lilia reflorebunt; ità vno omnes ordine à Rege habiti, Sectarij mixtim & Catholici, factionibus penitus abdicatis fraternâ inſimul caritate ſibi pręſtabunt operam. Ità LVDOVICVS cœli amor, deliciæ imperij Gallici, ità nulſo obice Rex Galliarum erit, cuius proditoria nuper Rebellio ſupremã æmulabatur potentiam. Procul abeſto Gallorum animis ſtabiliendæ in ſtatu Regio Reipublicæ liberæ libido impotens; qui in libera Regum ſeruitute naſcimur, quid malùm! mangonum, lixarum, vno verbo quid plebis infimæ ſubeamus imperia? Sat bellis datum, ſat perfidiæ, ſat perduellioni indultum, qui ſolo eodem naſcimur & viuimus, quidni eumdem Regem ijſdem voto & animis proſequemur? hæc eſt ſpes vna Gallorum qui lilia amant, quâ ſi ad nouam perduellionem ceciderint, caueant, qui hodie vnâ Regis clementiâ ſpirant, ne iuſtitiæ eius immenſæ, ætern um aliquando prodant poſteritati monimentum.

***

FINIS.



INDEX LOCVPLETISSIMVS RERVM, VERBORVMQVE MEMORABILIVM,

QVÆ HAC HISTORIA CONTINENTVR, serie Alphabeticâ digestus.

A

B

Tttt 3

pro libito.

G

N

Rupellani

Zzzz

FINIS INDICIS.

ERRATA GRAVIORA QVAE INTER EDENdum operarum incuria irrepserunt, sic corrigito.


PAg. 23. lin. 12 in quibusdam exempl. post *Nonatores* dele *in*.
p. 38. l. 20. remor, lege *rumor*.
p. 57. l. 5. Labretani Ducatus, lege *Armeniaci Comitatus*.
p. 62. l. 26. Christi, lege *Dei*.
p. ead. l. 27. oppressas conscientias, lege *oppressa conscientia*.
p. ead. l. vlt. positos, lege *positi*.
p. 67. l. 14. *Synodum*, *Lescunum*, accus. lege in nominandi casu.
p. 68. l. 4. redire, lege *redeunt*.
p. ead. l. 6. ferri, lege *feruntur*.
p. 73. l. 6. arma, lege *signa*.
p. 76. l. 5. opperire, lege *opperiri*.
p. 83. l. 2. fortunatam, lege *fortunam*.
p. 87. l. 3. queis, lege *isque*.
p. 90. l. 18. 23. & 28. cohortum, lege *cohortium*.
p. 101. l. 17. & 18. redet, lege *residet*.
p. 104. l. 5. eius, lege *earum*.
p. 105. l. 14. quando, lege *vbi*.
p. 108. l. pen. abcessus, lege *abscessus*.
p. 113. l. 24. apud illos vulgare crimen, lege *vel omnes*.
p. 118. l. 5. abcessere, lege cum præpositione *abs*, & vbicumque aliàs similia huius verbi tempora occurrerint.
p. 123. l. 8. die aperitus, lege *dies aperitur*.
p. 123. l. pen. verti, lege *vertere*.
p. 129. l. 19. & sicubi aliàs occurrerit, expansis, lege *expassis*.
p. 146. l. 1. vnam, lege *vna*.
p. 163. l. 25. suppeditent, lege *suppetant*.
p. 169. l. 7. iuuasset, lege *subiisset*.
p. 172. l. 26. quies, lege *queis*.
p. 191. l. 25. adfuit, lege *monet*.
p. 211. l. 4. stetur, lege *stabitur*.
p. 214. l. 3. succedent, lege *succedant*.
p. 215. l. 21. adscripea, lege *adscripta*.
p. 222. l. 28. dabatur, lege *dabitur*.
p. 231. l. 14. post adacti, dele *id*.
p. 249. l. 3. augusto, lege *angusto*.
p. 263. l. 21. obiectósque, lege *obiectásque*.
p. 267. l. 2. reliquas, lege *reliqua*.
p. 276. l. 3. ala, lege *alariorum ordine*.
p. 280. l. 17. Gamorinus, lege *Gaborinus*.
p. 293. l. 20. indicia, lege *indicio*
p. 303. l. 11. aberat animo, lege *ab animo*.
p. 310. l. 23. & 24. saltum, lege *saltuum*.
p. ead. l. vlt. post dehinc, adde *ea*.
p. 311. l. 20. & 21. ala expedita, lege *alariis expeditis*.
p. 312. l. 19. sexcentis, lego *sexcenti*.
p. 315. l. pen. ducentis, lege *ducentos*.
p. 322. l. 6. vobiscum, lege *nobiscum*.
p. 324. l. 20. tantata, lege *tentata*.
p. 326. l. 27. indicio, lege *iudicio*.
p. 329. l. 1. eximit, lege *exemit*.
p. 333. l. 18. post tria, dele *à*.
p. 348. l. 6. nuper, lege *post bellum*.
p. 362. l. 1. censeat, lege *censeatur*.
p. 381. l. 11. impetam, lege *impetum*.
p. 423. l. 6. ad finem, in quibusd. exempl. lege *Magistratus mercatorum*.
p. ead. l. 15. mercatoribus, lege *argentariis*.
p. 458. l. 19. expugnandam, lege *conficiendam*.
p. 522. l. 1. die, lege *nocte*.
p. 584. l. 10. & p. 598. l. 28. dele *haud*.
p. 596. l. 22. imperabant, lege *merebant*.
p. 607. l. penult. insedere, lege *insidere*.
p. 650. l. 8. firmatóque, lege *firmatáque*.
p. 664. l. 8. quingentos, lege *quingentis*.
p. 667. l. 24. Oleroneámque, lege *Oloroneámque*.
p. 670. l. 26. Principis, lege *priuati*.

SVMMA PRIVILEGII REGII.

CAVTVM est Priuilegio Regio nequis citra consensum, & voluntatem D. GABRIELIS BARTHOLOMÆI-GRAMOVNDI in suprema Tolosatum Curia Senatoris Regij proximo decennio, à die primæ editionis absolutæ computando, toto regno, prælo subijcere, aut aliunde inferre, & vænalem exponere audeat, librum ab eodem GRAMOVNDO compositum, cui titulus; *Historia prostratæ à* LVDOVICO *XIII. Sectariorum in Gallia Rebellionis*; neque illud ipsum opus è Latino in Gallicum idioma quoquo modo vertere præsumat, nisi priùs impetrata ab Autore facultate; qui secùs faxit confiscatione exemplariorum, & pœnis eodem Priuilegio contentis mulctabitur, proüt fusiùs habet diploma Regium, datum mense Iulio, huius anni M. DC. XXIII.

Idem D. Gramoundus Priuilegio supradicto cessit in fauorem Petri Bosc Bibliopolæ pro editione Latina dumtaxat.

Priori huius Historiæ editioni finis fuit impositus prid. Non. Aug. Ann. M. DC. XXIII.



Gabriel. Barthol. Gramondi historia prostratae rebellionis in Gallia.